2.2.216 vol VI-VII BK 2.
579

R. P. ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA, VALLISOLETANI,

Societatis IESV Theologi,

COMMENTARII LITTERALES, ET MORALES

in Vetus, ac Nouum Teſtamentum.

TOMVS SEPTIMVS,

CONTINENS DVODECIM PROPHETAS Minores, & Libros Machabæorum.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



LVGDVNI,
Sumptib. PHIL. BORDE, LAVR. ARNAVD, ET PETRI BORDE.

M. DC. LXVII.

CVM APPROBAT. ET PRIVILEGIO.



NOBILISSIMO D.D.

EMANVEL COLOMA

D. IACOBI EQVITI INSIGNI

D. Bartholomæi Collegij Maioris Salmanticenſis toga inſignito, Regis à conſiliis, & in Regia Cancellaria Valliſoletana cauſarum Hiſpanæ Nobilitatis Iudici.

D. Manuel Coloma.

ANAGRAMMA.

El Numa Colmado.

COMMENTARIOS hoſce in Sacram Scripturam, NOBILISSIME EMANVEL, tuo nomine apparere ſtudeo, audacter fortaſsè, verùm nihil, vt reor, moliri videor alienum, vel à tua humanitate, qua neminem ſcies repellere: vel à Patroni titulo, qui ad tuam fidem atque tutelam non modò facilem ſternit viam, ſed ſummum mihi iūs, ac legitimum vendicat aditum. Tua enim Nobilitas, Tua Sapientia, Tua Pietas certam ſpem ad tutamen exponunt. Recole, obſecro,

cro, nominis tui literarum Anagramma *D. Manuël Coloma*, id eſt, *El Numa Cotmado:* & Petiandri Carm. ad Celſ. lege ſententiam. *Dum tui ſtemmatis ô Celſe, monumenta conſpicio, dum ſapientiæ tuæ radij meos perſtringunt oculos, dum morum tuorum ſynceritatem annoto, Te Superiorem Numæ contemplor.* Si nomen *Celſi in Emanuëlem*, vel aptiùs nomini *Emanuëlis* epitheium Celſi adiiciam *deti Celſe Emanuël* Græcum id ceciniſſe, quis dubitare poſſit? Ait Libius lib. de Orbe cond. de Numa Pompilio, *Numa ſecundus à Romulo Romanorum Rex ſapientia, ac pietate inſignis, qui ad cultum deorum animum adiecit.*

Tuam nobilitatem proferunt verba illa: *Numa ſecundus à Romulo Romanorum Rex.* Quid Rege nobilius? Haud id concedit Herodotus aſſerens purum omnino ſanguinem Regiam non ſemel Nobilitatē ſuperare, *cum fortuna Regem aliquandò conſtituat virum ex fortitudine, vacuum alias Nobilitate: ſanguinis autem pura vena ſemper nobiles enitatur.* Atauorum tuorum præcelſam Nobilitatē tua præclariſſima ſtemmata enunciant: & Tui clariſſimi Parentes apertè demonſtrant. Pater Tuus D. D. Petrus Coloma Diui Iacobi Eques, Dominus Oppidorum *de Chozas, de Canales, & Iunclillos.* Regius Conſiliarius *Belli*, & *Indiarum* Magni Philippi IV. Ipſius à ſecretis *Status*, & vniuerſalis negotiorum expeditionis, vulgariter, *Secretario del Deſpacho vniuerſal.* Electus ſecundus Miniſter ad expediendos tractatus pacis inter potentiſſimos Hiſpaniæ, ac Galliæ Reges: & ad omnes conferentias ad *Statum* attinentes, quæ difficilioris ac præſtautioris conſequentiæ ſui muneris tempore acciderunt. Quales extitere tres Regiæ Nuptiæ, & Magni Turcæ Legatio, &c. Te enixa eſt clariſſima D. D. Mariana de Eſcolano digniſſima tanti viri vxor, cuius progenitorum gloriam vbertim Eſcolanus in ſuis Aragoniæ Annalibus deſcripſit. Et P. Aris è noſtra Societate Domus de Coloma fulgórem cum Vrbis Abulenſis renuntiat Magnalia, recenſet. Fundatores hi clariſſimi Tui Progenitores ex priuilegio à primorum Aragoniæ Regum cunabulis extiterunt nobilis admodum Oppidi de Longarce. Vna & altera Domus de Coloma & Eſcolano ſunt cognatione coniunctæ cum Hiſpaniæ illuſtrioribus. In cunctis ſæculis ex eis Heroës auguſtioris æſtimationis prodiere, qui in Politicis, ac Militaribus Muniis communi Hiſpaniæ plauſu floruerunt. Vnum ex. gr. Fratrem tuum Virum egregium memoro D. D. Petrum Coloma Equitem Commendatarium de Auñon, & Berliches militaris Ordinis Calatrauæ, fortiſſimæ Arcis de Porcuna Præfectum, Regis Philippi IV. & Caroli II. à Conſiliis, Secretarium in Italiæ Supremo in iis, quæ ad Siciliam ſpectant, prudentia, dexteritate, ac virtute omnium iudicio, oreque eximium. Viuat feliciter ad præcelſiora Munera agnatus. Niſi Tuam modeſtiam attaminare vererer, hîc innumeros cognatione aut affinitatem coniunctos tibi recenſerem celeberrimos. Quos quidem antiquorum Annalium periti haud poſſunt igno-

rare.

rare. Opus itaque fuit ſani (loquor cum Guarrico ſer. 3. de Nat. Ioan.) *tanti Nominis authoritas prima* (Elogij Tui) *fronte præferri; quod totum exinceps* (meum etiam) *commendabilius reddet Opus.* Tanti fulgoris participatione.

Pergit Libius, *ſapientia ac pietate* Numa *inſignis*, Periander verò. *Cum ſapientia Tua radij meos perſtringunt oculos: cum Te Numa ſuperiorem contemplor.* Stemmatis tui radios tot ſtellæ fulgentiſſimæ dum emittunt, ſapientiæ Tuæ pulchrã dedunt imaginem. Ingenij Tui acumen & in literis excellentia, cum in Salmantina degeres Academia, inſignis Collegij D. Bartholomæi ſapientiſſimos Collegas attraxit, vt Te nobiliſſimæ Togæ ſocium expeterent, cum vix iuuentutis iniiſſes exordium: vbi Cathedras cunctas aſcenderes, niſi ob famam ſcientiæ & prudentiæ tuæ Te ambirent Regia Tribunalia: vndè ad Regiam Valliſoletanam electus nobilitatis cauſas iudicas, perbreui ad auguſtiora Miniſteria aſcenſurus. Adoluiſti ſapientia pariter ac ætate: omniſque eruditionis lima excultus, ad omnia ſumma conſummatus euaſiſti.

Quid denique de Tua pietate attexam? Aiebat Libius, *Numa pietate inſignis, qui ad cultum deorum animum adiecit.* Et Græcus, *Dum morum tuorum ſynceritatem annoto, &c.* An non morum tuorum puritatem ſtemmatis tui Columba modeſtiſſimo gemitu canit? Huic argumento daturus operam, non vereor adulationis ſubire cenſuram. Maiorum tuorum gloriam ingenij tui dotibus ampliaſti; ſed quod iubar ſanguinis præſtitit, virtus tua glorioſiùs conſummauit, Vberiorem planæ ſtemmatis tui ſtellis claritatem infundis morum tuorum auctario. Neque ideo Morum tuorum gloriæ cenſus deuenuſtatur, *Nam* (vt aiebat D. Cyrillus Alex. Epiſ. ad Theodoſ.) *illis glorioſum eſt, quod à tua virtute ſuperentur.* Prælucens filiorum ex probitate iubar ſplendentia Parentum ex eadem probitate lumina non interſtinguit, ſed mirifico lucis fœnore ſplendidius accendit, nouos indè fulgores micantius reuerberans. An non illud argutè verum. *Filios prudenter* (loquor cum Sidonio Apol. lib. 7. in Conc.) *inſtituit, quibus comparatus pater, inde felicior incipit eſſe, quia vincitur.* Si enim magnum eſt à Maioribus aliquid magnum accepiſſe: maius profectò erit, magnis parentibus aliquid adieciſſe magnum, velut fluctu glorias reciprocante. Et quidem Tu ſingulariter in iuuenta, in morum naufragiis probitatis portum ſoſpes tenuiſti, dum inconditam plerumque adoleſcentiam ſtipendiis ſenectutis, ſtipendiis exornas, & cana in Te conſilia vigent. Adeò vt valeas cum ſapiente dicere: *Flores mei flores honoris, & honeſtatis.* Eccli. 24. 23. Nimirum in florido ætatis vere præcoci morum fructu autumnas. Belga Anonymus de Cæſare dixit: *Cæſaris* (Emanuëlis inquam) *laudes exequi velle, ſtudium quidem dulce, ſed non & cura mediocris, cuius in virilitatis ingreſſu non eruptione virtutis tumens germen non flos præcurſor indolis bonæ, quàm vberior apparet; ſed iàm facta*

grandi fera, & contrà communem ætatis rationem, maximorúmque fructuum matura perceptio.

Enim verò vt præmiſſum tui Nominis Anagramma peificiam, illam operæ pretium eſt particulam premere: *Colmado*, id eſt, Nobilitas, Sapientia, & Pietas Tua cumulum facit ſuper Numæ Nobilitatem, Sapientiam, ac Pietatem: quod Græcus ille aiebat: *Te ſuperiorem Numa contemplor. Nobilitate* quidem, quia vt Auſonius ait, *Omnis immaculata Nobilitas Imperatorum dignior Mater, quàm electio popularis, obiicitur.* Numa factus fuit Imperator; Tu natus tanta ſanguinis puritate, vt parens eſſe poſſes Imperatorum. *Sapientia* autem, quia poſt exactam canitiem Numa Sapientis acquiſiuit elogium: Tu verò vix vigeſimum tertium annum attigiſti, cum ſapientiſſimum Regium Miniſtrum Te Regia illuſtriſſima Cancellaria Valliſoletana acclamat, vbi meritam tuæ dexteritatis, tui ingenij acuminis famam quotidie roboras. *Pietate* denique, quia Numæ Pietas ſolum commendatur, quòd inanium Deorum ſacra promouit: alias ipſe vanitati ſęculi litator. Tu autem ſingulis hebdomadis vero Te Sacrificio Euchariſtico reficis: & qui Tuam Modeſtiam, ſenilem Grauitatem, Puritatem morum contemplatur, non ſæcularem Equitem, ſed in Clauſtris Regularem ſe aſpicere profitetur. Vale, viue, & ad altiora Munia aduola tuæ Columbæ, Aquila peritioribus pennis, votis,

EXCELLENTIÆ TVÆ

Humillimi ſerui

ANTONII DE ESCOBAR
ET MENDOZA.

LECTORI MEO.

Svnt Prophetæ Minores Duodecim, nempè Oſeas, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, & Malachias. Qui quidem *Minores ideò* (ait D. Auguſtinus de Ciuit. lib. 18. cap. 29.) *dicuntur, quia ſermones eorum ſunt breuiores eorum comparatione, qui Maiores ideo vocantur, quia prolixa Volumina condiderunt.* Et Ruffinus in Oſea præfat. *Minores,* inquit, *non pro merito, ſed pro numero verſuum nominantur.*

DECEM ET NOVEM ANTILOGIA,

Ex Prophetis Minoribus.

Seu, quæ inter ſe videntur pugnare, Teſtimonia.

CAPVT I.

Ex Oſea, Ioël, & Amos, octo.

I.
Oſe 4. 15.
Quando licet iurare, & quando non licet.

Neque iuraueritis: *Viuit Dominus*: At Deut. 6. 13. *Per nomen Domini Dei iurabis.* Quomodo iurare præcipimur, ſi iurare prohibemur Cum adeſt iuſtitia, & veritas, ac neceſſitas vrget, per Deum iurare præcipimur. Cum autem hæ circumſtantiæ deſunt à iuramento omnino abſtinendum.

II.
Oſe. 5. 6.
Sæpe accidit, vt peccator vocatus à Deo & non reſpondens, Deum ipſe quærat, & non inueniat.

Vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient: ablatus eſt ab eis. At Iere. 29. 13. *Quæretis me, & inuenietis.* Et Deut. 4. 29. *Cum quæſieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum.* En quæſitus Deus inuenitur, & non inuenitur. Sæpe quidem accidit, vt ſemel & iterum à Deo vocatus peccator, & non reſpondens: in duritiei ſupplicium demum quærens ille Deum, non inueniat, permittente Deo, vt veraciter, ſeu ex corde non requirat.

III.
Oſe. 13. 12.
Peccatum quod in Confeſſione abſconditur ſæpe in ſupplicium cunctis reuelatur.
Agnatum peccato manifeſtari.

Abſconditum eſt peccatum Ephraim. At cap. 7. 4. *Omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus,* qui minimè poteſt abſcondi. Quomodò ergo abſconditur, & non abſconditur? Certè quia eo ipſo, quod quis peccatum curet abſcondere, nec in Sacramentali confeſſione reuelare: aſſolet ſæpe cunctis eſſe manifeſtum. Adde, agnatum eſſe peccato, manifeſtari.

IV.
Ioel. 2. 14.
Non erit dubia Dei venia, ſi pœnitentia dubia non fuerit.

Quis ſcit, ſi Deus conuertatur, & ignoſcat? Dan. 4. 24. *Forſitan ignoſcet delictis tuis.* At Ezech. 18. 21. Non ſub dubio, ſed certo aſſeritur: *Si impius egerit pœnitentiam: : vita viuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Profectò dubia non erit ex parte Dei venia ſi ex parte peccatoris pœnitentia dubia non fuerit.

V.
Ioël. 3. 20.
Tribulationes impiorum è peccato procedunt.

Iudæa in æternum habitabitur, & Ieruſalem in generationem, & generationem. Et Verſ. 17. *Erit Ieruſalem ſancta: & alieni non tranſibunt per eam amplius.* At ſcimus Romanos eſſe alienos, & etiam Turcas: quorum poſſeſſioni Terra Sancta ceſſit. Ergo alieni per eam tranſierunt. Annota illud verbum: *Erit Ieruſalem Sancta,* id eſt, ſi ſancta fuerit, non tradetur alienis: receſſit à ſanctitate, & alienis ceſſit in poſſeſſionem. Cunctæ enim impiorum tribulationes in peccato procedunt.

VI.
Amos 3. 2.
Deus peccatores non cognoſcit, quia ſunt quaſi nihil.

Tantummodo vos, ô Iſraëlitæ cognoui ex omnibus cognationibus terræ. At Pſal. 138. 5. *Ecce Domine, tu cognouiſti omnia nouiſſima, & antiqua.* Quomodo igitur ſolum Iſraëlem cognouit? Certe omnia Deus noſcit, ſed quod nihil eſt, quonammodo cognoſcere poteſt? Et quidem peccatores ad nihilum quodammodo rediguntur.

VII.
Amos 3. 2.
Deus facit malum tribulationis iuſtorum: & malum non facit, quia illis cedunt in bonum.

Si erit malum in Ciuitate, quod Dominus non fecerit. At Habac. 1. 15. *Mundi ſunt oculi tui, ne videant malum: & reſpicere ad iniquitatem non potes.* Quod ſi ideo verba Amos non de peccati malo ſed de laborum incommodo intelligenda ſint, Sap. 1. 13. dicitur: *Deus mortem non fecit.* Ergo Deus facit, & non facit malum. Profectò facit malum laborum, quibus iuſti ad virtutis probationem, & augmentum afficiuntur: & tunc malum non facit, quia illæ quidem *malum* non ſunt, cum iuſtis magnum cedant in bonum.

VIII.
Amos. 7. 14.
Sancti ex humilitatis affectu non agnoſcunt honorem, quo fulgent.

Non ſum Propheta At Verſ. 15. *Dominus dixit ad me: Vade, Propheta ad populum.* Ergo Amos eſt & non eſt Propheta. Propheta verè eſt, ſed in ipſius æſtimatione Propheta nó erat. Sancti enim ex humilitatis affectu, honorem, quo fulgent, non agnoſcunt. Hinc rogatus Ioannes an eſſet *Propheta*? licet pluſquam Propheta eſſet. *Non* ſum reſpondit. Et Deipara, quam Archangelus vere Dominam appellauit, ſe cognouit ancillam.

CAPVT II.

Ex Iona, Michæa, Nahum, Sophonia, Aggæo, Zacharia, & Malachia, decem.

IX.
Iona. 1. 3.
Inobediens ſemper erat in via.

Ionas, *vt fugeret in Tharſis, deſcendit in Ioppen.* At naues Regis Ioſaphat 2. Paral. 20. 36. *vt irent in Tharſis,* ſoluerunt *ex Aſiongaber.* Maris Rubri portu, non ex Ioppe Maris Mediterranei. Quomodo ergo Ionas ex Ioppe in Tharſis tetendit? Certè quia inobediens Deo nauigationem apparuit. Nam qui contra obedientiæ impe-
tium

rium graditur, errat in via, & vt vulgariter exponam: *El embebiente ſiempre va deſcaminado;*

X. *Mich. 2. 11.* *Vtinam non eſſem vir habens Spiritum: & mendacium potius loquerer:* At Prou. 12. 22. *Abominatio Domino labia mendacia.* Quomodo ergo vir Propheta cupit habere, quod Deo eſt abominatio? rò *vtinam* non eſt cupientis ſed in hunc modum affirmantis: ſi non eſſem vir habens ſpiritum, ſeu ſi vir ſpiritualis, aut ſpiritualibus ſtudens non eſſem, mendacium loquerer. Apte quidem, omnino enim virum ſpiritualem dedecet mentiri.

Virum ſpiritualem mentiri dedecet.

XI. *Mich. 5. 2.* *Tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda,* ſeu cunctis Iudææ Oppidis es minimum. At Mat. 2. 6. Tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iudææ Vrbibus. Si minima eſt in communibus Oppidis, quomodo in Principibus non eſt minima? Quia domus panis, quæ eſt Eccleſia quanto ſuis in oculis minor fuerit, tanto in Dei conſpectu maior apparet.

Iuſtus quanto minor ſuis apparet in oculis in Dei conſpectu maior eſt ſtit.

XII. *Naum. 1. 12.* *Afflixi te,* ô Ieroſolyma, *& non affligam te vltra, vt pertranſeat in te Belial.* At *Nabuchodonoſor.* iterum tranſiuit 4. Reg. vlt. & Antiochus 1. Mach. 1. & *Veſpaſianus*, ac *Titus* Luc. 19. 43. Tranſiuit. Electi à Deo populi labores, qui tranſeunt vix poſſunt labores vocitari. Vnde qui tranſeunti calamitate affligitur quaſi non affligitur. Veram enim vocauerim afflictionem, quæ in æternum permanebit.

Afflictio quæ tranſit vix afflictio poteſt vocitari.

XIII. *Soph. 2. 9.* *Moab vt Sodoma erit: & filij Ammon quaſi Gomorrha: deſertum vſque in æternum.* At ibidem dicitur: reſiduos gentis Iudaïcæ illos eſſe poſſeſſuros. Et Dan. 11. 41. *ſaluabuntur Edom, Moab, & Ammon.* En Moabitæ & Ammonitæ pereunt, & non pereunt. Quomodo pereunt? Planè quia mutatis moribus, ſententia mutatur.

Mutatis peccatoris moribus, Dei ſententia mutatur.

XIV. *Soph 3. 13.* *Reliquiæ Iſrael non facient iniquitatem* Et Verſ. 17. *Gaudebit Dominus ſuper te in lætitia.* At Ezech. 20. 34. *Educam vos de populis in quibus diſperſi eſtis: & in furore effuſo regnabo ſuper vos.* An lætitia & furor, vna in ſede morantur? Dum Iſrael *non facit iniquitatem:* ſuper eum Dominus valde lætatur; dum autem ad delicta recurrit, eum in furore opprimit: quia *cum peruerſo peruertetur.*

Deus cum peruerſo peruertitur.

XV. *Agg. 2. 7.* *Adhuc vnum modicum eſt, & veniet deſideratus cunctis gentibus.* At à ſecundo anno illo Darij quando hoc prophetatur, vſque ad Chriſti aduentum anni 515. defluxêre. Illudnè tempus, *vnum modicum* eſt? Eſt quidem; quia omnia temporalia peruolant in inſtanti: ſolum in æternitate debet duratio computari.

Omne temporale peruolat in inſtanti.

XVI. *Zach. 1. 9.* *Angelus qui loquebatur in me.* At Verſ. 8. Angelus *ſtabat inter myrteta, quæ erant in profundo.* Si ſtabat in profundo, quomodo in Propheta ipſo loquebatur? Plane quia etſi à longe loquitur, Propheta in aure cordis verba excipit: & ideo in illo Angelus loquebatur. Quamuis Præſul imperans admodum ſit remotus, in veri obedientis corde præſens adeſt ad imperij promptam executionem.

Quamuis Rector abſens ſubeſt, veri obedientis præſens adeſt in corde, ad executionem.

XVII. *Zach. 11. 12.* *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Proijce illud ad ſtatuarium decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis.* At Mat. 27. 9. tribuuntur hæc Ieremiæ Prophetæ dicenti? *Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, & dederunt eos in agrum figuli.* An figulus ſtatuarius eſt? Ita quidem. ſtatuarius hominis imaginem non efformat; Hoc eſt eius officium. Idem figulus præſtat, dum vaſa lutea perficit. Quid enim ſunt homines niſi lutea vaſa fragilitati obnoxia?

Homo vas luteum fragilitati obnoxium.

XVIII. *Malac. 1. 5.* *Oculi veſtri videbunt.*

Quid? Nempe quæ poſt quadringentos annos euenient. An illi ſuperſtites tot annos perſtitêre? Minime: ſed id eorum oculi viderunt, cum eorum aſpexêre nepotes: qui idem videntur eſſe eum auis.

Nepotes & aui quaſi vnum.

Facultas R. P. Prouincialis Prouinciæ Caſtellanæ Societatis IESV.

Petrus Pimentel in Prouincia Caſtellana Societatis Iesv Prouincialis, poteſtate mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Goswino Nickel Præpoſito Generali, facultatem facio, vt *Commentaria in totum Vetus, ac Nouum Teſtamentum* (exceptis Sapientialium libris) *Auctore* P. Antonio de Escobar et Mendoza Theologo eiuſdem Societatis grauium, Doctorúmque hominum iudicio approbata, typis mandentur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, noſtróque ſigillo munitas dedimus, Valliſoleti die 1. Octobris, anno 1653.

PETRVS PIMENTEL.

APPROBATIO.

Reuerendi Patris Antonii de Escobar et Mendoza Societatis Iesv, *Commentarios Literales & Morales in Sacram Scripturam* nos infraſcripti ex eadem Societate Theologi legimus, & vtiles, atque luce dignos iudicauimus. Lugduni 8. Martij anno 1667.

IOSEPH GIBALINVS.
LAVRENT. GRANNON.

PRIVILEGIVM.

Ego Ioannes Platiere Societatis Iesv in Prouincia Lugdunenſi, Præpoſitus Prouincialis, Opus, quod inſcribitur Antonii de Escobar et Mendoza Societatis Iesv Theologi, Commentarij Literales & Morales in I. & II. Libr. Paralipomenon, in primum & ſecundum Eſdræ, in Tobiam, in Iudith, in Eſther, in Iob in Pſalmos, in Prouerbia, Eccleſiaſten, Canticum Canticorum, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Maiores & Minores Prophetas, in primum & ſecundum Machabæorum, in Euangelia, in Acta Apoſtolorum in Epiſtolas Pauli, in Epiſtolas Catholicas & Ioannis Apocalypſin, eiuſdem Societatis grauium Doctorum iudicio approbatum iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. Lvdovico XIII. 14. Februarij 1611. & Lvdovico XIV. nunc regnante 23. Decembris 1650. conceſſum; quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque Superiorum permiſſione imprimant. Permitto Philippo Borde, et Lavrentio Arnavd, Bibliopolis Lugdunenſibus, vt ad decem proximos annos excudere ac liberè diuendere poſſint. Datum Lugduni 11. Martij 1667.

IOANNES PLATIERE.

ANTONII
DE ESCOBAR
ET MENDOZA,
E SOC. IESV THEOLOGI,
Commentarij Literales, & Morales in Vetus, ac Nouum Teſtamentum.

PROPHETÆ MINORES.

LIBER PRIMVS.
PROLVSIO.

Ob ſcriptorum breuitatem dicti ſunt *Prophetæ Minores*. Numero extitére duodecim, totidem æui ſui Patriarchæ, & Apoſtoli, duodecimque Tribuum Doctores. Verum *Oſee* idem eſt Hebræis, quod *vv*. *ſalua*, à radice *iaſca*, ſeu *ſaluauit*. Optat enim vbique, orátque Deum pro populi ſalute. Quàm pulcher typus Deiparentis, quæ ſalutis miniſtra nunquàm non pro ſpiritualibus omnis Eccleſiæ commodis deprecatur. Vndè clamitat illa quotidiè: *Sancta Maria, ſuccurre miſeris, &c. Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu. Sentiant omnes tuum iuuamen*, vt æternæ ſalutis felicitate potiantur.

Maria ſalutis miniſtra, pro ſalute noſtra ſēper precatur.

CAPVT PRIMVM.

Oſeas Dei iuſſu ducit fornicariam vxorem, ex qua filios fornicationis procreat. Quorum natalitio Iſraëlitarum idololatriam pungit: quorum nominibus, triſtem illorum repudium imminens præſignat.

1. VERBVM Domini, quod factum eſt ad Oſee filium Beeri,
in diebus Ozie, Ioathan, Achaz, Ezechiæ, regum Iuda, &
in diebus Ieroboam filij Ioas regis Iſraël.
2. Principium
loquendi Domino in Oſee: & dixit Dominus ad Oſee: Vade, ſume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra à Domino.
3. Et abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim: & concepit,
& peperit ei filium.
4. Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen eius Iezrahel:

quoniam adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Iezrahel ſuper domum Iehu, &
quieſcere faciam regnum domus Iſraël. 5. Et in illa die conteram arcum Iſrael
in valle Iezrahel. 6. Et concepit adhuc, & peperit filiam. Et dixit ei: Voca no-
men eius Abſque miſericordia: quia non addam vltrà miſereri domui Iſraël, ſed
obliuione obliuiſcar eorum. 7. Et domui Iuda miſerebor, & ſaluabo eos in Do-
mino Deo ſuo: & non ſaluabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, &
in equitibus. 9. Et ablactauit eam, quæ erat Abſque miſericordia. Et concepit, &
peperit filium. 9. Et dixit: Voca nomen eius: Non populus meus: quia vos non
populus meus, & ego non ero veſter. 10. Et erit numerus filiorum Iſraël quaſi
arena maris, quæ ſine menſura eſt, & non numerabitur. Et erit in loco vbi dicetur eis:
Non populus meus vos: dicetur eis: Filij Dei viuentis. 11. Et congregabuntur filij
Iuda, & filij Iſraël pariter: & ponent ſibimet caput vnum, & aſcendent de terra: quia
magnus dies Iezrahel.

COMMENTARII.

1. *Dei iuſſu Oſeas meretricem ducit in vxorem.*

VERS. 1. 2. *Verbum Domini, quod factum eſt ad Oſee, &c.* Hoc fuit primum vaticinium quod Oſeas filius Beeri à Domino accepit ſub ea tempora, quibus in Ieruſalem Ozias, Ioathan, Achaz, & Ezechias: in Samaria Ieroboam Ioas filius imperarunt. *Principium loquendi Domino in Oſee, &c.* Sic Dominus primùm fuit ad Oſeam locutus. Quamprimùm ducito vxorem, quæ fornicario quæſtui dederit operam: & licet ex legitimo toro, filios tamen ſuſcipies, qui matris fornicariæ potius, quam caſti parentis mores ſecuti, meretricias captabunt voluptates. * Plerumque enim filij matris exemplum imitantur, eos enim matriſſare à Philoſopho aſſeritur.] * Si ob legitimum matrimonium fœmina illa non manebat fornicaria, ſed vxor, cur Oſeas dicitur filias fornicationis ſuſcepturus? Crediderim quia apud populum nomen meretricis publicæ vix detergitur, etiam ſubſequente matrimonio. Vndè indecens nobili viro huiuſmodi fœminas ſibi coniugio colligare.] In hiſce fornicationum filiis ſuam dignoſcet intemperantiam terra Iſraëlitica, quæ à Deo ſuo, quaſi vxor adultera à viro recedet, & idololatriæ ſe totam quaſi vagæ amatorum libidini proſtituet.

Filij matris ſæpè mores imitantur.

Meretrix etiam matrimonio ſubſequente, vix à prælapſa nominis fama apud populum expeditur.

Verſ. 3. 4. 5. Et abijt, & accepit Gomer filiam Debelaim, &c. Diuino Oſeas præcepto parens matrimonio ſibi legitimo colligauit Gomer nomine fœminam, filiam Debelaimi, quæ ex Prophetæ conſuetudine concepit, & enixa eſt filium. * Ex hac prompta Oſeæ obedientia eius eximiam colligo ſanctitatem. Difficillimum enim obſeruatu præceptum viro ingenuo eſt, vxorem tanto notatam dedecore ducere.] *Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen eius Iezrael, &c.* Tunc ad Prophetam Dominus: Impone filio tibi recens nato nomen *Iezrael*, id eſt, *ſemen Dei*, ſed fruſtra effuſum, ac perditum. Quia cædem, & ſtragem à Iehu contra domum Achab patratam in Vrbe valli Iezraël vicina, ob fœdam Achabi, eiuſque poſterorum idololatriam, inducam viciſſim ſuper Ieroboam Regem, & reliquam omnem Iehu familiam ob æquè fœdam idololatriam poſteriorum eius: vt ſicut Achabo pares ſunt in crimine, ſint etiam in pœna pares. * Cum videris, vel audieris, aliquem à Deo affectum ſupplicio ob aliquod ſpeciale flagitium; te ſimili pœna percutiendum exiſtima, eiuſdem ſceleris patratorem.] *Et quieſcere*, ſeu deſinere faciam decem Tribuum Iſraël Regnum. *Et in illa die conteram arcum Iſraël in valle Iezraël.* Vires, ac robur omne decem Tribuum in eadem valle Iezrael conteri faciam per Aſſyrios. Cæſi fuere inibi ab Aſſyriis Iſraëlitæ, qui deinde victoriam proſecuti, Samariam obſederunt, & euerterunt: ideoque dicitur Regnum Iſraël quieuiſſe, ſeu periiſſe.

Ex præcepti difficultate rutilat magis obedientiæ iuſtorũ præſtantia.

Cum audis aliquem affectum ſupplicio ob ſpeciale aliquod crimen, exiſtima eadem te pœna percutiẽdum eiuſdem ſceleris patratorem.

Verſ. 6. 7. 8. E concepit adhuc, & peperit filiam, &c. Rurſus Gomer concepit, & peperit filiam, cui, iubente Deo, hoc nomen eſt inditum *lo rachuma*, id eſt, *Abſque miſericordia.* Quod nomen Iſraëlitis pro ſymbolo erit, quod illorum vltra non miſerebor, ſicut miſerebor Iudæorum. *Et domui Iuda miſerebor, &c.* Longè aliter Iudæ accidet, cum illam Babylonius in exilium abduxerit: illius enim miſerebor; & per memet ipſum, non aliena manu non militari machina, non bellici apparatus ſtrepitu, liberabo. *Et ablactauit eam, quæ erat abſque miſericordia. &c.* Cum verò ad eam progreſſa fuit ætatem puella, quam vocitari dixi *Abſque miſericordia*, vt à maternis vberibus abſtraheretur: concepit Gomer tertio, filiumque ex vtero edidit.

Verſ. 9. Et dixit: voca nomen eius, &c. Tunc ad Prophetam Dominus: voca filium, quem tibi vxor enixa eſt, *Non populus meus.* Quia tuum populum meum minimè agnoſcam: neque me illi ſicut antea me Deum ac patrem exhibebo. Itaque Oſeas primo ex Gomer ſuſcepit filium Iezraëlem nomine, quo Iſraëlitici Imperij interitus præſignatur In filia verò, quæ ſecundò ex fornicaria nata eſt vxore, alienum ſe Dominus oſtendit à populo, cui ad ſuam miſericordiam aditum dicit eſſe præcluſum. In tertio denique, cui nomen eſſe voluit, *Non populus meus*, ſtatus portenditur, quo nullus infelicior poteſt excogitari: cum populus, quem Deus appellauit, & ornauit vt ſuum, ſic abiiciendus erat, vt illius obliuio futura dicatur ſempiterna. * Quid homini infelicius, quàm qui heri per gratiam Dei filius erat, hodie per peccatum diaboli mancipium exiſtat.]

Summa infelicitas hodie per peccatum fieri diaboli mancipium, qui heri per gratiam Dei filius erat.

Verſ. 10. 11. Et erit numerus filiorum Iſrael, quaſi arena maris. quæ ſine menſura eſt, &c. Neque tamen ideò non præſtabo, quod olim populi ingrati huius parentibus promiſi. Nam

licet

licet dicantur Iſraëlitæ obliuioni traditi ſempiternæ: ſuccedent tamen illorum loco è Gentilico populo, qui verè ſpiritu ac fide poſſint Iſraëlitæ vocitari, eo numero, vt cum maris arena, cuius nemo menſuram aſſignauerit, valeant comparari. Quia eodem loco, vbi illi filiorum, & populi mei nomen amittent, nempe inter Gentiles, erunt qui ſic viuant, vt veros Iſraëlitas imitentur, & ideo populus meus vocabuntur, & filij, ac cultores non ſimulacrorum, quæ vitæ ſunt, ac motus expertes, ſed veri atque viuentis Dei. *Et congregabuntur filij Iuda, &c.* Congregabuntur tandem filij Iſraël, & filij Iuda, & ſub vno Principe ac Duce Zorobabele in gratiam reuertentur, poſt longam tamen ac duram ſeruitutem. * Si Iſraëlitæ tandem in gratiam ſunt reuerſuri, vt verè Dei populus rurſum vocari valeant; quare eis Dominus obliuionem indixit æternam? Certè quia Deo hæreſcere tantum eſt bonum, vt ab eo vel modico tempore ſeparari, tam dirum malum ſit, vt eius duratio videatur æterna.] Porrò hunc locum (vt innui) non de ſolis naturalibus Iſraëlitis ac Iudæis è captiuitate in patriam reductis, & è Iudaiſmo ad Chriſtum conuerſis; ſed etiam, & quidem principalius, de myſticis ſpiritualibus, hoc eſt, de Gentilibus ex infidelitate ad lumem fidei reductis intelligo. Et ſicut naturales Iudæi ac Iſraëlitæ non manſerunt diſſecti in duo Regna à reditu ſuo è Babylone, ſed in vnum coaliti vni Zorobabeli omnes paruere: ſic ſpirituales Iſraëlitæ, & Iudæi ſex quantacumque Gentium, ac nationum diuerſitate in vnam Eccleſiam coaleſcent: & vni Principi, Duci, Paſtori, nempe Chriſto Domino, & eius Vicario Romano Pontifici ſubmittentur. Et ſub eius auſpiciis aſcendent de terra ſurſum, creſcentes paulatim magis, ac magis, ſeſeque per vniuerſum orbem propagantes. Profectò *magnus* erit *Iezrahelis dies*, feliciſſimus vtique, illud nempe ſæculum, quo benedictum ſemen iſtud Dei germinabit, florebit, fructificabit: quo Verbum diuinum incarnabitur, naſcetur, patietur, reſurget, cœlum conſcendet, mundum iudicabit: & quo populus Dei ex Iudaïſmo, ex Gentiliſmo, ex ſcelerum abyſſo aſcendet ad fidem, ad cultum veri Dei, ad montem virtutum, ad perfectionis verticem, ad vitam cœleſtem, ad gloriam, æternúmque gaudium.

A Deo hominem ſeparari per culpam tam dirum malum eſt, vt vel modica eius duratio æterna videatur.

CAPVT II.

Iſraëlem ingratitudinis ac perfidiæ arguit Propheta. Pœnitenti tamen bona cuncta promittit, fœdúſque cum eis à Domino interminabile.

1. DICITE fratribus veſtris: Populus meus; & ſorori veſtræ,
Miſericordiam conſecuta. 2. Iudicate matrem veſtram, iu-
dicate: quoniam ipſa non vxor mea, & ego non vir eius: aufe-
rat fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua de medio
vberum ſuorum. 3. Ne fortè expoliem eam nudam, & ſta-
tuam eam ſecundùm diem natiuitatis ſuæ: & ponam eam
quaſi ſolitudinem, & ſtatuam eam velut terram inuiam, & in-
terficiam eam ſiti. 4. Et filiorum illius non miſerebor: quoniam filij fornica-
tionum ſunt. 5. quia fornicata eſt mater eorum, confuſa eſt quæ concepit eos:
quia dixit: Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, la-
nam meam & linum meum, oleum meum, & potum meum. 6. Propter hoc
ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non in-
ueniet. 7. Et ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos: & quæret eos, &
non inueniet, & dicet: Vadam, & reuertar ad virum meum priorem, quia benè mihi
erat tunc magis quàm nunc. 8. Et hæc neſciuit, quia ego dedi ei frumentum, &
vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.
9. Idcircò conuertar, & ſumam frumentum meum in tempore ſuo, & vinum meum
in tempore ſuo, & liberabo lanam meam & linum meum, quæ operiebant ignomi-
niam eius. 10. Et nunc reuelabo ſtultitiam eius in oculis amatorum eius: & vir
non eruet eam de manu mea: 11. & ceſſare faciam omne gaudium eius, ſollem-
nitatem eius, neomeniam eius, ſabbatum eius, & omnia feſta tempora eius.
12. Et corrumpam vineam eius, & ficum eius, de quibus dixit: Mercedes hæ
meæ ſunt, quas dederunt mihi amatores mei: & ponam eam in ſaltum, & come-
det eam beſtia agri. 13. Et viſitabo ſuper eam dies Baalim, quibus accendebat in-
cenſum, & ornabatur inaure ſua, & monili ſuo, & ibat poſt amatores ſuos, & mei
obliuiſcebatur, dicit Dominus. 14. Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & du-
cam eam in ſolitudinem: & loquar ad cor eius. 15. Et dabo ei vinitores eius ex
eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam ſpem: & canet ibi iuxta dies iuuen-

tutis ſuæ, & iuxta dies aſcenſionis ſuæ de terra Ægypti. 16. Et erit in die illa,
ait Dominus, vocabit me: Vir meus: & non vocabit me vltrà, Baali. 17. Et au-
feram nomina Baalim de ore eius,& non recordabitur vltrà nominis eorum. 18. Et
percutiam cum eis fœdus in die illa, cum beſtia agri, & cum volucre cæli, & cum
reptili terræ: & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra: & dormire eos
faciam fiducialiter. 19. Et ſponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi
in iuſtitia, & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus. 20. Et ſponſabo te
mihi in fide: & ſcies quia ego Dominus. 21. Et erit in die illa, Exaudiam, dicit Do-
minus, exaudiam cælos, & illi exaudient terram. 22. Et terra exaudiet triticum, &
vinum, & oleum: & hæc exaudient Iezrahel. 23. Et ſeminabo eam mihi in terra, &
miſerebor eius, quæ fuit Abſque miſericordia. 24. Et dicam non populo meo: Po-
pulus meus es tu: & ipſe dicet: Deus meus es tu.

COMMENTARII.

VERS. 1. 2. *Dicite fratribus veſtris: Populus meus: & ſorori veſtræ: Miſericordiam conſecuta.* O vos, qui inter Iſraëlitas ita religioſè viuitis, vt populi mei nomen veſtros optimè in mores cadat: dicite fratribus veſtris, à Gomer meretrice prognatis, quos ego propter vitæ turpitudinem illuſtri admodum hoc populi mei titulo dignatus non ſum. Et vos, quorum vita miſericordiam conſecuta eſt, dicite ſorori veſtræ Iſraëlitarum familiæ, quæ ſe miſericordia ac pace indignam exhibuit. *Iudicate matrem veſtram, iudicate, &c.* Dicite inquam illis, vt increpent, & arguant matrem ſuam Synagogam, ſeu cœtum Iſraëlitarum idola colentium: eique meo nomine denuocient, quòd quandiu hæc perſiſtet in ſcelere, mea vxor non ſit, ſed adultera repudiata: & ego non vir eius, ſed Iudex, & vindex. Recedat ergo ab idololatria ſua, nec amplius me præſente, ac vidente aliis amaſiis copuletur, ſeu ſimulacris cultum exhibeat. Auferat etiam adulteria, id eſt, ſigna, & illecebras adulterij de medio vberum ſuorum. Alludit ad bullas, gemmas, & torques aliaque pectoris meretricum ornamenta, quibus amaſios in ſui concupiſcentiam pelliciunt. * Itaque huiuſmodi ornamenta adulteria vocantur, vt innuat, nimium ornatus huiuſce apparatum in ſolutis fœminis meretricium, in coniugatis adulterum affectum ſubolere.] Similia quidem ornamenta geſtabant Iſraëlitæ in idolorum ſuorum honorem, præſertim eorum imagines quas à collo ſuſpenſas ad pectus deferebant. *verſ. 13. hic.* Vt his ſignis palam facerent ſe talis idoli cultores. Et vt his illecebris ſui idoli memoriam & affectum non modo in ſe, ſed & in aliis obuiis excitarent. * Vndè taxabiles admodùm obiiciuntur, qui turpibus imaginibus parietes exornant: quarum obiectu ad Veneris memoriam animus excitatur.] * Docemur ſimul ex prauo idololatrarum horum affectu, medallia, & imagines Chriſti, Deiparæ, ac diuorum piè cum orario è cingulo appendere, vt in nobis, & in aſpectantibus Chriſti, Deiparæ, ac ſanctorum memoriam acuamus.] * Expende verbum illud: *Et adulteria ſua de medio vberum ſuorum.* Profectò vberum profana denudatio appenſaque è collo ad vbera monilia adeò ſunt perſpicua libidinis plerumque documenta, vt aptè poſſint nomine ipſius adulterij ſignari.]

Nimius fœminarum ornatus libidinem ſubolet.

Taxabiles admodum, qui impudicorum obiectorum imagines ad parietum ornatum exponit.

Laudabilis, qui Sanctorũ medallia è cingulo appendit.

Vberum denudatio & monilium à collo ad eadem appenſio ſigna ſunt libidinis.

Verſ. 3. 4. Ne forte expoliem eam nudam, &c. Ni reſipiſcat, eam ſinam in primam infantiæ ſuæ miſeriam, qua afflicta fuit in Ægypto, deuolui: vbi paupercula, abiecta, carens Rege, ac religione ſub Pharaonis tyrannide infelicem vitam trahebat. Pari modo iam permittam eam ab Aſſyriis ſpoliari. Vt in eam ſpeciem & ſqualorem adducatur, quam habet regio quæ à nemine calcatur, quia ſterilis eſt, neque à nubibus aliquod accipit incrementum. Haud aliter eam ſiti extinguam, efficiens, vt nihil in ea ſucci, aut viriditatis relinquatur. *Et filiorum illius non miſerebor, &c.* Filiorum eius miſererer, ſi deprehenderem innoxios, vt ſæpe promiſi (*Ezech.* 18. 20) ſed iam eorum minimè miſerebor; quia idololatrij ipſi addictiſſimi impiiſſimam matrem imitantur.

Verſ. 5. Quia fornicata eſt mater eorum confuſa eſt, &c. Illorum mater turpi ſe fornicatione fœdauit, & illam ſubiit ignominiam, qualem quæ alterius petulantiæ ſuccumbens ſubire aſſolet. In quod libidinis meretriciæ inſtitutum induxit vana ſpes, qua ſibi perſuadebat habere ſe, habituramque deinceps ab amatoribus non ſolum ad vitam neceſſarios, ſed & ad luxum magnificos, ac liberales ſumptus. * O ſtultiſſimum mentis errorem. Tam arcta, tam exigua eſt meretricij inſtituti merces, vt vix vnius, ſeu alterius diei neceſſario ſumptui ſufficiat.] Sic itaque ſecum veſana meditabatur: Perpetuò meis amatoribus adhærebo; à quibus panem & aquam ad vitæ ſubſidium: lanam, & linum ad corporis ornamentum, & cultum accepi: à quibus habeo potum, vt reficiar, & oleum ad formæ nitorem, & ad corporis fomenta. * Hæc meretrix illa falſo putabat, ſe ab amatoribus accepturam. Eſto vera eſſet præſumptio: quid quæſo ad ſumptus alendæ vitæ ſe recepiſſe, aut recepturam aſſerit? *Qui dant panes mihi, & aquas.* Certè panis & aqua ſtricti ieiunij cibus eſt. Hoc ergo ab amatoribus meretrix accipit, nunquam non ſtrictè ieiunare.] Non tamen ignoro, vt literam expediam) in pane & aqua per Synecdochen eſculenta, ac poculenta omnia intelligi ad ſplendidum conuiuium ſolita adhiberi: ſicut in lana & lino omne tegumenti genus comprehenditur. Oleum autem non ſolum eſt, quod ex oliua exprimitur: ſed etiam quod odoriferum eſt, & alio nomine vocitatur vnguentum, quale eſt nardinum,

Quàm exigua ſit meretricij inſtituti merces.

Quàm ſtricta inſtituti meretricij merces.

myrrhi

myrrhinum, Potus verò iam aliquid hîc eſt aliud ab aqua, ſumitur enim pro quacumque potione, quæ arte fit, ſed præcipue pro vino, * Nec enim poterant. Veneris deliciæ ſine Baccho foueri.] Quinam autem ſunt illi amatores? An dij alieni, cum quorum religione vana veram & auitam Iſraël commutauit? An populi Gentilium, quibus ſe Iſraëlitæ religionis communione miſcuerant? Crediderim in amatoribus tam Gentilium Deos, quàm populos contineri Gentilicos: vtriſque enim Gens Iſraëlitis ſeſe in amatorio lectulo commiſcuit: idolis quidem dum illorum religioni ſeruit: populis vero Gentilicis, dum commune cum illis vitæ genus, & religionis formam amplectitur.

Vini vſus fouet libidinem.

Verſ.6. Propter hoc ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, &c. Ne ergo ad amatores procax egrediaris, vias omnes præcludam, murum apponam, ſeu incurſione, & obſidione hoſtili, multiſque calamitatibus te circumualabo: vt ſemitas, quibus ad amatores tuos, id eſt, ad idola, & idololatras Syros, Ægyptios, alioſque tibi cófœderatos Gentiles procurrere ſolebas, iam apertas minimè inuenias. Tales ſpinæ ac maceria tibi erunt Phulbelochus 4. *Reg.* 15.19. Teglatphalaſſar, *ibi. v.* 29. & Salmanaſſar, *cap.* 17.3. qui copiis ſuis vias omnes tibi præcludent tuos ad amaſios procedendi. * Maximum planè Dei beneficium eſt, peccatorem immiſſis laboribus continere, ne præceps ad iniqua procedat.]

Dei magnum eſt beneficiú, peccatorem laboribus continere, ne ad iniqua procedat.

Verſ.7.8. Et ſequetur amatores ſuos, &c. Licet multæ fuerint ad amatores accurrendi viæ, nunquam tamen eos ſibi affectos inueniet: quia ex eorum deſpectu erga illam, idem erit, ac ſi nulla ei via pateſceret. Quare cum laborem ſuum otiuſum eſſe compererit, apud ſe dictitabit: Ad virum, quem mihi prius legitimo colligaui nexu, recurram; illo enim tempore melius mecum, atque felicius agebatur. * Et quidnam felix poteſt euenire peccatori, qui felicitatis auctorem ſibi inimicum delinquendo conſtituit?] *Et hoc neſciuit, quia ego dedei frumentum, &c.* Cum Iſraël ad idolorum cultum quidquid bonorum habuit, tam profuſè contulerit, aut ignorauit plane, aut ignoraſſe affectauit à mea munificentia accepiſſe frumentum, vinum, oleum, vim auri, & argenti magnam, quæ omnia Baal expendit in cultum. * Intolerabilis erga largitatem muneris ingratitudo, acceptis muneribus vti ad illius odium, & offenſionem.]

Nihil felix verè accidit peccatori, Deo ſcilicet inimico.

Magna ingratitudo, accepto munere vti ad dãtis offenſionem.

Verſ.9.10.11. Idcirco conuertar, & ſumam frumentum meum in tempore ſuo, &c. Quare vt tandem agnoſcat, quos in vſus accepta à me munera debeant expendi, reſumam frumentum meum, ac vinum meum, cum eorum vſus magis neceſſarius aduenerit: & linum, ac lanam, queis ſuam ignominiam tegebat, quaſi ab alieno poſſeſſore, cui iniuſtè ſeruiebant, liberabo. * Si eum diuitiis afflueris, vſus eis fuiſti ad ſcelera patranda, & poſtmodùm te inopem aſpexiſti, crede, miſeriam huiuſmodi à delictis eorum habuiſſe.] * Preme verbum. *Et liberabo lanam meam, &c.* Diuitiæ, quæ ad peccandum in obſequium Baal, ſeu diaboli expenduntur, quaſi tyrannicè poſſidentur; vnde Deus ſe illas inquit liberaturum, vel redempturum.] *Et nunc reuelabo ſtultitiam eius in oculis amatorum eius, &c.* Nunc ergò in oculos amatorum eius nempe Gentilium populorum peccata producam, quæ cæca ac inſipiens Synagoga admiſit. Neque vllus erit, qui meorum conſiliorum executionem impediat, aut à mea vindice manu tanti ſupplicij ream abſtrahere valeat. *Et ceſſare faciam omne gaudium eius, &c.* Cum è patria in alienum ſolum extorris exceſſerit, ceſſabit prorſus quidquid feſtiuum fuit. Nulla iam erit antiquarum ſolemnitarum iucunda proceſſio Non redibit Sabbatum poſt ſeptemdialem curſum; neque ineunte menſæ Neumenia: neque feſta alia, quæ legitimo tempore recurrunt. * Agnata quidem eſt animo delinquenti triſtitia.]

Bonorum temporaniorum penuria diuitiis è peccatis ſæpè prouenit. Diuitię à peccatore quaſi tyrãnicè poſſidentur.

Agnata eſt peccatori triſtitia.

Verſ.12.13. Et corrumpam vineam eius, & ficum eius, &c. Vineam, ficum (ſeu omnes fructiferæ arbores) quæ à me (de Hebræorum more) dotis nomine accepit, quæ ipſa impudenter data ſibi aut putabat, aut fingebat ab adulteris ſibi fuiſſe collata: prorſus corrumpam aut ſciſſa, aut areſacta radice: eóque redigam vt nihilo ſit ſylua, aut ſolitudine melior: quam immundæ ac ſylueſtres feræ populabuntur. Vt radicitus euulſa vinea, nulla iam annorum proceſſu fructuum adſit illi ſpectatio. Extremam hic Deus inopiam Synagogæ ingratæ minatur. *Et viſitabo ſuper eam dies Baalim, &c.* Tunc dabit pœnas illa pro diebus, quibus ſolemnia Baalim inſtituit, diis ſcilicet alienis, quo ritu Gentilico fuit venerata, Et vt ab eis velut ab amatoribus gratiam iniret, in auribus monilibuſque, & aliis meretriciis lenociniis ornabatur, neque magis mei recordationem gerebat, quàm ſi nullas a me delicias, nulla munera vnquam recepiſſet.

Verſ.14.15. Propter hoc ecce ego lactabo eam, &c. Quoniam autem ſatis pœnarum, ac dedit dabit bonis ſpoliata, & ſuis etiam amatoribus facta ludibrio; ideò blanditiis verè amantis animi eam ad ſtatum antiquum, ac coniugale fœdus reuocabo. Ideò (quod Solemni Iudæorum ritu fieri aſſolet in nuptiarum ſacris) ducam illam in ſolitudinem, vnde in geniali ferculo in Vrbem noui coniuges reducantur: & inibi blandis, ac amatoris verbis animi ſolabor ægritudinem, & meam in eam beneuolentiam explicabo. * Illa expende verba: *Propter hoc,* id eſt, quia tanta erga me ingratitudine afficitur adultera coniux, *ducam eam, &c.* ſeu ad feliciſſimum antiquum ſtatum reuocabo. Tanta etenim Deus diffluit pietate vt ex ſumma hominum ingratitudine anſam ad ſummam miſericordiam arripere videatur.] *Et dabo ei vinitores eius ex eodem loco, &c.* Chaldæus pro *vinitores Gubernatores ſcripſit.* Sicut olim vineæ meæ. ſeu Synagogæ ex Ægypto procedenti dedi cultores (ſiue Gubernatores) Moyſen, Aaronem, Ioſue: ita eidem ex Aſſyria reducti dabo Eſdram, Nehemiam, Zorobabelem, Aggæum, Malachiam, &c. Et tempore Chriſti Apoſtolos, Euangeliſtas, alioſque Paſtores, ac Doctores *ex eodem loco*, ſeu ex eadem ſtirpe Iſraëlitica. Ex hac quippè educti fuere Eccleſiæ Chriſtiani primi Præſules, quibus poſteà ex Gentibus aſſumpti ſucceſſere, vti Iſaias *cap* 61. 5. futurum prænunciarat. Dabo quoque eidem ſponſæ meæ *vallem Achor*, amœnam, ac fœcundam, ſed Achani ſacrilegio fœde turpatam: poſt illud tamen ſcelus

Videtur Deus è ſumma hominũ ingratitudine anſam ad ſũmam miſericordiam arripere.

iuſto expiatum ſupplicio, facta eſt eadem vallis omnis victoriæ, ac felicitatis Iſraëlis initium. Egreſſis autem è Chaldæa Iſraëlitis, erit hæc ipſa vallis ad aperiendam ſpem nouæ perpetuæque ſalutis, ac proſperitatis omnibus obuenturæ. At tempore Chriſti Iudæa (cuius typus, imò pars eſt hæc vallis Achor) per Romanos exciſa, etſi Iudæis triſte, Chriſtianis tamen lætum erit omen, & initium amplioris victoriæ, & ſalutis per orbem vniuerſum obtinendæ. * Vallis quidem Achor à villa Gethſemani vſque ad Golgotha ducitur, & ſignificat *turbationem*. Innuitur, Chriſti Domini turbationem paſſionis ianuam nobis ad æternam felicitatem aperire.] * Quod ſi Vallis Achor etiam ſonat *humiliationem*, & *tribulationem*: edocemur, labores pœnitentibus ianuam eſſe ſpei, & victoriæ ac ſalutis initium.] Et canet ibi epinicion ſimile ei, quod regreſſa de Ægypti captiuitate exultans cecinit.

Paſſio Chriſti ianuam nobis ad ſalutem reſerauit.

Tribulationis labor pœnitentibus ſpei, victoriæ, ac ſalutis initium.

Verſ. 16, 17. *Et erit in die illa, ait Dominus: vocauit me, Vir meus: & non vocabit me vltra, Baali.* Profectò eo tempore, cum ad fidem, & thalamum, e quo prius ceciderat, redieris, vocabit me אישי *iſi*, id eſt, *O vir meus*, non autem בעלי *baali*, id eſt, *O Domine mi*. Nam licet Baali nihil ſignificet indecorum: quia tamen cum Baal, quem ante coluit, aliquid vel ex ſono habet affine: nomen illud quia mihi ingratum & odioſum ipſa volo quoque vehementer hortere. * Ex peccati baratro exſurgens (maximè ex luxuriæ voluptatibus) nihil re, aut voce retineas, quod poſſit tuæ memoriæ voluptatis prælapſæ illectamenta obiicere.] *Et auferam nomina Baalim de ore eius, &c.* Efficiam, vt in illius ore nomina Baalim nunquam audiantur: neque in illius mentem eorum vnquam recordatio vel leuiſſima redeat. * Vel à leuiſſimis in materia luxuriæ piaculis abſtine, ſi ſtudeas caſtitatem perſiſtenter amplecti. Veniale enim peccatum faciliùs in hac materia, quàm in aliis ad grauiora diſponit ob hominis fragilitatem, & innatam ad voluptates inclinationem.]

E luxuriæ baratro emergens nihil retineas, quod voluptatis prælapſæ recordemur.

In materia luxuriæ à leuiſſimis piaculis abſtinere ſtudioſiùs, quàm in aliis procurandum.

Verſ. 18. 19. 20. *Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum beſtia agri, &c.* Vt prius cum à fide defecit Iſraël illi me hoſtem oſtendi creaturas omnes in eius excitans exitium: ſic cum in priſtinam fidem, ac thalamum pœnitens ſponſa redierit, omnem creaturarum impetum ab eius incommodo retraham: neque patiar illius finibus ab hoſtili ferro aliquid perturbationis inferri: ſed omnia ſic reddam ei ſecura, vt placidè valeat ſomnum docere. * Felix hîc gratiæ ſtatus innuitur ab omni perturbatione alienus.] *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, &c.* Eriſque ô Synagoga rurſus ſponſa mea vſque dum repelles mea Saluatorem, & ſponſum. Sed tunc potiorem tui partem mihi deſponſatam retinebo: faciámque illam Eccleſiam meam, à qua æternùm minimè diuellar. Deſponſabo autem eam mihi quadruplici dote. Primò, *iuſtitia*, quâ te, tuâque perpetuo tuebor. Secundò, *iudicio*, quo aduerſarios tuos acriter puniam. Tertiò *miſericordia, & miſerationibus*, ſeu miſericordia ex viſcerali commiſeratione profecta (eſt hendyadis) Quartò *fide*, ſeu fidelitate. His quatuor virtutibus ſponſi thalamus, & Dei thronus fulcitur.

Gratiæ ſtatus ab omni alienus perturbatione.

Verſ. 21. 22. *Et erit in die illa: exaudiam, &c.* Ne tibi deſint commoda, quæ tibi in data fide conſtanti promiſi faciam, vt res etiam inanimes, tuis commodis inſeruiant, de tua ſint commoditate ſollicitæ. Quare clamabunt aërei cœli, vt ipſis impertiar pluuiales aquas, quas in agros ſitientes profundant: quorum clamores ego non inuitus exaudiam. Clamabit ad cœlos terra cum laborat ſiti, & eius vocibus obſecuti cœli largis facient eam imbribus ſatiari. *Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum: & hæc exaudient Iezrahel.* Cum autem fruges ſuccum à terra trahant, ſicut à matre fœtus: fameſcentes, aut ſitientes ad eam clamabunt, vt ſibi ad vitam, & incrementum neceſſaria exhibeat: & illa ſe eorum votis ex rore à cœlis accepto obſequentem oſtendet. Neque minùs hæ fruges opimæ ex irrigatione *Iezraelis*, id eſt, afflicti populum votis acquieſcent.

Verſ. 23. 24. *Et ſeminabo eam mihi in terra: & miſerebor eius, quæ fuit abſque miſericordia.* Denique populum, quem in filia *lo Ruchama*, id eſt, *Abſque miſericordia ſignificari dixi*, quamque à patriis finibus longè diſperſi: in ſua rurſum regione collocabo: & miſerebor illius populi, quem à mea benignitate repuleram. *Et dicam non populo meo: Populus meus es tu: & ipſe dicet: Deus meus es tu.* Rebus autem ea ratione conſtitutis, populum te meum vocitabo, quem meum eſſe populum antè negaueram. Viciſſim tu me Deum appellabis tuum, quem eſſe me Deum antè negaſti. * Hinc diſces, populum, qui tot flagellis percuſſus adhoc ſuæ hæſerat pertinaciæ ad Deum hiſce affectum promiſſionibus ſupplicem rediiſſe. Sæpè enim ſubditus facilius Præſulis benignitate, quàm duritie ad meliora reducitur.]

Faciliùs ſæpè ſubditus Præſulis amore, quàm rigore ad meliora adducitur.

CAPVT

CAPVT III.

Oſeas iubetur, adulteram in domum ſuam deducere, cum eâque paciſci, vt ſeorſim à coniuge ſuo, & procul ab adulteris quaſi celeps domi deſideat vt miſerum Iſraëlis ſine Deo, ſine idolis, ſine lege, ſine Rege manſuri, repræſentet ſtatum.

1. ET dixit Dominus ad me: Adhuc vade, & dilige mulierem
dilectam amico & adulteram: ſicut diligit Dominus filios
Iſraël, & ipſi reſpiciunt ad deos alienos, & diligunt vinacia
vuarum. 2. Et fodi eam mihi quindecim argenteis, & co-
ro hordei, & dimidio coro hordei. 3. Et dixi ad eam: Dies
multos expectabis me: non fornicaberis, & non eris vi-
ro: ſed & ego expectabo te. 4. quia dies multos ſedebunt
filij Iſraël ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod,
& ſine theraphim. 5. & poſt hæc reuertentur filij Iſraël, & quærent Dominum
Deum ſuum, & Dauid regem ſuum: & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius,
in nouiſſimo dierum.

COMMENTARII.

1. *Emit Propheta adulteram fœminã in mancipiũ, Deo iuſſa.*

VERS. 1. *Et dixit Dominus ad me: Adhuc vade, & dilige mulierem dilectam amico, &c.* Adhuc præter Gomer, (de qua ſuprà) aliam fœminam dilige amico, id eſt, marito dilectam. * Maritus enim per antonomaſiam dicitur vxoris amicus. Vt innuatur, totum mariti amorem eſſe in ſola coniuge collocandum: debereque vnius vxoris eſſe virum.] Aliam, inquam, fœminam dilige marito dilectam, ſed tamen adulteram, & à marito profugam, quo poſſit liberius libidini indulgere. * Exaggeratur delictum vxoris, quæ dilecta à marito, alium expetit amatorem.] Dilige, & eme tibi non in vxorem, ſed in ancillam, vt domi tuæ quaſi celebs latitet, donec poſt aliquot annos ad maritum ſuum reuocetur. Hic amicus, ſeu maritus Iſraëlis eſt Deus, qui eam tenerrime diligit, & illi tamèn fœdiſſimis ſe polluunt adulteriis, deflectentes ad deos alienos, & relictis vuis præſtantiſſimis, vinoque nobiliſſimo, quo domi mariti ſui potabantur, appetunt *vinacia*, ſeu aridos, & exſuccos vuarum folliculos, qui in torculari expreſſis vuis vinoquè exhauſto ſuperſunt.

Totus mariti amor in ſola coniuge collocandus.

Exaggeratur delictum vxoris, quæ dilecta è marito alium admittit amatorem.

Verſ. 2. Et fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei. Pro *fodi* Syrus habet emi. LXX. *mercede conduxi.* Emi, aut conduxi eam quindecim argenteis ſeu quindecim argenti ſiclis, & ſeſqui coro hordei pro annua eius ſuſtentatione. Sexqui corus autem continebat quadraginta quinque modios Hebræos, qui ferè quadraginta & octo modiis Romanis æquiualent. Porrò hordeaceus panis cibus erat ſeruorum. * Aptè quidem fæminæ impudicæ hordeaceus cibus præparatur. Vitium enim luxuriæ homines in bruta conuertit.] * Si autem miraris, mancipium quindecim argenteis, viliſſimo planè pretio coëmi: recordare, fœminam impudicam adeò à cordatis deſpici; vt nullius eſſe valoris, aut æſtimationis iudicetur.]

Luxuria homines vertit in bruta.

Fœmina impudica nullius eſſe pretij iudicatur.

Verſ. 3. Et dixi ad eam: Dies multos expectabis me, &c. Quatuor huius conductionis pacta recenſentur. Primum eſt, Dies multos, ſeu annum integrum expectabis me, ſiue iuſſa mea, Hebr. *Sedebis mihi:* mihi deſeruies, inſtar ſtrenuæ ac fidelis ancillæ. Secundum, Non fornicaberis, nec alienis toro eo tempore commiſceberis. Tertium, Et non eris viro ſeu proprio marito tuo colliganda. Quartum, *Et ego expectabo te*, vt poſt finem anni purgatam, ac pœnitentem te marito conciliem, ac reſtituam.

2. *Verſ. 4. Quia dies multos ſedebunt filij Iſraël: ſine Rege, &c.* Iam præfata Iſraëli Propheta accommodat. Quæ huc vſque (ait) præmiſi Iſraëlitici populi euentus enunciant. Quia abductæ decem Tribus in Aſſyriam, dies multos, ſeu vſque ad mundi terminum ſedebunt deſolati, ac diſperſi, afflictique ſine Duce, ſine ſacrificio, ſine ephod Sacerdotali, & ſine *theraphim*, hoc eſt, ſine idolorum ſimulacris, maximè verò Larium, ſeu Penatum. (Hæc enim paſſim in Scripturis per *theraphim* *ſignificantur.*) Ac ſi diceret, erunt ſine vero Deo, & ſine Laribus ac Penatibus ſuis, quibus aſſueuerunt, nempe ſine vitulis aureis, Serapide, & Baal.

Præfata Iſraëli Propheta accommodat.

Verſ. 5. Et poſt hæc reuertentur filij Iſrael, &c. Poſtquam diu gens illa in exilio adultera conſederit à ſui ſponſi complexu, & indulgentia molliori diſtracta reuertetur, quæretque in ſuo domicilio & quaſi connubiali ſeceſſu Chriſtum Dominum, qui è Dauidico ſemine propagabitur. Quem ſumma reuerentia quaſi pauens, & attonita præ magnitudine beneficij

beneficij proſequetur, donata ſcilicet ab eo Spiritus ſancti muneris, ac præcipuè bono illo, quod per antonomaſiam *Bonum* appellatur, nempe ſacerrima Euchariſtia, de quo Zach. 9. 17. *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Sed hæc non accident Iſraëli niſi ſub mundi finem, quando extincto, cui tanquam Meſſiæ ſuo adhæſerat, Antichriſto, perſpectis illius dolis, à ſuo errore reſiliet, & ad Chriſtum ſuum verum ſponſum conuertetur: & ſic (vt præfatur Apoſtolus Rom. 11. 26. *Omnis Iſrael ſaluus erit*: & omnes Orthodoxi æterna felicitate donabuntur. * Quàm dura, quàm pertinax Gens Hebræorum, quæ mundi terminum vſque in ſui Meſſiæ expectatione perſiſtet incredula!]

Pertinax admodum Hebræorum Gens.

CAPVT IV.

Cur vindex Dei manus adeò in Iſraëlis decem Tribus deſæuitura ſit, cauſas Oſeas recenſet.

1. AVDITE verbum Domini filij Iſraël, quia iudicium Domino
cum habitatoribus terræ: non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. 2. Maledictum,
& mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium
inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. 3. Propter
hoc lugebit terra: & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in
beſtia agri, & in volucre cæli, ſed & piſces maris congregabuntur.
4. Verumtamen vnuſquiſque non iudicet: & non arguatur vir: populus
enim tuus, ſicut hi qui contradicunt ſacerdoti. 5. Et corrues hodie, & corruet
etiam propheta tecum: nocte tacere feci matrem tuam. 6. Conticuit populus
meus, eò quòd non habuerit ſcientiam: quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne
ſacerdotio fungaris mihi: & oblita es legis Dei tui, obliuiſcar filiorum tuorum &
ego. 7. Secundùm multitudinem eorum ſic peccauerunt mihi: gloriam eorum in
ignominiam commutabo. 8. Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum
ſubleuabunt animas eorum. 9. Et erit ſicut populus, ſic Sacerdos: & viſitabo
ſuper eum vias eius, & cogitationes eius reddam ei. 10. Et comedent, & non
ſaturabuntur: fornicati ſunt, & non ceſſauerunt: quoniam Dominum dereliquerunt
in non cuſtodiendo. 11. Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.
12. Populus meus in ligno ſuo interrogauit, & baculus eius annunciauit ei: ſpiritus
enim fornicationum decepit eos, & fornicati ſunt à Deo ſuo. 13. Super capita
montium ſacrificabant, & ſuper colles accendebant thymiama; ſubtus quercum,
& populum, & terebinthum, quia bona erat vmbra eius: Ideò fornicabuntur filiæ
veſtræ, & ſponſæ veſtræ adulteræ erunt. 14. Non viſitabo ſuper filias veſtras
cùm fuerint fornicatæ, & ſuper ſponſas veſtras cùm adulterauerint: quoniam ipſi
cum meretricibus conuerſabantur, & cum effeminatis ſacrificabant, & populus non
intelligens vapulabit. 15. Si fornicaris tu Iſraël, non delinquat ſaltem Iuda: & nolite
ingredi in Galgala, & ne aſcenderitis in Bethauen, neque iurauerítis: Viuit Dominus.
16. Quoniam ſicut vacca laſciuiens declinauit Iſraël: nunc paſcet eos Dominus,
quaſi agnum in latitudine. 17. Princeps idolorum Ephraïm, dimitte eum.
18. Separatum eſt conuiuium eorum, fornicatione fornicati ſunt: dilexerunt efferre
ignominiam protectores eius 19. Ligauit eum ſpiritus in alis ſuis, & confundentur
à ſacrificiis ſuis.

COMMENTARII.

1.

Cur Deus ſic iratum ſe Iſraeli oſtentaturum Propheta recenſet.

VERS. 1. *Audite verbum Domini, filij Iſrael, &c.* Audite ô decem Iſraëliticæ Gentis Tribus Dei meo ex ore querelas. Habet enim Deus, quod in iudicio, & pro tribunali iuſtè vobiſcum expoſtulet. Non eſt in terra Iſraël fidelitas, qua pacta, ac promiſſa ſeruentur, ſeu Deo, ſeu proximis: exulat quippè *veritas*. * Abominabilis quidem Deo, qui vota ei emiſſa, & hominibus factas violat promiſſiones.] Non eſt erga egenos, & pauperes, *miſericordia*. Vnde criminum patratores non habent, vnde Dei hebetent iram. * Eleemoſyna etenim vindicem Dei impetum pauperum precum clamore retardat.] *Dei* autem ne *ſcientia* quidem, maximè practica, qua eum vera fide cognitum æſtimet, reuereatur, eius obſeruatione mandatorum. *Qui enim dicit, ſe noſſe Deum,*

Abominabilis Deo, qui vota ei emiſſa, & promiſſionem homini factam non implet.

Eleemoſyna Dei vindicē impetum inope qui eam accipit, exorante retardat.

Qui Dei mandata nõ ſeruat, ſe eũ haud noſſe teſtatur.

Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. 1. Ioan. 2. 4. Quomodo credam te noſſe Deum, quem tam facile delinquendo contemniſ?]

Verſ. 2. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, &c. Sic maledictum ſeu conuicium, & contumelia, ſic mendacium, furtum, homicidia, & adulteria compleuêre Ciuitates, publicoſque conuentus, vt inſtar fluminis, quod ripas excedens, latè campos inundat: ſic ipſa vbique locorum in omni hominum conditione latè graſſantur. * Sicut magna vi aquæ è nubibus profluente elluuium efformatur, quo auelluntur proceres arbores, pontes concutiuntur, euertuntur domus: ſic communitatis publica flagitia perimunt Vrbes, Regna afferũt ad exitium.] *Et ſanguis ſanguinem tetigit.* Continens eſt peccandi filum, neque vllum tempus à peccando intermittitur: aut nullus tam abditus eſt locus, tam publicus, tã religioſus, quem non inũdet delictorum immenſa proluuies. Eſt quidem hæc prouerbialis forma, qua ſignificamus aliquid eſſe perpetuum, & nunquam interruptum: ita vt laborem labor, & calamitatem calamitas contingat. Sic apud Senecam in Hercule furente Megara,

Peccata publica Vrbes euertunt, Regna afferunt in exitium.

——— Nulla lux vnquam mibi ſecura
fulſit; finis alterius mali
Gradus eſt futuri.

& Martialis lib. epig. 16.

Expectant curæque, catenatique labores.

Vt ergò catenati dicuntur labores, & curæ, quia ſibiipſis continenter ſuccedunt: ſic etiam catenata, ſibique ipſis connexa dici poſſunt flagitia; quia vnum continuò excipit alterum, & aliis, atque aliis ſine intermiſſione contextis longum, & continens filum trahitur.

Verſ. 3. Propter hoc lugebit terra, &c. In pœnam igitur tot, tantorumque ſcelerum *lugebit*. Chald. *vaſtabitur, & deſolabitur*, omnis terra Iſraël: & omnes eius habitatores fame conficientur, *in*, id eſt, cum beſtiis agri, & cum cœli volucribus, æquoriſque piſcibus: quæ quidem omnia ad eundem mortis aceruum congregabuntur. Chald. *Deficient, & morientur.* * Sic Deus ſolet hominum impiorum, qui terra, & aqua, volucribus, iumentis, & piſcibus abutuntur, luxum ſterilitate punire.]

Deus ſterilitate punit luxum peccatorum, qui ad eum creaturis abutuntur.

Verſ. 4. Verumtamen vnuſquiſque non iudicet, &c. Cum igitur (ait Dominus) ô Oſea, eo ſit infelix populus adactus vt inſtar inſanientis ægroti omne reſpuat medicamen: nemo illum aut doceat, aut arguat; quia in illo ſiue ſanando, ſiue inſtruendo oleum perdet, & operam. Sunt enim tui Iſraelitæ eorum ſimiles qui Sacerdoti contradicunt, neque illius iudicia verentur: quibus ideò à lege iudicium capitale decernitur. * Vt exaggeret Deus Iſraelis peruerſitatis, atque malitiæ cumulum, eos comparat ei, *qui Sacerdoti contradicit*, aut non reueretur. Vt ſcilicet innuat, grauiſſimum piaculum eſſe, grauem irreuerentiam ſtatui Sacerdotali inferre. Qui ergo Sacerdotem grauiter offendit omnis malitiæ cumulum quodammodò attingit.]

Qui grauem irreuerentiã Sacerdotali infert ſtatui malitiæ cumulum quodammodo attingit.

Verſ. 5. Et corrues hodie, &c. Ergo ô popule inſipiens, cades ab eo nomine, quod dignitatis plenum olim habuiſti: cades à patria, & libertate ſimul cum Prophetis, quorum falsâ fuiſti promiſſione deceptus. Neque in ſummo dolore matri tuæ Synagogæ conqueri, aut lacrymari impunè licebit. * Cùm tamen in aduerſa fortuna lacrymæ ſolent eſſe laborantis animi conſolatio.]

In aduerſa fortuna lacrymæ ſunt patientis ſolatium.

Verſ. 6. Conticuit populus meus, eo quod non habueris ſcientiam, &c. Quod autem populus tacere cogatur, neque ſuam liberè deplorare miſeriam, ideo eſt, quia ſcientiam non habuit veram, eam ſcilicet, quæ mores componit. * Quantumcumque enim quis polleat Sapientia, ſi animi morbos neſcit depellere, omninò eſt inſipiens.] Et quia tu ô Gens, quæ ex Leuitico genere decem Tribus es ſecuta, & vitulis aureis, variiſque Gentilium ſimulacris Sacerdotalem operam nauaſti; repelleris à me, ne vnquam in Templo meo Sacerdotali mihi miniſterio fungaris. * Profectò Sacerdos, qui Veneris idolo, ſeu libidini litat obſequium, indignus planè eſt, qui Agni immaculati offerat ſacrificium.] Et quia tu, ô Iſraël, obliuioni præſcriptam à me legem tradidiſti: ego quoque tuorum obliuiſcar filiorum, diræque à barbaro hoſte iactari permittam.

Inſipiens eſt Sapientiſſim quiſqs ſi mores componere neſcit.

Sacerdos deliciis ſtudens altari non hæreat.

Verſ. 7. 8. Secundum multitudinem eorum, ſic peccauerunt mihi. &c. Quò magis aucti beneficiis, ac numero Sacerdotes, eò magis in me, iteratis ſceleribus, iniurij fuerunt. Vnde cum in benefactoris iniuriam beneficia conuerterint, efficiam, vt pro gloria, qua prius potiti ſunt, eximia, ignominia ſuccedat. *Peccata populi mei comedent, &c.* Eò ſpectant Sacerdotum ſtudia, vt oblationes, quæ ab aliis frequenter pro peccatis litantur, ſuæ commoditati, ac lucro accommodent: & dum ſacrificiis illis offerentium animas à peccatorum ſordibus dicunt expiari, ſpe tam facilis, ac quotidianæ expiationis, eorum peccata magis ac magis alunt, atque confirmant. * Hos planè Sacerdotes imitantur confeſſarij nimium faciles ad abſolutionem pro grauibus ſceleribus, leui Satisfactione iniuncta, impertiendam. Qua quidem facilitate non tam eluuntur, quàm aluntur piacula.]

Confeſſarij nimium faciles ad abſoluendum non tam diluunt quàm alunt peccata.

Verſ. 9. 10. Et erit ſicut populus, ſic Sacerdos, &c. Quia idem Sacerdotum ac popularis turbæ viuendi genus: idem etiam erit ſupplicij modus. Eorum enim vitam ſeuero iudicio condemnabo: & qualia in alios exitialia quidem gerebant, talia in illos infortunia colligabo. * Quidquid proximo incommodi intuleris, ſuprà tuum caput à Domino conuertetur.] *Et comedent, & non ſaturabuntur, &c.* ſtudebant illi, vt furtiuis opibus animum ſatiarent: non tamen, vt famem impleant, aſſequentur; quia ſpirituali fornicatione cum idolis impio ſe concubitu miſcuere: neque dum animum habent ab ea metaphorica libidine alienum: in quam ideò ſunt tam intemperanter proiecti, quia à Dei mandatorum obſeruatione receſſerunt. * Illud preme: *Comedent, & non ſaturabuntur.* Furtiuus enim cibus minime ſatiat. Inutile enim poſſeſſori eſt, quidquid iniquè acquiritur.] Et illud: *Fornicati ſunt, & non ceſſauerunt.* luxuriei enim vitium tantæ eſt inhærentiæ, vt difficillimè ab homine pellatur.] * Aptius dixerim, *Non ceſſauerunt* fornicari, ſeu replicare delicta, quia Deum dereliquerunt *in non cuſtodiendo* eius præſcripta. Aſ-

Quiſquid proximo incommodi intuleris in caput tuum à Domino cõuertetur.

Inutile eſt poſſeſſori quicquid iniquè acquiritur.

Luxuriei vitium difficilè ab homine pellitur.

Permittit Deus peccatores replicare delicta, vt vnum peccatum alterius ſit pœna, horribile planè.

ſolet enim Deus in criminum ſupplicium permittere, vt in alia & alia excidát peccatores. Replicatis enim delictis magis ac magis flamma tartari accreſcit.] Illud denique pondera: *Et erit ſicut populus, Sic ſacerdos.* Errore enim ouium error Paſtoris indicatur. Praui ciuium mores indicant ſacerdotum in docendo, & in exemplum exhibendo deſidiam.]

Ex ciuium moribus ſacerdotū mores colliguntur.

Verſ. 11.12. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Hanc verò inſaniam populi fornicatio inuexit, quæ eius cor euertit, tanquam ſi homo à vino, & ebrietate totus incaleſceret. *Vinum,* ait, *& ebrietas*; quia vinum quis poteſt haurire, & non incurrere ebrietatem. Vt innuat libidinem non ſolùm ex ebrietate, ſed ex vini immoderato vſu accendi.] *Populus meus in ligno ſuo interrogauit, &c.* Populus meus tanta laborabat cæcitate, vt negligens me Deum viuum conſulere conſuluit lignum ſuidum, & mortuum: & baculus eorum eis rogantibus reſponſum præbuit. Porrò baculus vna ex parte decorticatus, & in altum eiectus ſi primo caſu latus decorticatum appareret, & ſecundo caſu latus veſtitum: proſperum eis ſucceſſum pollicebatur; ſin contra minabatur aduerſum, ſi autem vtroque iactu vel nudatum, vel veſtitum latus oſtenderetur: mixtum, dubiumque euentum prænunciabat. En perſpicuum Iſraëlis dementiæ indicamentum, quid fortuito iactuit & caſui baculorum quaſi diuino oraculo fidem haberent. Nec aduerterent, ſpiritum fornicationis illius, ſeu idololatriæ, vel Dæmon ei fornicationi promouendæ inuigilans eos hac via deciperat, vt ſic eos ad fornicandum à Deo ſuo, ſeu ad recedendum à vero ſponſo pertrahat.

Luxuria non ſolum ex ebrietate, ſed ex immoderato vini vſu accenditur.

Verſ. 13.14. *Super capita montium ſacrificabant, &c.* Illo itaque ſpiritu metaphoricæ fornicationis abrepti in montium faſtigiis, & locis nemoroſis idolis aromata adolebant: eligentes quercus, terebinthi, ac populi vmbraculum, quod innoxium eſſe putabant. Ideò filiæ veſtræ materiali fornicatione, cum captiuæ ab Aſſyriis abducentur, defœdabuntur, Aſſyriis pro libito eis abutentibus. Vt filiarum veſtrarum fornicationes, & adulteria ſint vobis ſpiritualis fornicationis in ſupplicium. Peccata enim parentis, vel mariti aſſolet Deus punire, permittendo, filiam, vel vxorem infami libidine deturpari.] Non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fuerint fornicatæ: & ſuper ſponſas veſtras, cum adulterauerint: quoniam ipſi cum meretricibus conuerſabantur, & cum effeminatis ſacrificabant: & populus non intelligens vapulabit. Non puniam filias veſtras, nec impediam ſcortatores qui eas violant, quia vos ipſi perpetuo fornicamini non modo cum meretricibus, ſed & cum effeminatis, ſeu ſcortis maſculis conſecratis Priapo, aut Veneri, aut Baali, aut Aſtaroth. Vnde tanta vos capit dementia, vt exiſtimetis idem eſſe turpiter cum eis effœminatis cōmiſceri, ac diis eis inanibus, quibus illi ſacrati ſunt, ſacrificia litare. Sic explico verbum illud: *Cum effeminatis ſacrificabant.* * Illud expende: *Non viſitabo ſuper filias veſtras,* id eſt, haud eas, illato ſupplicio, à libidine retraham. Magnum Dei irati ſignum eſt, peccatori permittere habenas laxare, non emiſſa, dum delinquit tribulatione, quæ ſolet cum à delictis retrahere.] Illud autem ſine pondere non prætereat: *Non viſitabo filias veſtras quoniam ipſi cum meretricibus conuerſabantur.* Ac ſi diceret: Nec immiſſis laboribus, curabo filias Iſraëlitarum ab impudicitia retrahere, cum parentes earum impudicitiæ operam impendant. Adeò enim forte eſt prauum parentum exemplum, vt filios ad eandem attrahat prauitatem: vt nec immiſſis laboribus, qui fortes ſolent eſſe ad alios peccatores reducendos, inſufficientes quodammodo ſint ad filias abſtrahendas ab actionum paternarum imitatione.]

Ob peccata parentis, vel mariti, permittit aliquā dò Deus filiam fornicatione, ſponſam adulterio fœdari.

Magnum Dei irati ſignum eſt, dū permittitur peccator impune peccare, non immiſſo labore, qui ſolet eum à delictis retrahere.

Fortiſſimum eſt prauum parentum exemplum, vt attrahat filios ad eorū imitationem.

Verſ. 15.16. *Si fornicaris tu, Iſrael, non delinquat ſaltem Iuda: &c.* Quod ſi tu ô decem Iſraël Tribus, obſtinatè decreueris in fornicationibus, ſeu idolorum cultu perſiſtere ne peſtis hæc in Iuda ad duas primarias Tribus ſerpat Templo, pontificatu, ac ſpeciali Dei præſentia decoratas: nolite ô Iudæi vos ad idola locata in Galgalis ingredi, nec ad Bethauen *domum iniquitatis* (ſic Hebraicè conſcendere.) * Ipſe enim profanitatis locus, domus ipſa libidinis ſolet homines ad libidinem, quæ inibi exercetur, attrahere.] Neque iuraueritis per vitulum tribuendo ei nomen *Iehoua*, ſeu Dei, dicendo de eo, *Viuit Dominus*, ſeu *Iuro per hunc Deum* tanquam per primam, increatam, ac infallibilem veritatem, qui quidem eſt Latriæ actus. *Quoniam ſicut vacca laſciuiens declinauit Iſrael, &c.* Cauete ergo vobis ô Iudæi ab Iſraëlitis tam conſuetudine, quàm exemplo. Quia ille tanquam iuuenca indomita, quæ à pingui pabulo, in quo ſaginatur, & laſciuit, abduci non poteſt, ad Gentium idola declinauit. Sed interim dum Iſraëlitæ vberrimis vagantur, ac paſcuntur in agris; tenera ſaginantur à Domino non aliter quam agni ad macellum aluntur. * Cum videris peccatores bonis abundare fortunæ, quibus abuſi omne ſtudium deliciis impendunt: noli eorum felicitati inuidere: fortè enim miſeri ad macellum tartareum ſaginantur.]

Frequentare domum vbi viget libido ſolet homines ad libidinem pellicere.

Ne inuideas peccatorum temporariæ felicitati, quā fortaſſe ad macellū tartari ſaginantur.

Verſ. 17.18.19. *Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum.* Noli, ô Iuda, cum Ephraim, ſeu decem hiſce Tribubus aliquid inire commercij, ne mores tuos illius conſuetudo corrumpat. Sic enim idolis adhæſit, vt illorum ingenij particeps, in eandem cum illis naturam abiiſſe videatur. * Hæc eſt etenim probi, aut improbi ſocij vis, eum, qui illi hæreſcit, quo ad morum exercitamenta in eandem veluti naturam efformare.] *Separatum eſt conuiuium eorum, &c.* Loco Gentilium ô Iudæi, Iſraëlitas habetote, ideóque cum eis menſam communem non habeatis. Ex aliorum caſu cautelam ediſcite. Nam conſuetudo cum Gentium idolis fecit, vt hi, qui populus Dei olim erant, derelicto cœleſti ſponſo, meretrici idololatriæ totos ſe tradidiſſent. Sacerdotes enim, ac Principes illorum, qui religionis eſſe debuerant *protectores*, in ſordidum cultum veſano conſilio, exemploque induxere. * Cum enim Principes peccati *ignominiam diligunt*, ſubditos facillimè ad eandem ſectandam deducunt.] *Ligauit eum ſpiritus in alis ſuis, & confundentur à ſacrificiis ſuis.* Diſpergentur igitur Iſraëlitæ ingrati velociſſimè, ac variè, perinde atque ſi ventorum pennis eſſent alligati: neque à diis, quos ſtulti coluere, habebunt aliquid præter ignominiam, & confuſionem.

Malus, aut bonus ſocius eum, qui ei hæreſcit, quaſi in eandem naturam efformat.

Principum mores ſubditi æmulantur.

CAPVT

CAPVT V.

Sacerdotes, ac Principes, qui Iſraëlitæ fuerunt in ruinam, ad iudicium vocat. Eis cum Iſraëlitis, imò cum Iudæis qui eorum ſcelera æmulabantur, prædicit excidium.

1. AVDITE hoc Sacerdotes, & attendite domus Iſraël, & do-
mus regis auſcultate: quia vobis iudicium eſt, quoniam la-
queus facti eſtis ſpeculationi, & rete expenſum ſuper Tha-
bor. 2. Et victimas declinaſtis in profundum: & ego erudi-
tor omnium eorum. 3. Ego ſcio Ephraim, & Iſraël non eſt
abſconditus à me: quia nunc fornicatus eſt Ephraim, con-
taminatus eſt Iſraël. 4. Non dabunt cogitationes ſuas vt
reuertantur ad Deum ſuum: quia ſpiritus fornicationum in medio eorum, & Do-
minum non cognouerunt. 5. Et reſpondebit arrogantia Iſraël in facie eius: &
Iſraël & Ephraim ruent in iniquitate ſua, ruet etiam Iudas cum eis. 6. In gregi-
bus ſuis, & in armentis ſuis vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient:
ablatus eſt ab eis. 7. In Dominum præuaricati ſunt, quia filios alienos genuerunt:
nunc deuorabit eos menſis cum partibus ſuis. 8. Clangite buccina in Gabaa, tu-
ba in Rama: vlulate in Bethauen, poſt tergum tuum Beniamin. 9. Ephraim in
deſolatione erit in die correptionis: in Tribubus Iſraël oſtendi fidem. 10. Facti
ſunt principes Iuda quaſi aſſumentes terminum: ſuper eos effundam quaſi aquam
Iram meam. 11. Calumniam patiens eſt Ephraim, fractus iudicio: quoniam cœpit
abire poſt ſordes. 12. Et ego quaſi tinea Ephraim: & quaſi putredo domui Iuda.
13. Et vidit Ephraim languorem ſuum, & Iuda vinculum ſuum: & abiit Ephraim
ad Aſſur, & miſit ad regem Vltorem: & ipſe non poterit ſanare vos, nec ſoluere po-
terit à vobis vinculum. 14. Quoniam ego quaſi læna Ephraim, & quaſi catu-
lus leonis domui Iuda: ego ego capiam, & vadam: tollam, & non eſt qui
eruit. 15. Valens reuertar ad locum meum: donec deficiatis: & quæratis faciem
meam.

COMMENTARII.

1. *Vocat ad iudicium Iſraëlitarum Sacerdotes, & Principes.*

VERS. 1. *Audite hoc Sacerdotes, & attendite domus Iſrael, &c.* Vos, ô Sacerdotes Iſraëlitæ, ipſáque Iſraëlitica progenies, domuſque Regia, Deus aduocat ad iudicium, vt cauſam veſtram audiatis, & meritam damnationis ſententiam. Quia populo veſtræ ſpeculationi, ſeu curæ: & cuſtodiæ commiſſo facti eſtis laqueus ad exitium: illis omninò ſimiles, qui in monte Thabor, qui aucupio abundat & venatione, volucres, & feras in laqueos, aut caſſes inducunt.

Verſ. 2. 3. Et victimas declinaſtis in profundum: & ego eruditor omnium eorum. Veſtro conſilio victimæ, quæ iuxta legis præſcripta in vno tãtùm ſolymitano Templo poterant immolari, diuertiſtis ad aras idolorum in Dan & Bethel: miſerrimum populum. Sic *in profundum* idololatriæ, & in conſequens ea ſcelera exitium. Cumque ego monuerim ſæpè, & ab hoc conſilio voluerim abducere, nihil tamen facti eſtis mea monitione meliores. *Ego ſcio Ephraim, & Iſraël non eſt abſconditus à me, &c.* Probè perſpectum habeo ingenium Ephraim, ſeu Tribus inter vos regiæ: & Iſraël, id eſt, reliquarum nouem Tribuum. (Hic & *verſ. 5.* videtur diſtinguere primates, ac regiam familiam à reliquo populo.) Eſt quidem Ephraim, ſeu regia familia omnis fornicationis genere contaminatus: eſt omnium vitiorum Iſraël, ſeu populus fœdatus proluuie; neque ſi iterum ac ſæpiùs moneatur, prauos mores exuet. * Ad ingenium Principum aſſolent ciuium mores efformari.]

Ad Principum ingeniũ ſolẽt ciuium mores efformari.

Verſ. 4. 5. Non dabunt cogitationes ſuas, vt reuertantur ad Deum ſuum, &c. Adeò ſunt idololatriæ iniquitati hærentes, vt nullum admittant de morum mutatione conſilium. Quia illorum animis myſticæ huius fornicationis inſedit ſpiritus, à quo id habent, vt verum Deum neque curent, nec velint agnoſcere. *Et reſpondebit arrogantia Iſrael in facie eius, &c.* Superbia autem Iſraëlis, quo Deum, ac diuina ſpernit, non eſt opus vt multis probetur argumentis, aut ſignis: Sat *reſpondebit in facie eius,* id eſt, ſat eſt cernere illam in eius vultu. * Relucet enim in oculis, & in ſuperciliis tumidis, & inflatis cordis faſtus, atque ſuperbia.] Qui autem ſuperbos ſibi ſpiritus aſſumpſerat, ignominioſè in luxuriei vtriuſque excidet fœditatem. * Frequenter enim ſuperbia in luxuriam aſſolet exturbari. Vt bellum à ſubiecta carne ſuſcipiat, qui

In facie relucet cordis ſuperbia.

Frequenter ſuperbia flectere aſſolet in luxuriam.

Auctorem ſuum ſuperbiendo contemnit.] Neque meliori in ſtatu erit Iuda, cum iiſdem ſeſe ſceleribus implicuerit.

Verſ.6.7. In gregibus ſuis, & in armentis ſuis, vadent, ad quærendum Dominum, &c. Cùm verò ſcelerum ſuorum cœperint Dei iram vindicem experiri, victimas agnorum, & vitulorum ei offerent, vt reddant placatum. At Deus ſic ab illis animum habebit alienum, ac ſi ſe ab eorum oculis longè ſubduxiſſet, ne eorum videret lacrymas, aut gemitus audiret. * Certum eſt, lacrymas, ac gemitus illos ex pœnitentiæ affectu non prodiiſſe, ſed ex tribulationibus, quibus premebantur dolore. Si enim ex vera fluerent pœnitudine lacrymæ, vnica procul dubio ſufficeret, ad omnia cordis piacula diluenda. Lacrymæ igitur & gemitus Deum non placant ſine interna animi compunctione.]

Lacrymæ & gemitus Deū non placant ſine interno cordis dolore.

In Dominum prævaricati ſunt, &c. Neque hoc ſupplicium graue plus æquo videtur eſſe, quando ipſi tam grauiter deliquere. Nam parentes à Deo, à cultu, à pietate recedentes filios ſimili modo à Deo & religione alienos genuerunt. Porrò reiectos *nunc* ac deſertos, id eſt, iam iam cum omnibus partibus ſuis, (LXX. *cleris* ſeu *ſortibus*) id eſt, cum omnibus agris, & terris, quæ ſortito cuilibet Tribui, & familiæ obuenerunt, deuorabit, ac perdere incipiet menſis proximè ſequens. Videtur Oſeas hæc dixiſſe iam finibus imminente Aſſyriorum exercitu.

Verſ. 8.9. Clangite buccina in Gabaa, &c. E ſpecula Vrbium Gabaa & Rama (erant ſitæ in monte in Tribu Beniamin) buccina, ac tuba perſonate: nunciate omnibus Syrios adeſſe. Etiam vobis ô Beniaminitæ, ô Iudæi à vicino hoſte periculum imminet. Ecce enim vlulatus captorum, & iugulatorum Iſraëlitarum in Bethauen ad cœlum conſcendit poſt tergum tuum, ſeu iuxta te, ô Beniamin. Vndè etiam iugulo tuo imminet. *Ephraim in deſolatione erit in die correptionis: in Tribubus Iſrael oſtendi fidem.* Decem Tribus Iſraël tempore punitionis per Aſſyrios planè deſolabuntur. Et de hoc præmoneo tempeſtiuè omnes: ſic oſtendens *fidem*, ſeu fidelitatem, quam amicis meis olim Iſraëlitis debere videor. * Innuitur ineffabilis Dei pietas, qui memor præteritæ hominum iuſtitiæ, gratis quidem eos ſæpè, immiſſis inſpirationibus, admonet de imminenti damnationis exitio, vt meliora reſumant.]

Memor Deus preteritæ hominum iuſtitiæ eos delinquētes admonet ſæpè, vt à periculo damnationis recedant.

Verſ. 10.11.12. Facti ſunt Principes Iuda quaſi aſſumentes terminum, &c. Quia Principes Iuda, quos cautos facere debuiſſet vicinorum extrema calamitas, ſic expreſſere Iſraëlitarum mores, quaſi illorum terminos aſſumpſiſſent, & eiſdem ac illi finibus vixiſſent, ac legibus: ideò in illos quoque ſic effundam iram, vt cum torrente, qui præceps, atque copiosè fluit, valeat comparari. * Meritò Dei iram incurrit, qui vnius aut plurium peccatorum illatum aſpicit ſupplicium, & ſimili impietate gerenda non illicò recedit.] *Calumniam patiens eſt Ephraim, &c.* Sub impiorum Aſſyriorum iugo Iſraëlitæ calumniis agitatur: etſi quando, vt calumnias depellat, & calumniaturos obtundat, vult iudicio contendere cum illis, ab iniuſto Iudice frangitur, & conteritur. Et ita ei accidit, quia poſt idola ſordida quidem abire cœpit. * In vindictam namque alicuius peccati commiſſi, permittit ſæpè Deus, peccatorem iniuſtè ab alio calumnia affici, vel ab iniquo Iudice immeritò condemnari.] *Et ego quaſi tinea Ephraim, & quaſi putredo domus Iuda.* Ego autem licet iuſtiſſimè poſſem Iſraëlem ſubita calamitate omninò delere: nolo tamen vno ictu conterere ſontes, ſed ero ei quaſi tinea paulatim abſumens decem Tribus Aſſyriorum tyrannide. (4. *Reg.* 15. 19. & 29.) Domui quoque Iuda quaſi putredinem, me præſtabo, vel cariem, quæ lignum morſu tacito, ac lento corrodit, ac perdit. * Hoc noſtra (heu) tempeſtate experimur, viget in Regnis iniquitas, vt autem Deus iuſtam ſumat vindictam, non ſubito ea calamitate omninò delet, ſed tarda ac lenta quaſi corroſione eorum debilitat vires, demum ſi ad meliorem ſe frugem non receperint, omninò deleantur.]

Meritò Dei ira incurrit, qui videns puniri aliquē peccatorem, à ſimili peccato non recedit.

Ob alia crimina perpetrata permittit Deus, vt peccator alias iniuſtè damnetur.

Ob ciuium crimina paulatim Vrbes & Regna deficiunt, & delentur.

Verſ.13. Et vidit Ephraim languorem ſuum, & Iuda vinculum ſuum, &c. Iſraëlitæ vires ſuas laborare langore dignouerunt. Iudæi etiam agnouerunt, ſe plagam accepiſſe, quam adhuc faſciis à Chirurgi manibus obligatam habebant. Quare miſerunt Iſraëlitæ ad Phul, & Salmanaſſar Regem Aſſyriorum: & Iudæi ſub impio Rege ſuo Achaz ad Regem Teglatphalaſſar legatos & munera tanquam ad communem oppreſſorum *Vltorem* Symmachus, *defenſorem*. Iſraël petebat viribus fulciri langorem. Iuda verò medicamine vulnus curari: ſed fruſtra. Quia ego ſum, qui bellum contra Iſraël gero, ego qui Iudam vulnere ſaucio.

Verſ.14.15. Quoniam ego ſicut leæna Ephraim, &c. Ego quidem tanquam ferociſſima ceruicibus Iſraëlis immineo: & inſtar leonis impauidus, & inuictus catulus Iudæam perſequor, & vulneribus vulnera adiicio. Tantùm abſum, vt priori vulneri medicamen adhibeam. *Vadens reuertar ad locum meum: donec deficiatis, & quæratis faciem meam.* Quemadmodum leo è Sylua egreſſus ferarum ſe ſanguine explet, deindè ſe ad ſua luſtra refert: vt rurſus lacerata præda ſuam iterum famem exſaturet. Sic ego (dicit Dominus) ita me vobiſcum geram, donec omnes deficiatis, & longè iam experimento edocti, nihil in vanis Gentium ſimulacris eſſe præſidij, ad me reuertamini, quem ſolum potentem ad protegendum, & ad curandum Sapientem inueniſtis. * Hæc vis laborum ſuſtinentiæ, peccatores ad Deum, à quo ſcelera abſtraxerant, deducere.]

Labores ad Deum peccatores adducunt.

CAPVT

CAPVT VI.

Iſraëlitas, & Iudæos afflictione affectus monet, vt ad Deum, requirendi medicaminis gratia, reuertantur. In eos inuehitur, qui Dei cultores ad Solymitanum Templum aſcendentes interficiebant.

1. IN tribulatione ſua manè conſurgent ad me: Venite, & re-
uertamur ad Dominum: 2. Quia ipſe cepit, & ſanabit
nos: percutiet, & curabit nos. 3. Viuificabit nos poſt duos
dies: in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu
eius: Sciemus, ſequemúrque vt cognoſcamus Dominum:
quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius, & veniet qua-
ſi imber nobis temporaneus, & ſerotinus terræ. 4. Quid
faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? miſericordia veſtra quaſi nubes ma-
tutina, & quaſi ros manè pertranſiens. 5. Propter hoc dolaui in prophetis, oc-
cidi eos in verbis oris mei: & iudicia tua quaſi lux egredientur. 6. Quia miſeri-
cordiam volui, & non ſacrificium; & ſcientiam Dei, pluſquam holocauſta. 7. Ip-
ſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum, ibi præuaricati ſunt in me. 8. Ga-
laad ciuitas operantium idolum, ſupplantata ſanguine. 9. Et quaſi fauces viro-
rum latronum, particeps Sacerdotum, in via interficientium pergentes de Si-
chem: quia ſcelus operati ſunt. 10. In domo Iſraël vidi horrendum: ibi fornica-
tiones Ephraim: contaminatus eſt Iſraël. 11. Sed & Iuda pone meſſem tibi, cùm
conuertero captiuitatem populi mei.

COMMENTARII.

1. *Monet Iſraëlem & Iudã afflictos vt ad cœleſtem Medicum accurrant.*

VERS. 1. 2. *In tribulatione ſua manè conſurgent ad me, &c.* Cum Iſraël & Iuda, irruentibus vndique tribulationibus, quas mea in illos ira adegit, quaſi à ſomno excitati, ſeipſos hiſce verbis ad pœnitudinis excitabunt effectum: Agite dum, venite, & ad Deum, à quo per crimina ſumus abducti, quàm ocyſſimè poſſimus, recurramus. Neque enim hoſtium humanorum potentia capti ſumus, & à noſtris finibus in exilium adlati; ſed à Deo ſumus percuſſi, qui quidem leonis inſtar, nobis fugientibus occurrit: à quo vno ſalus, & libertas poterit ſperari.

Verſ. 3. Viuificabit nos poſt duos dies, &c. E triſtiſſima captiuitate, in qua velut mortui, imò quaſi arida oſſa degimus, in libertatem quaſi in nouam vitam nos Deus reducet, *poſt duos* miſerrimos *dies*, ſeu poſt duo tempora, primum captiuitatis Aſſyriacæ, ſecundum captiuitatis Babylonicæ. Suborta die tertia læta admodùm victoriarum Cyri, reſuſcitabit nos à morte ciuili ad vitam libertatis. * Vides Iſraëlis, ac Iudæ ipſius ore captiuitatem tot annorum duorum dierum moleſtiam vocitari, *Poſt duos dies.* Tam agnata enim eſt laborum impaſſibilitas, vt vel ij, qui ſunt eorum oſſores, id profiteri teneantur.] Scio, omnes ferè orthodoxos Doctores hîc de Chriſto Domino, & de redemptione, ac reſuſcitatione à morte peccati, & æterna ad vitam gratiæ, iuſtitiæ, ac gloriæ per Chriſtum toti orbi obuentura poſt *duos*, id eſt, paucos dies, ſeu poſt breue tempus circiter 690. annorum (tot enim effluxêre ab hoc tempore vſque ad Dominicam mortem) agi contendere. Tunc verò, ait Propheta, cognoſcemus Deum, & quo illum magis deinde cognoſcamus, ſequemur illum, & ab eo nunquam amplius recedemus. Tunc autem noſtræ vitæ ac libertatis auctor, talis nobis aduenier, qualis aurora, quæ nocturnas tenebras ablegans, lucem terræ ac lætitiam apportat: aut qualis imber ſerotinus, qui ſitientem exſaturat tellurem fœcundoque exhilarat rigatu.

Laborum impoſſibilitas.

Verſ. 4. 5. Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda, &c. Quid ô Iſraëlitæ ac Iudæi, faciam, quando ex tam aſſiduo ſtudio, quo vos ad meliorem frugem aduocare contendi, veſtrum induratum animum non emolliui, neque vllum ex pertinacia veſtra fructum percepi: niſi manum munificam continere, & extendere ad ſupplicium. Si quando enim miſericordiam in fratres oſtentare voluiſtis, ea fuit tam momentanea ac futilis, vt non duraret amplius, quàm matutina nubes, aut ros, quæ vbi primùm Sol exortus fuerit, ſtatim euaneſcant. * Ergo ſi miſericordia in fratres diù perſiſteret, munifica Dei manus non contineretur. Vt vim annotes eleemoſynæ ad Dei iram infringendam.] *Propter hoc dolaui in Prophetis, &c.* Quemadmodùm, qui rude lignum, aut ſaxum in aliquam conatur pulchram ſpeciem informare, omnem adhibet artis ſolertiam, omne ferramentum: ita vos, vt aliquam

Maxima eleemoſynæ vis ad Dei iram infringendam.

formam

formam pietatis exprimerem, ſæpè *dolauι*, iam minacibus Prophetarum verbis tundendo, iam blandioribus mulcendo promiſſis. Cuncta accipere fruſtrà: imò potius ſcalpra mea confregi: miniſtros ac Prophetas meos *occidi*, dum verbis oris mei, id eſt, monitis, ac iuſſis, quibus, præſcripto meo, vos inſtruebant, minabantur, carpebant, occaſio illis fui necis à vobis illatæ. Teſtor Iehu Hanani filium, Addo, & tot alios Prophetas à Iezabele interemptos, *Iudicia* ergò, ſeu condemnatio veſtra ô Iſraël, Iuda, in diuino, ac humano iudicio, quaſi *lux* egredietur, id eſt, ab omnibus vbique, velut in clariſſima luce videbitur, cenſebiturque eſſe iuſtiſſima.

Verſ.6. Quia miſericordiam volui, &c. Nec eſt, quod putetis, me victimis, quas importunè ingeritis, fore placandum. Miſericordia mihi gratior eſt, quàm victimæ: & illa Dei practica ſcientia, ſeu cognitio, quæ animum ad illius legem, voluntatem informat, & regit, multo magis quàm holocauſta placet. LXX. *Miſericordiam malo, quàm ſacrificium.* * Licet ſacrificium nobilius ſit ratione formalis obiecti, quod eſt Dei honor: tamen miſericordia ratione charitatis eam imperantis, & ratione neceſſitatis eam exigentis ſæpè melior, nobiliorque eſt, ideoque præferenda.] Porrò miſericordia hîc non ſumitur pro ſolo actu externo, ſed prout eſt internæ coniunctus pietati. Sic *ſcientiam Dei* intelligo in præſenti non merè ſpeculatiuam, ſed practicam, quæ cum interna, externaque reuerentia, pietate, charitate coniungitur. Opponit enim hîc veram, ſolidamque pietatem nudo externo actui ſacrificij. Quo ſolo Iſraëlitæ contenti interiores, veroſque pietatis actus negleaére. * Non magna tibi videatur illa religio, ac pietas, quam in altarium, Templorumque oſtentas ornatu ad ſolemnia Euchariſtiæ, Deiparæ, vel Diuorum celebranda. Si enim internus non ſimul comitetur deuotionis affectus, fallax eſt illa, ac fucata religio.]

Miſericordia præferēdane ſacrificio?

Cum externè Diuorum feſta celebrātur, internus adſit deuotionis affectus.

Verſ.7.8. Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum, &c. Sic pactum, (ſeu fœdus, quo ſtipulatus ſum, vt tam internum, quàm externum mihi cultum deferrent) libertimè tranſgreſſi ſunt: *& ibi*, id eſt, in ea re audaciſſimè contra me Deum ſuum præuaricari fuêre, non ſecus ac ſi pactum, quod mecum inierunt, pactum eſſet Adam, id eſt, hominis, ſeu cum ſimplici homine initum, qui non intuetur cor, neque curat interna ſicut ego, qui externis ſolis ceremoniis non annuo, ſed veras internas, ſolidaſque virtutes epoſco. *Galad ciuitas operantium idolum: ſupplantata ſanguine.* Ciuitas Sacerdotalis & refugij Galaad (ideoque ſancta cis Iordanem, alio nomine Ramatha, vel Ramoth Galaad) iam facta eſt ciuitas, & metropolis *operantium*, ſeu fabricantium idola: *ſupplantata* (Hebræi *fœdata*) *ſanguine.* Ita ſcilicet dedita eſt ſanguini profundendo, vt ſub plantis incolarum nihil niſi ſanguis appareret, in quo tota ciuitas natare videtur.

Verſ.9. Et quaſi fauces virorum latronum, &c. 2.
Galaad ſe cum Sacerdotibus idololatris adiunxit, vt alios ab Ieroſolyma, ac Templo prohiberet eo in loco, vnde per Sichem patet ad Ieroſolymam acceſſus. Ibi autem occupauere illi locorum anguſtias, ſicut latrones aſſolent montium fauces inſidere, vbi maior viatorum frequentia, & præparatior. Porrò Galaaditæ ideò tam ardenter ſtudebant, nè quis Ieroſolymam adiret, nè cōtemptis vitulis aureis, Gentiumque idolis, quibus fingendis ipſi dabant operam, inſtitutus ea de re quæſtus interiret. * Si Sacerdotes illi caecitate non laborarent, dignoſcerent planè plus ab ipſis idola contemni, dum quæſtui prætextu religionis ſtudent. Vt ediſcant noſtri Sacerdotes, ſacrum vilipendi miniſterium cum pro temporali pretio viliſſimo ſemper (ſi eſt temporarium) commutatur.]

In eos inuehitur, qui Dei cultores Ieroſolymam aſcendētes trucidabant.

Deſpici ſacrum miniſterium videtur ex Sacerdotum ad quæſtum ſtudio.

Verſ.10.11. In domo Iſrael vidi horrendum, &c. Horribile plane ſcelus, execrandumque admodum Iſraël patrauit: quod cum magna offenſione aſpexi, cum verum Deum cum comedente fœnum vitulo commutauit. Id quidem contraxit primùm ab Ephraim, vnde ortus Ieroboam, qui conflatis vitulis Iſraëlitas contaminauit. *Sed & Iuda, pone meſſem tibi, &c.* At tu ô Iuda, capies meſſem, & fructus alios: non tamen cum in tuis finibus hoſtile graſſabitur ferrum; ſed poſtquam exacto annorum ſeptuaginta curriculo, in patriam redieris.

CAPVT VII.

In nequitiam Regis Iehu, totiuſque Iſraëlis cum eo idola colentis, inuehitur. Idque varijs ſimilibus exponit.

1. CVM ſanare vellem Iſraël, releuata eſt iniquitas Ephraim, &
malitia Samariæ, quia operati ſunt mendacium: & fur ingreſſus eſt ſpolians, latrunculus foris. 2. Et ne fortè dicant
in cordibus ſuis, omnem malitiam eorum me recordatum:
nunc circumdederunt eos adinuentiones ſuæ, coram facie
mea factæ ſunt. 3. In malitia ſua lætificauerunt regem: &
in mendaciis ſuis principes. 4. Omnes adulterantes, quaſi
clibanus ſuccenſus à coquente: quieuit paululùm ciuitas à commiſtione fermenti,
donec fermentaretur totum. 5. Dies regis noſtri: cœperunt principes furere à vino: extendit manum ſuam cum illuſoribus. 6. Quia applicuerunt quaſi clibanum
cor ſuum, cùm inſidiaretur eis: tota nocte dormiuit coquens eos, manè ipſe ſuccenſus

cenſus quaſi ignis flammæ. 7. Omnes calefacti ſunt quaſi clibanus, & deuorauerunt iudices ſuos: omnes reges eorum ceciderunt: non eſt qui clamet in eis ad me.
8. Ephraim in populis ipſe commiſcebatur: Ephraim factus eſt ſubcineritius panis,
qui non reuerſatur. 9. Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit: ſed & cani
effuſi ſunt in eo, & ipſe ignorauit. 10 Et humiliabitur ſuperbia Iſraël in facie eius:
nec reuerſi ſunt ad Dominum Deum ſuum, & non quæſierunt eum in omnibus
his. 11. Et factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor: Ægy-
ptum inuocabant, ad Aſſyrios abierunt. 12. Et cùm profecti fuerint, expandam
ſuper eos rete meum: quaſi volucrem cæli detraham eos, cædam eos ſecundùm
auditionem cœtus eorum. 13. Væ eis, quoniam receſſerunt à me: vaſtabun-
tur, quia præuaricati ſunt in me, & ego redemi eos: & ipſi locuti ſunt contra
me mendacia. 14. Et non clamauerunt ad me in corde ſuo, ſed vlulabant in cu-
bilibus ſuis: ſuper triticum & vinum ruminabant, receſſerunt à me. 15. Et ego
erudiui eos, & confortaui brachia eorum: & in me cogitauerunt malitiam.
16. Reuerſi ſunt vt eſſent abſque iugo: facti ſunt quaſi arcus doloſus: cadent in
gladio principes eorum, à furore linguæ ſuæ. Iſta ſubſannatio eorum in Terra
Ægypti.

COMMENTARII.

1. *In nequitiam Iehu, & totius Iſraëlis tangitur.*

VERS. 1. *Cum ſanare vellem Iſrael, reuelata eſt iniquitas Ephraim, &c.* Cum per Regē Iehu quaſi per Chirurgum meum euocatum è Galaad (vbi ob aromatum, & pharmacorum abundantiam plurimi præſtantiſſimi medici, & chirurgi degunt) Sanare intenderem apoſtema idololatriæ Iſraëlis per Ierobam, Achab, & Iezabelem nuper inuectæ: atque in hunc finem ei præciperem, cultum Baal euertere, eiuſque Prophetas, ac totam Achab familiam extinguere: en tibi præter omnium opinionem reuiuiſcentem, palamque reuelatam per eundem Iehu Ephraim iniquitatem, id eſt, idololatriam per Ieroboamum ex Ephraim oriundum in Iſraëlem inuectam: puta cultum vitulorum aureorum, quem neglectum iampridem, & ſuper inducto cultu. Baal penè ſuppreſſum Iehu rurſus excitauit, & in lucem pertraxit. Idque malitia *Samariæ*, id eſt, maligno Samaritanorum conſiliariorum Regis aſtu, qui mendaciter nouo Regi ſuggerebant, haud poſſe niſi hac via ſubditos in fide, & obedientia Regis contineri. * Dixi, *mendaciter* id conſiliarios Regi ſuggerere. Solidum enim Regni fundamentum, ac firmamentum eſt vera fides, vera religio, & ſincerus veri Dei cultus.]

Regni firmamentum eſt vera fides, ac ſincerus veri Dei cultus.

* Annota. Regem Iehu prauum deprehenſum à Deo fuiſſe chirurgum ad Iſraëlis vulnera curanda. Nam qui eodem ſaucius eſt vulnere, quonammodò poterit aliorum ægritudini medicamen adhibere?] * Nec non animaduerte, prauorum conſiliariorum aut inſcitiæ, aut malitiæ Regum, ac Regnorum attribui calamitates.]

Vulneratus ſpiritu nequè aliorum vulneribus medicamina adhibebit.

Praui conſiliariis calamitates Regni tribuuntur.

Verſ. 2. 3. Et nè fortè dicant in cordibus ſuis, omnem malitiam eorum me recordatum, &c. Non eſt quod cogitent, aut quæritantur, me præteritam parentum eorum iniquitatem memoriæ retinentem, ob eam ſolam filios punire; nam crimina, quæ quotidie impudentiores, coram facie mea perpetrare audent, tanto numero acceſcunt, vt eos vndique circumdent, & in orbem cingant adeò, vt eas occultare, negare, vel excuſare minimè poſſint. *In malitia ſua lætificauerunt Regem: & in mendaciis ſuis Principes.* ergo illi peſſimi Regem Iehu, & Principes cum eo conſpirantes exhilararunt ſua perfidia, qua defecerunt à regia familia Achabi, eius ſeptuaginta filios occiderunt ſuæ fidei commiſſos, & quadraginta fratres Ochoziæ. Hæc enim omnia patrauerunt non intuitu iuſſi diuini, (quod ignorabant) ſed affectu complacendi nouo Regi tyrannicè (vt opinabantur) inuadenti Regnum. Quod enim Iehu mandato Dei per Prophetam eſſet inunctus, & creatus Rex, ſecretum erat, & latebat Samaritas. * Quodcumque à Miniſtris regiis geritur, aut dicitur non tuendæ veritatis gratia, ſed adulandi ſtudio, in Reipublicæ perniciem, ipſorúmque adulatorum exitium vertitur.] Vnde

Quidquid iniquè geris adulator miniſter in Reipublicæ exitium vertitur.

Verſ. 4. 5. Omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus à coquente, &c. Omnes ſunt idololatrantes maximè circà aureos vitulos. Quorum cultui in noui Regis gratiam adeò inhiant, vt illis colendis haud poſſe ſatiari videantur: ſed Vt clibanus ſuccenſus, quo plus fomenti iniicitur, eo magis accenduntur. Non autem ſimul eodémque momento ad hoc malum prorumpunt, ſed ſenſim, ac pedetentim. Quandiù enim Iehu operam dabat cultus Baal extirpationi, & poſteris Achabi delendis, tacuit de vitulorum Ciuitas cultu, ac ità quieuit Samaria tunc à fermenti illius commiſtione, vt ſineret tamen occultè, ac paulatim etiam publicè fermentum idololatriæ illius inualeſcere, atque ad plures proſerpere, donec tandem, adiectis etiam legibus, ac mandatis, queis Rex iuſſit, publicè vitulos vbique coli, tota Reipublicæ fuit maſſa corrupta. * Praui mores, Reipublicæ peſtes haud repentè in omnes vitus omne profundunt; paulatim veluti cancer ſerpunt. Vndè ſi non illico medela adhibeatur, tota Reſpublica miſerè interibit.]

Praui Reipublicæ mores paulatim inducuntur vſque ad illius exitium.

Verſ. 5. 6. Dies Regis noſtri: cœperunt Principes furere à vino, &c. Acclamantis populi hæ ſunt voces: Dies hæc eſt Regis noſtri læta, fauſta, & qualem diu ſtuduimus nobis euenire. Nec in plebeis res ſtetit; cœperunt enim omnes Primates Regni furere quaſi ebrij ex peſtilenti hoc idololatriæ vino. Quin & Rex ipſe ad eoſdem calices manum extendit: id eſt, etiam ipſe vnà cum illuſoribus hiſce Samaritis publicè cultum vitulis obtulit; nec aduertit,

hoc

huc politico, ſed peſtilenti conſilio turpiter ſibi illudi: vt ſic fieret hoſtibus ſuis præda, & vt citius Regno priuaretur, & omnis excinderetur ſtirpitus eius poſteritas. *Quia applicuerunt quaſi clibanum cor ſuum, &c.* Profectò deceptus Rex decepit & ſuos. Quia cum anxius de ſucceſſu rei *inſidioſè* per emiſſarios ageret cum primariis, vt eos ad cultum vitulorum pelliceret, omnes ſtatim eo applicuere cor ſuum quaſi clibanum affectu erga idola hæc æſtuantem. Quo cognito Iehu ſecurus, inſtar hominis tota nocte in vtramque aurem dormientis, permiſit eus in hoc ſuo errore coqui, id eſt, fermentari paulatim: ipſe interim, inſtar piſtoris furnum tota nocte calefecit, cui maſſam plenè iam fermentatam ſummo *mane*, id eſt, prima commoditate inferret: qua oblata, intulit tanto ardore, vt totus ipſe ardere, imò eſſe flamma ardens videretur.

Verſ. 7. Omnes calefacti ſunt quaſi clibanus, &c. Qua quidem regia flamma ita omnes viciſſim calefacti ſunt, vt non iam viderentur eſſe maſſa furno impoſita: ſed ipſemet clibanus flamma ſuccenſus. Vnde mox, in clibani ardentis morem, in ſe, ſuamque idololatriam pertraxerunt *Iudices* ſuos, ſi qui forſan integri ſupereſſent. Quare nullus deinceps fuit, ex Regum, Iudicumque numero, qui non ad vitulorum aras ſupplex accederet. Neque vllus eorum ſupplices ad me manus, aut clamores ſuſtulit. Preme illud: *Deuorauerunt Iudices ſuos*, ſiue in ſuam perfidiam pertraxerunt Principes illi. Cum Iudices ad impietatem adducuntur, actum eſſe de iuſtitia, imò de tota Republica, quis poſſit dubitare?]

Cum Iudices ad impietatem adducũtur, actum eſt de iuſtitia, & de tota Republica.

Verſ. 8. 9. Ephraim in populis ipſe commiſcebatur, &c. Populus Iſraël variis populis Gentilium, puta Ægyptiis, Tyriis, Syris, Aſſyriis, cum quibus fœdus, amicitiam, & commercia iniit, connubia iunxit, miſcebatur: & hæc fuit eius ruinæ miſerrimæ occaſio. * Mirum enim eſſet, ſi iuſtus à iuſtitia non deuiaret, cum impij iniens ſocietatem.] Vnde factus eſt Iſraël in tribulationis clibano quaſi panis cineri ac prunis ſuppoſitus, *qui non reuerſatur*; quia ab ea calamitate, quam ab hoſte ſuſtinuit, à qua non aliter combuſtus eſt, quàm ab ardente cinere ſuppoſitus panis, nunquam ad antiquam patriam, & gloriam reuertetur. *Comederunt alieni robur eius, &c.* Gentes illæ, quibus commiſtus fuit, ſenſim Iſraëlis opes, ipſo neſciente, rapuerunt, ac deuorarunt. Sed ille infantilis, ac pudendus Iſraëlis fuit error, quod capite iam canus atque rugoſus facie poſt tot annos, poſt tot Prophetarum monita non agnouit. * Idolis cultum adhibere, hoc eſt, Veneri, ſeu voluptatibus indulgere, in adoleſcente malum, peius in viro, in ſene autem omninò eſt peſſimum. Cani enim cum floribus turpiter colliguntur.]

Iuſtus excidit à iuſtitia cum impiis iniens ſocietatem.

Valdè turpis & indecens eſt in ſenibus luxuria.

Verſ. 10. 11. Et humiliabitur ſuperbia Iſraël in facie eius, &c. Quemadmodum cineri ardenti panis ſuppoſitus torretur, Iſraël iuxta menſuram ſcelerum diuexabitur: neque tamen ad Dominum non reuertetur, ſicut cineritius ille panis non reuerſatur: neque cum tot quotidiè aut moneatur vocibus, aut aculeis vexationum ſtimuletur Dominum vnicum in tribulatione perfugium non requiret. * Excors omninò, & inſenſibilis eſt peccator, quem labores non frangunt, quem tribulationes ad pœnitudinem non adducunt.] *Et factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor, &c.* Fuit planè fatuus Iſraël, ſicut columba, cui nihil videtur eſſe cordis, vel ſenſus: cum actus laboribus, ad Aſſyrios Ægyptiuſque accurrerit, à quibus potius exitium debuit timere, quàm ſubſidium ſperare. * Damnantur hinc, qui acti anguſtia, ab hominibus ſubſidia requirunt inaniter quidem, cum Deus vnicum ſit in tribulatione ſolatium.]

Inſenſibilis eſt peccator, quem labores ad Deum quærendum non adducunt.

Actus tribulatione ad Deum (non ad homines inaniter quidem) accurre.

Verſ. 12. & 13. Et cum profecti fuerint, expandam ſuper eos rete meum, &c. Cum Iſraëlitæ ad fœderatos ſibi tutelares Aſſyrios, & Ægyptios accurrerint auxilij requirendi gratia: meum expandam rete, & ſicut auceps volucres, ita ego illos quantumcumque ſe ſupra nubes ſuſtulerint, comprehendam, cædam demùm ſæpè, quemadmodum de ſuorum criminum ſupplicio imminenti Prophetarum ex ore audierunt. *Væ eis, quoniam receſſerunt à me, &c.* Heù vicem illorum doleo: & ſupplicium eis imminens, eo quod à me receſſerint ingratiſſimi, ægrè meum animum afficit. Quid autem aliud faciam, cum ego ſim, qui redemi eos, & eduxi de manu Ægyptiorum per Moyſen, Chananæorum per Ioſue, Madianitarum per Gedeonem, Ammonitarum per Iephte, Philiſtæorum per ſanſonem, per Samuelem, per Dauidem, Syrorum per Eliſæum, &c. Ipſi tamen eiuſmodi redemptionem non mihi, ſed idolis ſuis, vel Gentibus auxiliatricibus mendaciſſimè adſcribunt. * *Væ eis*, dicit Dominus, quaſi eorum dolens vicem, qui æterno erant addicendi ſupplicio. Tanta enim eſt damnationis æternæ miſeria, vt vel ipſe Deus qui ab eis eſt tot iniuriis affectus, quique eos inimicos velut hoſtis inſequitur, eorum vicem quodammodò doleat, & ad compaſſionem excitetur.] * Illa pondera verba. *Ego redemi eos.* Si tanto ſupplicio afficiuntur meritò Iſraëlitæ eo quod à temporariis tyrannis redempti ingratos ſe Domino oſtenarunt: quanta digni erunt pœna, qui redempti à Chriſti Domini ſanguine à peccato, à diabolo, æternoque exitio, tot audent aduerſus eum ſcelera perpetrare?]

Tanta eſt æternæ damnationis miſeria, vt quodammodo Deus licet hoſtè iratus vicem damnandi doleat.

Ingratitudo peccatoris poſt redemptionẽ Chriſti morte peractam, pœnæ æternæ agnata.

Verſ. 14. 15. Et non clamauerunt ad me in corde ſuo, &c. Non mihi illum honorem tribuere, vt ex animo ad me in anguſtiis clamarent. Sed cum ficte in aliorum oculis preces effundere viderentur: in receſſu tamen, & tenebris Gentilium more vlulabant, mugiebantque deorum ſuorum opem depoſcentes. De rel quo non aliud cogitant, quam ſuper vinum, & triticum ruminare, id eſt, eſcis & potibus ventrem implere, floci pendentes opem meam, quam toties ſunt experti. * Suſpiria quæ cordis ex affectu non prodeunt, quæ pœnitentiæ ex animo non eliciuntur, exiſtima eſſe vel lupi vlulantis, vel bouis mugientis, inutilia quidem ad Deum placandum.] *Et ego erudiui eos, &c.* Ego eos docui viam, qua poſſent ſe à tribulatione expedire: & robur, ac induſtriam addidi, vt quod facto opus eſſe noſcent, reipſa perficerent. At ipſi id pro eo beneficio obtulere gratiæ, vt quæ à me accepiſſent, debellatis hoſtibus, & regionibus in ſuam redactis poteſtatem illa omnia non mihi, ſed idolorum poteſtati malitioſè tribuerint.

Inutilia ad Deũ placandum ſuſpiria quæ ex cordis affectu pœnitentis non prodeunt.

Verſ.

Verſ. 16. Reuerſi ſunt vt eſſent abſque iugo, &c. Ad priſtinum ſuum ingenium reuerſi fuere, vt filij eſſent Belial, id eſt, abſque iugo, effrænes, exleges, athei, omnis impatientes diſciplinæ. Imò facti velut arcus, qui ſagittam in ſagitarium remittit. Iehu enim cum ſuis copiis Arigebatur, vt idola, & idololatras extingueret, at ille telum in me retorſit, meique excidit cultum, & cultum idolorum propugnauit. At viciſſim ego non modo plebem, ſed Principes eorum ob impias blaſphemias iam recenſitas mox faciam Syrorum gladio exitialiter vulnerari. Iſta eſt inolita, & conſueta ſubſannatio eorum, qua mihi perpetuo illuſerunt, & plauſerunt idolis, iam inde à tempore, quo in terra Ægypti greſſi fuere captiuitate; nihil nouum eſt ſic Iſraëlitas delirare. * Hæc quidem eſt prauæ vis conſuetudinis, vt facilè homo ad priſtina flagitia recurrat.]

Homo praua affectus conſuetudine, facilè ad priſtina peccata recurrit.

CAPVT VIII.

Iſraëlitis Deus minatur excidium, quia exceſſerint à domo Dauid, vitulos aureos coluerint, Aſſyriiſque fuerint confœderati.

1. IN gutture tuo ſit tuba quaſi aquila ſuper domum Domini:
pro eo quòd tranſgreſſi ſunt fœdus meum, & legem meam
præuaricati ſunt. 2. Me inuocabunt: Deus meus cognoui-
mus te Iſraël. 3. Proiecit Iſraël bonum, inimicus perſeque-
tur eum. 4. Ipſi regnauerunt, & non ex me: principes ex-
titerunt, & non cognoui: argentum ſuum & aurum ſuum
fecerunt ſibi idola, vt interirent: 5. proiectus eſt vitulus
tuus Samaria, iratus eſt furor meus in eos. vſquequò non poterunt emundari?
6. Quia ex Iſrael & ipſe eſt: artifex fecit illum, & non eſt Deus: quoniam in ara-
nearum telas erit vitulus Samariæ. 7. Quia ventum ſeminabunt, & turbinem
metent: culmus ſtans non eſt in eo, germen non faciet farinam: quod & ſi fecerit,
alieni comedent eam. 8. Deuoratus eſt Iſraël: nunc factus eſt in nationibus quaſi
vas immundum. 9. Quia ipſi aſcenderunt ad Aſſur, onager ſolitarius ſibi:
Ephraim munera dederunt amatoribus. 10. Sed & cùm mercede conduxerint na-
tiones, nunc congregabo eos: & quieſcent paullſper ab onere regis, & principum.
11. Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum: factæ ſunt ei aræ in de-
lictum. 12. Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ
ſunt. 13. Hoſtias offerent, immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non
ſuſcipiet eas: nunc recordabitur iniquitatis eorum, & viſitabit peccata eorum: ipſi in
Ægyptum conuertentur. 14. Et oblitus eſt Iſraël factoris ſui, & ædificauit delubra:
& Iudas multiplicauit vrbes munitas, & mittam ignem in ciuitates eius, & deuo-
rabit ædes illius.

COMMENTARII.

1. Minatur Deus Iſraeli idololatræ excidium.

VERS. 1. *In gutture tuo ſit tuba quaſi aquila ſuper domum Domini, &c.* Publicè, ô Oſea clamore quaſi tubali profer hæc: En imminet tyrannus Aſſyrius, & poſt etiam Chaldæus, qui, inſtar aquilæ ſommo impetu ruet in terram ſanctam primò decem Tribuum, dein reliquarum duarum, imò in ipſum Dei Templum, omniaque diripiet, ſuccendet, exſcindet. Alij hæc accipiunt de Aſſyrio Sennacherib: alij de Salmanaſare: ego autem de Nabuchodonoſoris tyrannide locum expono.

Verſ. 2. 3. Me inuocabunt: Deus meus cognouimus te Iſrael. Tunc cum viderint ſibi imminere exitium, inuocabunt proclamantes: O Deus noſter, populi tui propitius recordare. Nos qui ſumus Iſraël, ſeu Iacobi filij, & hæredes, te Deum vnicum protectorem, ac ſaluatorem ſemper *cognouimus.* * Hæc plane tribulationis peccatorum vtilitas, eos ad preces humiles Deo offerendas attrahere.] *Proiecit Iſrael bonum: inimicus perſequetur eum* Iſraël (ait Dominus) omne à ſe bonum excuſſit, ſcilicet Deum, fidem, religionem, pietatem; nec niſi ex ſeruili metu iam ad me confugit, cum à nullo ſcit ſe poſſe iuuari. Vndè iuſtè ei meam negabo opem, qua deſtitutus, diras obruet hoſtis in manus. * Nunquam non Deus verè pœnitentes excipit peccatores. Vndè curandum eſt, vt peccatoris clamor non ex ore ſolùm, ſed ex cordis compuncti procedat affectu.]

R. P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. to. VII. p. I.

Tribulatio peccatorem attrahit ad preces Deo proferendas.

Vt Deus peccatoris preces exaudiat, ex cordis compuncti clamor procedat affectu.

Verſ. 4. 5. Ipſi regnauerunt, & non ex me, &c. Peribunt cum populo ipſi quoque Principes, quia ſuo arbitratu potius, quàm meo præſcripto publicam rem adminiſtrarunt. Ideò quod ipſi ſua abuſi poteſtate geſſere, ego nec cognoui, nec probaui. Porrò dum ex argento, & auro ſuo ſibi inaniter ſimulacra finxère deorum, cauſam ſimul inſtantis ſupplicij conflauerunt. * Peccator namque eadem actione, & ſcelus patrat, & pœnam præparat ſubeundam.

Nulla actio peccati poteſt verè eſſe ad delicias, ſiquidem cũ æterni ſupplicij reatu colligatae.

Vnde quænam ininſta actio poteſt eſſe ad delicias, quæ æterni ſupplicij reatui colligatur.] *Proiectus eſt vitulus tuus Samaria, &c.* Ille vitulus ô Samaritæ iniqui, quem vobis tutelarem fore exiſtimabatis, vſque adeò vobis protectioni non erit, vt neque ipſum protegere à conflagratione valeat. Incendetur enim cum coltoribus ſuis, in quos ira mea vehementer exarſit. Vſquequo, ô miſeri, iſtæ veſtræ ſordes emundandæ non erunt? quovſque hæc veſtra idololatrandi, & vitulos colendi pertinacia vigebit?

Verſ.6.7. Quia ex Iſraël & ipſe eſt, &c. Ipſe eſt vitulus, qui ex fæcibus Ægypti Iſraëlitis inde egreſſis adhæſit: ſed mox à Moyſe confractus & redactus in puluerem, amplius in Iſraël non comparuit: donec Ieroboami nequitia rurſus ex cineribus eſt eductus. Vnde non iam ex Ægypto, ſed ex Iſraële hoc monſtrum proſerpſit. At per Aſſyrios inſtar tælæ aranearum deſſlabitur. *Quia ventum ſeminabunt, &c.* Quia facient opus inane, futile, ac ſibi noxium. Quos enim fructus ex ſeminato vento ſperare poterunt quam terræ motum, pulueris nubem, & ventorum turbinem? Hæc metent, neque alia, Nam vt inde naſcatur *culmus*, ſeu germen aliud, ex quo farina vel panis colligatur, ſcilicet ſuperni auxilij, protectionis, ſolatij, ſpes nulla vireſcit. Quod ſi, me conniuente, ipſis indè aliquæ temporales opes, aliaue commoda obueniant Aſſyrij hi fructus cedent, ipſi demum abſument. * *Ventum*, inquit, *ſeminabunt.* Hinc ambitionis ſtudia taxantur. Ex ſeminato vento, quid niſi vẽto, quid niſi ventus, quid niſi tempeſtas poſſit oriri. Omnes ſæculi principatus, Magiſtratus, officia præclara ventum eſſe quis dubitet ex ambitionis vento progenitum. Quod quidem non ſemel poſſidentibus (ſi ventus verè poſſideri valeat) exitiales excitat tempeſtates?]

Omnes mũdi dignitates ventus ſunt ex vento parente qui ſolet poſſidenti tempeſtates excitare.

Verſ.8.9. Deuoratus eſt Iſraël, &c. Alieni itaque prædabuntur ac vorabunt bona Iſraëlitarum. Ipſique ex vaſe gloriæ factus eſt velut vas immundum, Hebraicè, *quaſi matula*, quæ omnium nationum ſordes & ſtercora, id eſt, ingeſtam ab omnibus ignominiam, probra, ac iniurias excipiat. * Profectò ſcorta ſic, ſic epulones, ſic omnes peccatores quid aliud ſunt quam matulæ, quam cloacæ, quam latrinæ?]

Omnes peccatores nihil aliud ſunt quàm cloacæ.

Quia ipſi acenderunt ad Aſſur, &c. Iſraëlitæ petendi auxilij gratia ad Aſſyrios acceſſere. diſſidebant enim onager ille propriis viribus ſe ſolitarium ſine Dei protectione aſpiciens. * Solitarium te, nullo cuſtode, ac protectione cinctum te exiſtima, ſi à Deo pẽr ſcelera receſſiſti.] Vnde & muneribus coëmit amaſiorum ſuorum opem. Ità coëmiſſe Manahem, & alios Reges ſacra hiſtoria teſtatur. 4.*Reg.*15.19. & *cap.*17.3. Porrò in ſuum coëmerunt exitium. Aptè Iſraël, *onager* ſiue aſinus ſilueſter appellatur, quia iugum legis diuinæ iam pridem excuſſerat.

Qui à Deo recedit, ſolitarium ſe ſine pro terrore eſſe credat.

Verſ.10.11. Sed & cum mercede conduxerint nationes, &c. Auxiliares copiis ex nationibus aliis mercede conduxerunt: illas tamen omnes ego in illorum exitium congregabo. Quieſcent quidem paululùm ab eo onere, ſeu tributo, quod Aſſyrio Regi ſoluebant, aliiſque Principibus; ſed ſtatim aliud grauius longè ſuccedet. *Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum, &c.* Quemadmodùm externi populi aut mercede conducti, aut muneribus obligati exitio fuerunt Iſraëli: Sic etiam externi dij, quibus Iſraël excitauit altaria, vt peccandi præbuere materiam, ita etiam exitij cauſam attulerunt.

Verſ.13. Scribam ei multiplices leges meas quæ velut aliena computata ſunt. Quid agam, vt rebellem hunc populum à peccando retraham? Scribamne leges alias præter eas, quas olim per Moſem indixi? Sed quid proderunt nouæ, cum veteres contempſerint, & in alias mutauit, quas ſua ipſorum libido excogitauit? * Taxantur hinc Præſules, qui ſubditis, vt vetera præcepta cuſtodiant, nouas leges, ſeu noua obedientiæ præcepta faciliter iniungunt. Operæpretium eſt, id raro, & magna adhibita conſideratione gerere; nè his, qui antiquas temnunt graui piaculo leges grauiori quidem violandi nouas exhibeatur occaſio.] *Hoſtias offerent, immolabunt carnes, & comedent, &c.* Vt offerebant hoſtias, non tam vt me placarent, aut mihi placerent, quam vt ex eis ſibi victum pararent: ſic planè facient, ſi qua recens illis mandata præſcribam. Ideò cum ab illis melior mens, & vitæ mutatio ſperanda noo ſit, vlciſcar iniquitates eorum: quorum quidem ſic erit miſera conditio, vt ad Aſſyrios relegari, illum ſtatum videautur reſumere: quo apud Ægyptum eorum parentes olim fuere perfuncti.

Præcepta obedientiæ haud facilè ſubditis imponenda.

Verſ.14. Et oblitus eſt Iſraël factoris ſui, &c. Iſraël mei factoris ſui oblitus idolis, quæ ipſe fecit extruxit delubra. Iuda etiam non tam mihi, quam mœnibus fidens & armis Vrbes munitas extruxit. Sed cuinam effectui? Mittam namque primo per Sennacherib, deinde per Nabuchodonoſorem ignem in eas Vrbes, & arces, qui eas omnino abſumat.

CAPVT IX.

Opibus laſciuienti Iſraëli, deoſque Gentium quaſi earum largitores feſtis colenti Propheta horribilia mala minatur.

1. NOLI lætari Iſraël, noli exultare ſicut populi: quia fornicatus
es à Deo tuo, dilexiſti mercedem ſuper omnes areas tritici.
2. Area & torcular non paſcet eos, & vinum mentietur eis.
3. Non habitabunt in terra Domini: reuerſus eſt Ephraim
in Egyptum, & in Aſſyriis pollutum comedit. 4. Non liba-
bunt Domino vinum, & non placebunt ei: ſacrificia eorum,
quaſi panis lugentium. omnes, qui comedent eum, conta-
minabuntur: quia panis eorum animæ ipſorum, non intrabit in domum Domini.
5. Quid facietis in die ſolemni, in die feſtiuitatis Domini? 6. Ecce enim pro-
fecti ſunt à vaſtitate: Ægyptus congregabit eos, Memphis ſepeliet eos: deſiderabile
argentum eorum vrtica hereditabit, lappa in tabernaculis eorum. 7. Venerunt
dies viſitationis, venerunt dies retributionis: ſcitote Iſraël ſtultum prophetam, in-
ſanum virum ſpiritualem propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem
amentiæ. 8. Speculator Ephraim cum Deo meo: propheta laqueus ruinæ factus
eſt ſuper omnes vias eius, inſania in domo Dei eius. 9. Profundè peccauerunt,
ſicut in diebus Gabaa: recordabitur iniquitatis eorum, & viſitabit peccata eorum.
10. Quaſi vuas in deſerto, inueni Iſraël: quaſi prima poma ficulneæ in cacumi-
ne eius, vidi patres eorum: ipſi autem intrauerunt ad Beelphegor, & abalie-
nati ſunt in confuſionem, & facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt.
11. Ephraim quaſi auis auolauit, gloria eorum à partu, & ab vtero, & à con-
ceptu. 12. Quòd & ſi enutrierint filios ſuos, abſque liberis eos faciam in ho-
minibus: ſed & væ eis cùm receſſero ab eis. 13. Ephraim, vt vidi, Tytus erat fun-
data in pulchritudine: & Ephraim educet ad interfectionem filios ſuos. 14. Da
eis Domine. Quid dabis eis? Da eis vuluam ſine liberis, & vbera arentia. 15. Om-
nes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exoſos habui eos: propter malitiam adinuen-
tionum eorum, de domo mea eiiciam eos: non addam vt diligam eos, omnes
principes eorum recedentes. 16. Percuſſus eſt Ephraim, radix eorum exſicca-
ta eſt: fructum nequaquam facient. Quòd & ſi genuerint, interficiam amantiſſima
vteri eorum. 17. Abiiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum: & erunt vagi
in nationibus.

COMMENTARII.

1. *Horribilia mala Propheta Iſraëli in opibus laſciuienti, & idola colenti minatur.*

VERS. 1. 2. *Noli lætari, Iſraël, noli exultare ſicut populi, &c.* Noli ô Iſraël exultare, noli ludis, ac feſtis publicis, vti populi Gentilium aſſolent, innuere animi tui gaudium ex eo conceptum, quod à Deo tuo auerſus, iam idolis cultum exhibeas: à quibus quaſi à nouis amaſiis diligis, & expectas meretritiam mercedem (pro adulterio tuo) *ſuper*, ſeu ex omnibus areis tritici, ab eis expectans meſſium, ac frugum omnium terræ proſperitatem. Nec enim hæc idolorum ſunt, ſed mea. * Illam preme particulam: *Fornicatus es à Deo tuo*, id eſt, ob fornicationem, *à Deo* es ſeparatus. Porrò ſi de venerea fornicatione locum libeat exponere: ſic fornicatio à Deo longè homines ſeparat, & diſtrahit, vt idem prorſus ſit *forni-*

Luxuriæ peccatum longè à Deo hominem ſeparat.

R.P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. to. VII. p. I.

cari à Deo, quam à Deo ſemoueri.] *Area, & torcular non paſcet eos: & vinum mentietur eis.* Vt autem agnoſcas non ab idolis, ſed à me eos prodire terræ fructus: neque ex area deinceps frumentum accipies, quo veſcaris: neque torcular tibi exprimet merum, quo tuam ſitim expleas; erit enim ager mendax, & vinea, quæ ſpem fallent tuam, teque ieiunum, & hiantem relinquent. * Fallax ſemper ſpes, quæ in mendaci diaboli promiſſione; non in Dei munificentia firmatur.]

Fallax ſpes, quæ in promiſſione diaboli, non in Dei munificentia firmatur.

Verſ. 3. 4. Non habitabunt in terra Domini, &c. Idololatræ hi haud diu habitabunt in terra, quam Deus olim Iſraeli promiſit. Ad Aſſyrios etenim abducentur, vbi cibis veſcentur immundis, & à lege prohibitis: quod perinde erit, ac ſi duram in Ægypto ſubirent ſeruitutem, qualem parentes olim ſubiére. *Non libabunt Domino vinum, &c.* Inibi libabunt vinum non Deo, ſed idolis: vel certè ſi qui Deo voluerit ſacrificium agere, ei minime eiuſmodi

ſacrificia placebunt, quia ſine interna pietate, & quia extra locum à Deo præſcriptum, nempe extra Solymitanum Templum offeruntur contra expreſſum Dei mandatum *Leu.* 17. 3. & *Deut.* 12. 6. Vnde eorum ſacrificia erunt quaſi *lugentium panis*, id eſt, immunda prorſus, quæ contaminant eos, qui ex illis deguſtant: ſicut epulum funebre deguſtantes omnes per ſeptiduum reddit immundos. *Num.* 19. 11. Quia ſoli animæ ipſorum, ſeu vitæ fouendæ deſeruire, non autem inferri in domum Domini permittitur, vt Deo offeratur, cum ſit immundus eiuſmodi cibus.

Verſ. 5. 6. *Quid facietis in die ſolemni, in die feſtiuitatis Domini?* O quàm triſte, ô miſelli, vobis in exilio agendum Paſcha, Pentecoſte, ſcenopegia, & reliqua anni feſta, quæ tanto gaudio in patria peragere ſolebatis. * Horribilis admodum erit in exilio tartareo pœna damnatis interminabilis beatorum feſtiuitatis recordatio.] *Ecce enim profecti ſunt à vaſtitate, &c.* Ab excidio Samariæ profugi Iſraëlitæ Ægyptum vulgare aſylum, ſed fatale inierunt. Ab Ægyptiis recipientur ferro, veneno, inopia, tabe mox è viuis abducendi, Memphis primaria Regni ciuitas, (ex publico ærario) ære omni anteà exhauſtos eos ſepeliet. Interim in Paleſtina palatia & cubilia eorum argento ita exornata, vt montes argentei viderentur ad ſolum vſque Aſſyrius ſternet, & radet, adeò vt loco eorum vrticæ, & lappæ germinent. Quidnam *lappa?* Flos eſt ſpinæ aculeis plenus, qui à ludibundis pueris iniectus in veſtem, tenaciter adhæret.

Horribilis pœna damnatis interminabilis beatorum feſtiuitatis recordatio.

Verſ. 7. 8. *Venerunt dies viſitationis, venerunt dies retributionis, &c.* Suſtinui iam diù vltricem dexteram: aduenit tandem dies, in quo populo debita ſupplicia rependam. Viſitabo ſcelera, quæ ab ſtulto populo non vidiſſe, aut diſſimulaſſe putabar. Diſces, Iſraël, quanto in errore fueris, cum verum Prophetam ſtultum appellabas, & inſanum eum, quem diuinus ſpiritus afflabat. Tu verè inſanus fuiſti, & ideò quia inſigniter fuiſti iniquus, & amens, ſpiritualem virum amentiæ, & inſaniæ damnabas. * Quàm commune eſt, ſtultos, vel iniquos, alios ſtultos, vel iniquos eſſe cogitare!] Vnde vulgare apud Hiſpanos illud: *Pienſa el ladron, &c.*] *Speculator Ephraim cum Deo meo, &c.* Fuere apud Iſraëlitas ſpeculatores, ac Prophetæ veri, qui Dei præſcripta eis indicerent. Fuere & falſi, qui fallaci adulatione eos in laqueum, & ruinam induxére. Hi verè fuerunt inſani: quid enim in deorum ſuorum delubris præter inſaniam potuerunt ediſcere? * Et quidem Concionatores, qui blandimento dulcium, ſed futilium, ac inutilium verborum lactare auditores ſtudent, dum eos minis terrere deberent, eos in laqueum, & exitium adducunt.]

Iniquus alios iniquos eſſe cogitat.

Concionator inutilia proferens, vt aures demulceat, auditoribus fit laqueus ruinæ.

Verſ. 9. 10. *Profundè peccauerunt, ſicut in diebus Gabaa, &c.* Ex contempto verorum Prophetarum, falſorumque æſtimatione, ad eam Iſraëlitæ impietatem abducti fuére, vt profundum iniquitatis attigerint. Neque enim eorum mores minus corrupti fuerunt, quàm Gabaonitarum: vndè non mitiora, quam illi, ſupplicia ſubierunt. *Quaſi vuas in deſerto inueni Iſrael, &c.* Iſraëlem inuentum deſertum ab omnibus ego gratum, charumque habui, quaſi ſi laſſus, ac famelicus in ſolitudine vuas, vel ficus primitias è cacumine recens decerptas ab alio caſu periſſem. Et vt charum habui, laui, foui, mihi deuinxi. At ipſe ingratus, ſtolidus me fugiens probroſum, immundumque Priapum, amorum idolum requiſiuit. Sic nunc quoquè poſt tot à me accepta beneficia, me ſpreto currit ad vitulos. Ex quo id conſecuti ſunt, vt in omnium ludibrium abierint, non iam cunctis minus abominabiles, quam quæ in ea profeſſione execrabili dilexere. * Profectò luxuriæ vitium nobiliſſimum quemque apud cordatos reddit infamem.]

Luxuriæ vitium cultores ſuos reddit infames.

Verſ. 11. 12. *Ephraim quaſi auis auolauit, &c.* Decem Tribuum poſteritas, (quæ ſolet eſſe gloria, decus, ac gaudium parentum) non diù ſupererit: nàm, auis inſtar, viſa eſt mihi auolare, ſeu extingui, partim illico à partu matrum; partim ab vtero, priuſquam prodeant in lucem: partim à primo conceptu, priuſquam vel embryo formetur. Ac ſi diceret: ſterilitate laborabit Iſrael, nec deinceps maſculam, aut robuſtam prolem educet. * Dum Priapo cultum offerũt, illicitis dant operam voluptatibus? Legitimæ prolis parentes non fient. Solet Deus coniuges illicitæ voluptati addictos ad prolem legitimam ineptos reddere.] *Quod ſi enutrierint filios ſuos, abſque liberis, &c.* At ſi fortè contigerit, aliquam eorum prolem adoleſcere, aut immaturi excident gladio confecti, aut in exilium à parentum oculis abſtrahentur, quod parentibus perinde erit, ac ſi iam è viuis deceſſiſſent. Heu quàm dira eis accurrent incommoda, cum animum ab eis paternum ſubtraxero. * Quodnam quæſo Deus præbet indicamentum, quod nondum ab illis peccatoribus paternum affectum miſericors admodùm non auerterit? Credo, quia eos adhuc monet, corrigit, carpit, tribulatione immiſſa. Cum delinquens laboribus afficeris Dei adhuc benigniſſimi patris flagellum recognoſce. Vndè væ peccatori, quem Deus delinquere impunè permittit.]

Solet Deus ad legitimã prolem ineptos reddere coniuges delicatæ Veneri addictos.

Cum Deus peccatorem laboribus afligiat, ſe patrem flagellantem oſtendit.

Verſ. 13. 14. *Ephraim, vt vidi, Tyrus erat, &c.* Meæ Iſraëliticæ gẽtis patrono ſic erat munita, vt Tyro non cederet, quæ pulcherrimam habuit, eandemque fortiſſimam munitionem. At cum ab illa receſſero ſic erit infirma, & infelix, vt filios, quos ad arcendum Aſſyriorum impetus armauerit, non tam ad aciem, quàm ad necem eduxiſſe videatur. *Da eis Domine, &c.* Da eis Domine vuluam concipiendo, ac efformando fœtui minimè idoneam. Da ſi quando fœtum lucem aſpicere contigerit, vbera arentia, vt ab vtero filius ad tumulum tranſlatus videatur. * Ad quid enim Iſraëlitica gens multiplicabitur, ſi ſatius ſit non naſci, quam ad populum derelictum à Domino pertinere.]

Satius non naſci, quam pertinere ad populum à Deo derelictum.

Verſ. 15. *Omnes nequitia eorum in Galga, &c.* Grauiſſima (ait Dominus) eorum iniquitas in Galgalis fuit patrata. Quia cum ibi magna à me beneficia recepiſſent, primùm Baalim, & Aſtaroth idola erexerunt. Deinde Dei regimine excuſſo, ſibi proprium popoſcerunt Regem, qui more Gentilium nationum, eos pro libito gubernaret. * Aggrauatur equidem maximè delictum, cum poſt beneficia accepta perpetratur.] Ideò eiciam eos procul à patrio ſolo, neque iam iterùm ſicut anteà diligam. Quia Principes illorum, quorum exempla

Aggrauatur delictũ poſt beneficia à Deo accepta.

turba

turba ſequitur imperita, à meis præſcriptis exceſſerunt.

Verſ. 16.17. Percuſſus eſt Ephraim, &c. Percutitur itaque Iſraël, neque priorem vnquam remeabit ad gloriam, ſicut arbor, quæ vbi exſiccata eſt radix, neque fructus edit, neque viriditate & flore rediuiua conſpicitur. Quod ſi vt arbor germinat, ab ipſis filios procreari contigerit, chariſſimam illorum ſobolem ex hoc gladio hoſtili deuoueo. *Abijciet eos Deus meus, &c.* Illos (ait Propheta) Deus abiiciet, quia eius præſcriptis ſe obſequentes non præſtiterunt. Vndè a ſuis ſedibus expellentur ſic, vt nullibi conſiſtant, ſed odioſi omnibus, ſedibus incertis diuagentur.

CAPVT X.

Vti frondoſæ botris vacuæ, & vitulæ amanti trituram comparat Iſraëlem. Hortatur ad ſectandam iuſtitiam, vt ſic lætam benedictionum meſſem valeant cum exultatione triturare. Quod ſi neglexerint Decem Tribus, eis horribile minatur excidium.

1. VItes frondoſa Iſraël, fructus adæquatus eſt ei: ſecundùm
multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria, iuxta vber-
tatem terræ ſuæ exuberauit ſimulacris. 2. Diuiſum eſt cor
eorum, nunc interibunt ipſe confringet ſimulachra eorum,
depopulabitur aras eorum. 3. Quia nunc dicent: Non eſt
rex nobis: non enim timemus Dominum: & rex quid faciet
nobis? 4. Loquimini verba viſionis inutilis, & ferietis fœ-
dus: & germinabit quaſi amaritudo iudicium ſuper ſulcos agri. 5. Vaccas Betha-
uen coluerunt habitatores Samariæ: quia luxit ſuper eum populus eius, & æditui
eius ſuper eum exultauerunt in gloria eius, quia migrauit ab eo. 6. Siquidem &
ipſe in Aſſur delatus eſt, munus regi vltori: confuſio Ephraim capiet, & confunde-
tur Iſraël in voluntate ſua. 7. Tranſire fecit Samaria regem ſuum quaſi ſpumam
ſuper faciem aquæ. 8. Et diſperdentur excelſa idoli, peccatum Iſraël: lappa &
tribulus aſcendet ſuper aras eorum: & dicent montibus: Operite nos, & collibus:
Cadite ſuper nos. 9. Ex diebus Gabaa, peccauit Iſraël, ibi ſteterunt: non compre-
hendet eos in Gabaa prælium ſuper filios iniquitatis. 10. Iuxta deſiderium meum
corripiam eos: congregabuntur ſuper populi, cùm corripientur propter duas ini-
quitates ſuas. 11. Ephraim vitula docta diligere trituram, & ego tranſiui ſuper
pulchritudinem colli eius: aſcendam ſuper Ephraim, arabit Iudas, confringet ſibi
ſulcos Iacob. 12. Seminate vobis in iuſtitia, & metite in ore miſericordiæ, inno-
uate vobis nouale: tempus autem requirendi Dominum, cùm venerit qui docebit
vos iuſtitiam. 13. Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis frugem
mendacij: quia confiſus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum. 14. Con-
ſurget tumultus in populo tuo: & omnes munitiones tuæ vaſtabuntur, ſicut vaſta-
tus eſt Salmana à domo eius qui iudicauit Baal in die prælij, matre ſuper filios alliſa.
15. Sic fecit vobis Bethel, à facie malitiæ nequitiarum veſtrarum.

COMMENTARII.

1. VERS. 1.2. *Vitis frondoſa Iſraël, fructus adæquatus eſt ei, &c.* Iſraël fuit, eſtque vitis frondoſa, Hebr. בקק *bokec, euacuans ſe* primum in pulcherrimas frondes, deindè opimos fructus, qui adæquati ſunt ei, id eſt, reſponderunt palmitum numero. Vberes terræ ſanctæ prouentus, opes, victorias, delicias, quibus Iſraelitæ abundabant, ingrati in Dei conuertunt iniuriam. Nam quanto plura percepere bona, tanto plura non Deo eorum bonorum largitori, ſed dæmonibus conſtruxerunt altaria, immunda Delubra ædificarunt. * Horum quidem imitator eſt ille, qui diuitias, pulchritudinem, vires, aliaque beneficia cœlitus accepta in maleficia vertunt, diuitias in vitia, fruges in gladios, ſpeciem in ſagittas, quibus contra Deum pro diabolo decertant.] *Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt, &c.* Animi eorum mutuis odiis inter ſe diſſidentes, ad ſummer laborant interitum. Volunt enim hi Aſſyrios muneribus placari, alij bello impeti, alij fieri deditionem, alij Ægyptios, Syroſque euocari aduerſus communem hoſtem; ideò *interibunt*, LXX. *exſcindentur*, An idem eſt exſcindi populum ac interire? Ita planè. Schiſma enim eſt cauſa etiam maximorum Imperiorum ruinæ.] Ipſe hoſtis Aſſyrius tam ſacra eorum, quam profana comminuet, deuaſtabit.

Peccator Dei beneficia in maleficia vertit ingratus.

Schiſma, ſeu diuiſio eſt cauſa Regnorum ruinæ.

Verſ.3. 4. Quia nunc dicent : Non eſt Rex nobis, &c. Tunc capto Rege, & occupata regia, Iſraëlitæ dicent deſperatione affecti : Regem non habemus, qui nos aduerſus Aſſyrios tutari valeat. Imò etiamſi Regem, qui nos defendere curaret, haberemus, nihil proficeret, cum à Rege Regum Deo, quem non colimus, fuerimus deſerti. * Si populus ſine Deo eſt, parum ei proderit, à Rege forti, ac Sapienti admodùm gubernari, vt ab incommodis liberetur : populari enim crimine prudentiam gubernatoris infatuari, fortitudinem infirmari, experimento didſcimus.] *Loquimini verba viſionis inutilis, &c.* Nunc heus Pſeudoprophetæ, proferte iam populo viſionis mendacis oracula, qua omnia Iſraëli felicia pollicebamini. Fœdus cum Aſſyrio ferietis : at ex eiuſmodi fœdere ſolummodo amarum vobis iudicium germinabit, damnatio ſcilicet, & ſupplicium, non vnum, neque ſimplex, ſed multiplex, & copioſum : vtporè ſuper omnes agri veſtri ſulcos. * Si ex ſeminato crimine ſupplicium germinat : copioſæ criminum ſeminationi, meſſis pœnarum copioſa admodum reſpondebit.]

Populus ſine Deo perit, licet à prudenti, ac forti Principe gubernetur.

Copioſæ peccatorum ſeminationi copioſa pœnarum meſſis reſpondet.

Verſ.5.6. Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ, &c. Vitulas à Ieroboamo collocatas in Bethel & Dan, aut potius in Bethauen coluere hucuſque Samaritæ : & Sacerdotes fani earum in glorioſo cultu earum exultauerunt. Aſt lugebunt mox, quod vtraque vitula ſua ab eis in Aſſyriam demigrabit, Regi Salmanaſari communi oppreſſorum vltori, & iam vindici pro iniuria tùm Deo, tum ſibi illatæ ſingulari pro munere deferenda. Ideò addit : *ſiquidem & ipſe in Aſſur delatus eſt, &c.* Deferentur itaque vaccæ ſeu vituli aurei inter alia ſpolia ad Regem Aſſyriorum, cuius nomen *vltor*, ſeu vindex erat, tanquam aliquod egregium munus. Quod cum fieri viderint decem Tribus erubeſcent pudore ſuffuſi, ſuumque conſilium ſerò damnabunt : cum aſpexerint, tam facilè, tam ignominioſè eſſe delectum, quo ſubſidio ſibi fore valido exiſtimabant. Hebraicè illi vituli aurei dicuntur עגלות. *eglot*, quod fœmineum eſt, & *vitulam* ſignificat : & ita LXX. vertunt. Noſter autem ferè ſemper vertit *Vitulum.* Quod ſi huiuſmodi ſimulacris fœmina forma expreſſis laſciuia ſignatur (vti nonnulli affirmant :) non miror cæcos Iſraëlitas luxuriæ cultores ità miſerè periiſſe. Hoc enim vitium ſuos exitialiter vulnerat amatores.

Luxuria ſuos cultores interficit.

Verſ.7.8. Tranſire fecit Samaria Regem ſuum, &c. Amiſit Samaria Regem ſuum *Oſee*, eum ad cultum vitulorum alliciens. Qui ſic euanuit à Regno ſublatus, ſicut ſpuma quam excitauit in pelago ventus, aut feruor ſuper flumen, quæ momento temporis tota diſſipatur, ac perit. Infeliciter viuunt, & infelicius moriuntur Principes, qui veram auitam religionem puram aſſeruari non ſatagunt.] *Et diſperdentur excelſa idoli, peccatum Iſrael, &c.* Non tantum vituli Samariæ, ſed & excelſa eis conſecrata perdentur, in quibus commiſſum fuit ab Iſraële huiuſce idololatriæ crimen. Vbi verò vitulorum aræ aromate, ac victimis frequentèr fumarunt, lappæ ac tribuli exorientur. Tunc autem eo Iſraël mœrore afficietur, vt ſtatum illum cupiat cum diro mortis genere commutare. Ideò malis vrgentibus inclamabit : O montes, ô colles, in quorum fugimus ſpeluncas, cadite, operite, & obruite nos. Si temporale malum homines tam dirum commouet ad affectum : quid mala æterna, omni ſpe ſtatus melioris ablata, in corde damnatorum efficiet ? Haud mirum, teſte Domino, prolaturos, Montes, *cadite ſuper nos.*]

Infeliciter moriuntur Reges, qui verã religionem puram non curant aſſeruari.

Quid interminabilium malorum in damnatorum animo horror efficiet?

Verſ.9.10. Ex diebus Gabaa, peccauit Iſraël, &c. Vicerunt porrò Iſraelitæ in delinquendo Gabaitas : quorum mores fuere olim in omnem proiecti turpitudinem, & infamiam, & diù in illis perſtitere. Ideóque longe grauiori prælio diuexabuntur ab externis hoſtibus, quàm quo à cognatis Tribubus ciues Gabaa iniquiſſimi fuere confecti. *Iuxtà deſiderium meum corripiam eos, &c.* Victricibus igitur externorum populorum armis iræ meæ, atque deſiderio ſatisfaciam, cum illos propter duo ſcelera, quæ patrauerunt, ſeuerè corripiam. Alterum fuit incontinentia qualis olim fuit apud Gabaitas : alterum idololatria, quam ad Gabaitarum luxuriem addidere. * *Propter duas* (ait) *iniquitates ſuas,* luxuriam ſcilicet, & idololatriam. Annon (ſi ſpiritum loci huius timemur) hæc duo vitia pariter incedunt ? Intemperantiæ ſeu circa gulam, ſeu circa luxuriam Deus eſt venter; hæc enim vitia Dei ingerunt homini obliuionem, vt ſolum voluptatibus litet obſequium.]

Luxuria & idololatria pariter quodammodò incedunt.

Verſ. 11. Ephraim vitula docta diligere trituram, &c Ephraim ſeu Iſraël eſt inſtar vitulæ, quæ non arare, ſed triturare didicit. Detrectat ſubire legis diuinæ iugum, quia laborioſum : amat inter medios ſegetum aceruos ambulare, vt ſegetes ore carpat, ex alienoque labore fructus decerpat. Ego autem inſiliens tranſibo ſuper tam pulchrum collum, iniectoque iugo, & ſtimulo impacto, tumentes eius ceruicum toros edomabo, & ad aratra in remotiſſimis à paſtu locis, nempe in Aſſyria, trahenda vel inuitam ablegabo. Profectò vitulæ ſic domitæ exemplo Iudas ſat ante petulcus ac rebellis metu ſimilis mali iugum meum ſpontè ſubibit, & meo ex præſcripto arabit, & diuinæ legis meæ ſulcos aperiet, glebas ſcelerum confringet. * Supplicium enim vni peccatori illatum alterum aſſolet ad frugem adducere meliorem.] Demum Iacob, id eſt, piorimi ex reliquiis Regni Iſraëlitici exciſi, in Iudæam profugi, idem cum Iuda tunc tanquam famuli eius facient Iudæorum exemplo. * Famuli enim facile proba, aut praua dominorum ſuorum æmulantur exempla.]

Supplicium vni peccatori illatum alterum ad frugem meliorem adducit.

Famuli dominorũ bonos, vel prauos mores imitantur.

Verſ.12.13. Seminate vobis in iuſtitia, &c. Terræ itaque cordis veſtri ô Iſraëlitæ tradite non impietatis ſemina, ex quibus vobis iam imminet triſtis pœnarum meſſis : ſed ſemina iuſtitiæ, nempe iuſta deſideria, pia opera : & in *ore miſericordiæ*, metetis, id eſt, ſecundùm os, & capacitatem diuinæ miſericordiæ. Veniam ſcilicet aſſequemini culparum, & imminentium pœnarum remiſſionem. Si ergò ſapitis, operi manus quamtocyus admouete, ſpinas tot vitiorum euellite, vt inſtar agri nouiter exculti virtutum ſemina excipiatis, foueatis, faciatiſque vberrimè germinare. Et dum tempus adeſt Dominum requirendi, ne illud petire patiamini : ſed expectate, donec propitius Deus re ipſa doceat, & oſtendat fructus, qui ex miſericordiæ ac iuſtitiæ ſulcis pullulabunt. *Araſtis, impietatem*

tem meſſuiſtis, &c. Satis diù ò Iſraëlitæ luſiſtis, ac perdiſtiſtis operam: Seminaſtis enim in impiis alienæ regionis ſulcis corrupta criminum ſemina, & ſupplicium ex ſtulto illo labore retuliſtis. Peperiſtis vobis ſementis illa mendacé ac lapidoſum panem: quia abiecto Deo, qui vnicus protector eſſe poterat, in veſtris conſiliis, bellatorumque multitudine ac robure ſpem omnem collocaſtis.

Verſ. 14. 15. Conſurget tumultus in populo tuo, &c. Repentè hoſtium tumultus excitabitur: & quidquid munitionum aduerſus eorum impetum comparaſti, vaſtabitur. Non aliter quam ſuperbiſſimus, & potétiſſimus Salmana à Gedeone (qui per irriſionem dixerat, Baal eſſe vindicandum) eodem die, quo primum eſt initum prælium, ſuperatus fuit. Et non ſolum qui in caſtris Salmana erant, confecti ſunt à ſuo, vel hoſtium gladio, ſed etiam liberis ipſæ quoque matres, quæ bello non interfuerunt trucidatæ conciderint, *Sic fecit vobis Bethel, à facie malitiæ nequitiarum veſtrarum.* Hanc vobis aurei vituli ſtragem adducent, quos pro diis in Bethel collocaſtis. Hic veſtrarum iniquitatum amarus eſt fructus. * Et quomodo ex amara peccati radice, peſtilenti ligno, dulces poterant fructus prodire.] Peccatorum amari fructus.

CAPVT XI.

Iſraëli plurimis à Deo beneficiis onerato ingratitudinem exprobat, captiuitatemque prædicit. Quibuſdam tamen vna cum Tribu Iuda reditum in patriam pollicetur.

1. SICVT manè tranſit, pertranſiuit rex Iſraël. Quia puer Iſraël,
& dilexi eum: & ex Ægypto vocaui filium meum. 2. Vo-
cauerunt eos, ſic abierunt à facie eorum: Baalim immola-
bant, & ſimulachris ſacrificabant. 3. Et ego quaſi nutritius
Ephraim, portabam eos in brachiis meis: & neſcierunt quod
curarem eos. 4. In funiculis Adam traham eos, in vinculis
charitatis: & ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eo-
rum: & declinaui ad eum vt veſceretur. 5 Non reuertetur in terram Ægypti, &
Aſſur ipſe rex eius: quoniam noluerunt conuerti. 6. Cœpit gladius in ciuitatibus
eius, & conſumet electos eius, & comedet capita eorum. 7. Et populus meus
pendebit ad reditum meum: iugum autem imponetur eis ſimul, quod non auſe-
retur. 8. Quomodo dabo te Ephraim, protegam te Iſraël? quomodo dabo te ſicut
Adama, ponam te vt Seboim? Conuerſum eſt in me cor meum, pariter conturbata
eſt pœnitudo mea. 9. Non faciam furorem iræ meæ: non conuertar vt diſperdam
Ephraim: quoniam Deus ego, & non homo: in medio tui ſanctus, & non ingre-
diar ciuitatem. 10. Poſt Dominum ambulabunt, quaſi leo rugiet: quia ipſe ru-
giet, & formidabunt filij maris. 11. Et auolabunt quaſi auis ex Ægypto, & quaſi
columba de terra Aſſyriorum: & collocabo eos in domibus ſuis, dicit Dominus.
12. Circumdedit me in negatione Ephraim, & in dolo domus Iſraël: Iudas autem
teſtis deſcendit cum Deo, & cum ſanctis fidelis.

COMMENTARII.

1. *Iſraëli collatum in eum beneficia exprobrat.* VERS. 1. 2. *Sicut manè tranſiſt, &c.* Oſee Rex Iſraëlis in alteram vitam tranſiit velut *mane.* Hebr. *in aurora,* ſeu ſub Regni ſui initio, cum poſt longam ærumnarum ab Aſſyriis Regibus inflictarum noctem Iſraël nonnihil lucis ac proſperitatis maximè ex accurſu *ſua* Regis Ægypti perſentiſcere cœpiſſet, ſubita Salmanaſſaris indignatione ſpes omnis euanuit, Rex captus, & occiſus, Samaria obſeſſa, & ſciſſa fuit. Tanti mali cauſa fuit Iſraëlis in me ingratitudo, & rebellio. Quia cum ipſe adhuc puer eſſet tenellus, ſe regere neſcius, ab Ægyptiis oppreſſus, & neci deſtinatus: ego eum inſtar nutricij, imò inſtar matris dilexi, foui, & quaſi filium meum vterinum ex Ægypto euocaui in terram patribus olim eius promiſſam. *Vocauerunt eos, &c.* Moyſes & Aaron Iſraëlis filios vocauerunt, & eduxerunt ex Ægyptiaca ſeruitute, & idololatria. At ipſi mihi, & illis rebelles obuerterunt eis terga currentes ad Baalim, id eſt, ad idola, puta ad vitulos aureos, ad Beelphegor, ſeu Priapum, & ad alios deos Gentium, quibus, me vidente, hoſtias litabant.

Verſ. 3. 4. Et ego quaſi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, &c. Suſcepi Iſraëlitas licet ingratos ea indulgentia, qua nutricius delicatum clientulum ſuæ tutelæ commiſſum, qui non ſolùm alimento paſcit, regit conſilio, ſed etiam quaſi materno fouet in ſinu. * Tanta enim Dei miſericordia, vt quodammodo ex noſtra maiori ingratitudine vberiora concipiat miſerendi excitamenta.] Cùm autem ego populum illum ſuſcepiſſem, ac curaſſem, ſicut

Immenſa Dei miſericordia ex noſtra ingratitudine concipit vberiora miſerendi excitamenta.

Medicus

Medicus variis ægritudinibus laborantem infirmum : ille tamen quo erat mentis ſtupore, non intellexit, aut ſaltem in agendo, animum beneficij memorem non oſtendit. * Quàm aptè addidit : *Et neſcierunt, quod curarem eos.* Ingratitudo enim hominem indicat inſipientem, & ſtupidum.] *In funiculis Adam traham eos, &c.* Ad me eos traham in funiculis *Adam*, LXX. *hominis*, id eſt, funiculis, quibus ſolent homines trahi, nempè doloribus, tribulationibus. * Miſericors enim Deus peccatori labores immittit, vt velut fræno ab iniquitate auertar, & velut calcaribus ad pietatem inſtimulet.] Ego aptius de funiculis beneficiorum expono. Iſraëlem etſi petulcæ viculæ (*cap.* 10.11.) more mihi obnitatur, nolo tamen vt beſtiam tractare, & flagellorum vinculis inuitam cogere, ſed vt hominem ingenuum beneficiis allicere decreui. * Profectò nihil ſic ingenuum hominem ad rectitudinem attrahit, quam collatio beneficiorum.] Tales funiculi fuére columna in deſerto, manna, aqua de ſaxo, & tot victoriæ. Et cum aliquid laboris in longo illo deſerti, difficilique tranſitu ſubirent, ego ſic eos releuabam, ſicut agricola ſolet laborantem bouem, quem à iugo liberat, & à labore ſubmouet, vt ſuis ſe temporibus pabulo ſe reficiat.

Ingratitudo hominis eſt inſipientis & ſtupidi.

Labores hominé à peccatis auertunt.

Beneficia ingenuum hominé ad rectitudinem adducũt fortius quam flagella.

2.

Supplicium Iſraëli minatur.

Verſ. 5. 6. 7. *Non reuertetur in terram Ægypti, &c.* Cùm populo ingrato illo adeò clementer egi ne rurſus ad Ægyptiam ſeruitutem remearet. Porrò licet parentes eius in Ægyptum reuerſi non fuére, imò nec poſteri, tamen ad Aſſyrios abierunt, quorum non erat mitior dominatus. Quia à via, qua ingreſſi fuerant, iniuſta, ad me conuerti noluerunt, diriorem ſubiére tyrannidem. * Recurrit enim grauius ſupplicium, ſi recurrat iniquitas, è qua Dei beneficio receſſeras.] *Cœpit gladius in ciuitatibus eius, &c.* Iam Aſſyrius gladius vaſtare cœpit Iſraëlis Vrbes, & quod reliquum eſt, totum abſumet : illos etiam, in quorum poteſtate, atque arbitratu erat Reipublicæ ſumma, conficiet. * Si commune totius populi expreſſerat excidium, cur addidit. *Et comedet capita eorum?* An quia frequenter cunctis ciuibus vapulantibus, aſſolent proceres à flagello communi liberari? Ita planè] *Et populus meus pendebit ad reditum meum, &c.* In ea rerum anguſtia populus pendebit ex me, expectabitque, vt benignus redeam, qualis anteà ſolitus antiqua parentum ſuorum memoria : ſerò tamen & fruſtra. Suſtinebunt etenim iugum, quod nullus ex eorum ceruicibus exſoluat. * *Sero*, inquam, *& fruſtra.* Quia ſera pœnitudo ſæpè clamat inaniter, quia ipſa inanis Dei oculis oſtentatur : cum ſcilicet peccatoris clamor potius ex vulneris dolore, quam ex cordis compunctione procedit.]

Recurrit grauius ſupplicium, ſi ad priorem recurris iniquitatem.

Omnibus ciuibus pereũtibus, ſolent proceres à flagello eripi ex diuitiis.

Sera pœnitentia plerũque ſuſpecta.

Verſ 8 9. *Quomodo dabo te Ephraim, protegam te Iſrael, &c.* Quonammodò paterno pectori poſſibile erit, vt totum te ô Iſraël, dem Aſſyriis excidendum? Quid ergo? Protegam ne te tam mihi rebellem, tam obſtinatum filium? Non permittunt ſcelera tua, quæ in cælum vindictam inclamant. Quid ergo? Dabo te, ſicut olim dedi Sodomam, Gomorrham, Adamam, & Seboim Pentapoleos Vrbes? Quomodò id pectus feret maternum? En luctam amoris diuini cum vindicatiua eiuſdem iuſtitia. Vtrius erit victoria? Vincat amor. Conuerſum eſt in me, & immutatum cor meum, intimo animi ſenſu quaſi pœnitens conturbor, dum menti tam ſeuera ſententia ſubit. *Non faciam furorem iræ meæ, &c.* Quare non totam meam iram exſaturabo, vt omninò Iſraëlem diſperdam. Quod quidem homo faceret, ſi iracundia ſimili ſimilem etiam facultatem vleiſcendi doloris haberet. Ego verò Deus ſum, qui poſſum iram continere, & illam miſericordia temperare : non homo, qui furorem adductis habenis non ſolet cohibere. * Ergo qui cohibet, qui iniuratori parcit, ſe non iam hominem, ſed Deum quodammodò oſtentat.] Quare non ingrediar ciuitates Iſraelis eo modo, quo Sodoman olim ſum ingreſſus, vt igne immiſſo, omninò cæderet in fauillam.

Qui iracundiam ſcit cohibere, & inimico parcit, ſe quaſi Deũ oſtentat.

Verſ. 10. 11. *Poſt Dominum ambulabunt, &c.* Nonnulli Iſraëlitarum poſt me ambulabunt, mihique ad meliorem mentem redacti, legitima ſacrificia offerent. At non prius, quam quando rugiam ſicut leo, & per Aſſyrios Regnum illorum in fruſta diſcerpam. Quia igitur ſic veſtra vult pertinacia, ego rugiam tam horribili rugitu, vt formidini ſim inſulanis, & tranſmarinis, ſeu vſque extremos fines urbis. Qui verò hoc acti rugitu conuerſi ad me fuerint, pereuntibus aliis, ſaluabuntur. Nam per Cyrum libertati priſtinæ reddentur. *Et auolabunt, quaſi auis ex Ægypto, &c.* Cum autem rugitu meo Aſſyrios, Ægyptioſque concuſſero, redibunt ex eorum regionibus vbi agebant extorres Iſraëlitæ, ea celeritate, qua ad nidos ſuos columbæ, aut aues aliæ, quas agit ad propria diuerticula atra tempeſtas, reuertuntur. * Memoria laborum, quos in peccati captiuitate ſubiiſti, te quidem ſtimulat, vt velocius rectam virtutis ſemitam arripias.]

Memoria laborum, quos in peccato ſubiiſti, te faciunt velocius virtutis viam arripere.

3.

Quibuſdam reditum in patriam pollicetur.

Verſ. 12. *Circumdedit me in negatione Ephraim, &c.* Iſraël denegauit mihi omni ex parte debitum amorem & cultum, inhærens *mendacio*, (ſic Hebræus) ſeu cultui mendacium, & falſorum deorum : & *dolo*, ſeu fraudi multiplici, qua quiſque proximum ſuum fallere conatur. Non ſic Tribus Iuda, quæ ſub pio Rege Ezechia teſtis diuinitatis meæ omni ex parte fidelis, etiam ad vos conuertendos, *deſcendit cum Deo, & cum ſanctis*, id eſt, innitens ſingulari Dei ope fulta, & Sacerdotum ſuorum auxilio (quos Rex per omnes Tribus Iſraël miſit legatos, & Doctores) vt errantes ad vnius Dei cultum reuocaret. * Profectò, qui ſaluti proximorum incumbunt, *cum Deo deſcendunt*, quia Deus & eos comitatur, & ad ſacra gerenda miniſteria exhibet adiutorium.] In tantæ verò charitatis compenſationem, cum exſcindam Regnum decem Tribuum, Regno Iudæ parcam, faciamque, vt adhuc per plures annos dominetur, Chaldæus quidem illud Hebraicum *ed rad*, quod Noſter vertit *teſtis deſcendit*, mutatis nonnihil punctis, legit, *od rad*, id eſt, *adhuc dominatur.* Ezechiæ itaque iuſſu doctores Concionatores immiſſi fuere ad Iſraëlitarum conuerſionem, quorum *fidele teſtimonium*, & ergà fratres charitas Deum adduxit, vt Iudæ æternaret Imperium. * Vt edoceantur Reges, eam circà conuerſionem proximorum ſalutem curam, quam adhibent Concionatores immittendo, eorum Regna ſtabilire.] * Hinc

Deus comes eſt eorũ, qui ſaluti proximorum incumbunt.

Stabiliuntur Regna, dum curãt Reges fidem propagari.

Regis

Cõmendatur Catholici Regis pietas ſacros ministros ad Indos immittẽtis

Regis Catholici pietatem commendo, qui Ezechiam vincens non ſemel vt ille, ſed ſannis ſingulis ſacros miniſtros remittit ad Indos promulgaturos Gentibus, Euangelium, & Chriſticolas iam in fide, ac pietate confirmaturos.]

CAPVT XII.

Exprobrat Iſraëli, quod opis cauſa ad idola, ad Ægyptios, & Aſſyrios accurrat: Iudæos quoque taxat, quod; Deo in eos munificentiſſimo neglecto, iiſdem ſimulacris adhæreat. Iſraëli ob hanc ingratitudinem captiuitatem prædicit: Iudæ verò minatur eandem, ni reſipiſcat; ſed ſpatium dat ei pœnitentiæ.

1. EPHRAIM paſcit ventum, & ſequitur æſtum: tota die men-
dacium & vaſtitatem multiplicat: & fœdus cum Aſſyriis
iniit & oleum in Ægyptum ferebat. 2. Iudicium ergo Domi-
ni cum Iuda, & viſitatio ſuper Iacob: iuxta vias eius, & iuxta
adinuentiones eius reddet ei. 3. In vtero ſupplantauit fra-
trem ſuum: & in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo.
4. Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt: fleuit, & ro-
gauit eum, in Bethel inuenit eum, & ibi locutus eſt nobiſcum. 5. Et Dominus
Deus exercituum, Dominus memoriale eius. 6. Et tu ad Deum tuum conuerte-
ris: miſericordiam & iudicium cuſtodi, & ſpera in Deo tuo ſemper. 7. Chanaan,
in manu eius ſtatera doloſa, calumniam dilexit. 8. Et dixit Ephraïm: Verum-
tamen diues effectus ſum, inueni idolum mihi: omnes labores mei non inuenit
mihi iniquitatem, quam peccaui. 9. Et ego Dominus Deus tuus ex terra Ægy-
pti, adhuc ſedere te faciam in tabernaculis, ſicut in diebus feſtiuitatis. 10. Et
locutus ſum ſuper prophetas, & ego viſionem multiplicaui, & in manu prophe-
tarum aſſimilatus ſum. 11. Si in Galaad idolum: ergo fruſtrà erant in Galgal bobus
immolantes: nam & altaria eorum quaſi aceerui ſuper ſulcos agri. 12. Fugit Iacob
in regionem Syriæ, & ſeruiuit Iſraël in vxorem, & in vxorem ſeruauit. 13. In
propheta autem eduxit Dominus Iſraël de Ægypto: & in propheta ſeruatus eſt.
14. Ad iracundiam me prouocauit Ephraïm in amaritudinibus ſuis, & ſanguis
eius ſuper eum veniet, & opprobrium eius reſtituet ei Dominus ſuus.

COMMENTARII.

1. *Taxat Iſraëlitas ex idololatria, & recurſu ad Gentiles opis quærendæ gratia.*

VERS. 1. *Ephraim paſcit ventum, &c.* Iſraël, qui ſeruiendo mihi poſſet immenſos fructuum aceruos colligere, colendo idola, & fœdera cum Gentilibus ſanciendo, ventum paſcit, id eſt, nihil habet ſolidi, rebus nugatoriis ſeducitur: quemadmodum ſi qui captus mente non cibo, ſed vento ſe reficere ſtuderet. Dum verò ab externis requirit auxilium, id agit amens, vt vmbram gratam, ac refrigerantem expetens, ventum vrentem æſtiualem ſequatur. Quod magno ſuo malo experturos eſſe Iſraëlitas monet Oſeas, ſed fruſtra. Quomodo enim veræ fidei oſores fideliter, aut feliciter. *Tota die*, ſeu continuò ſtudent Iſraëlitæ multiplicare ſibi non modo *mendacium*, ſeu res futiles, ac fallaces, ſed & *vaſtitatem*, ſeu quæ vaſtitatis ipſis cauſa erunt: puta fœdus cum Aſſyriis, & cum Ægyptiis. *Et oleum in Ægyptum* ea de cauſa ferebant. En vaſtitatis occaſionem. Nam cum Salmanaſſar Aſſyriorum Rex intellexit, Regẽ Iſraël *Oſee* ſibi tributariũ, miſſo oleo, (quo Samaria abundat, & caret Ægyptus) Pharaonem *Sua* ad fœdus ſecum ineundum ſollicitaſſe: (4. *Reg.* 17. 4.) vſque eo exarſit, vt omne Regnum Oſee funditus euerterit.

2. *Iudam etiã reprehendit.*

Verſ. 2. 3. 4. 5. *Iudicium ergo Domini cum Iuda, &c.* Igitur iudicanda iam ſunt nunc Iſraëlis, & poſteà Iudæ crimina: quibus Deus poſt ſeuerum examen talia reddet ſupplicia, qualia vtrinſque merita exigunt. *In vtero ſupplantauit fratrem ſuum, & in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo*, Audiat Iſraël, & Iuda, quæ- iſnam ego beneficiis illorum, genus à principio fuerim proſecutus. Cum adhuc incluſus eſſet in vtero Iſraëlitarum pater Iacob manu calcem Eſaü fratris apprehendit, qui in partu præceſſerat: & ea fuit à Deo præditus fortitudine, vt Angelo fuerit ſuperior in certamine. *Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt, &c.* Robur itaque Iacobo datum eſt cælitus, quo directus, feliciter & cum victoria luctam iniit cum Angelo Dei vices gerente, quo ſignabatur eum cunctis hoſtibus ſuis præualiturum. Fleuit Iacob, & flendo Angelum rogauit, vt ſibi benedictionem impertiret. * Oratio enim cum

Efficax eſt oratio cum lacrymis.

R. P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. to. VII. p. I.

Auctorem ſuum ſuperbiendo contemnit.] Neque meliori in ſtatu erit Iuda, cum iiſdem ſeſe ſceleribus implicuerit.

Verſ.6.7. In gregibus ſuis, & in armentis ſuis, vadent, ad quærendum Dominum, &c. Cùm verò ſcelerum ſuorum cœperint Dei iram vindicem experiri, victimas agnorum, & vitulorum ei offerent, vt reddant placatum. At Deus ſic ab illis animum habebit alienum, ac ſi ſe ab eorum oculis longè ſubduxiſſet, ne eorum videret lacrymas, aut gemitus audiret. * Certum eſt, lacrymas, ac gemitus illos ex pœnitentiæ affectu non prodiiſſe, ſed ex tribulationibus, quibus premebantur dolore. Si enim ex vera fluerent pœnitudine lacrymæ, vnica procul dubio ſufficeret, ad omnia cordis piacula diluenda. Lacrymæ igitur & gemitus Deum non placant ſine interna animi compunctione.]

Lacrymæ & gemitus Deũ non placant ſine interno cordis dolore.

In Dominum præuaricati ſunt, &c. Neque hoc ſupplicium graue plus æquo videtur eſſe, quando ipſi tam grauiter deliquere. Nam parentes à Deo, à cultu, à pietate recedentes filios ſimili modo à Deo & religione alienos genuerunt. Porrò reiectos *nunc* ac deſertos, id eſt, iam iam cum omnibus partibus ſuis, (LXX. *cleris* ſeu *ſortibus*) id eſt, cum omnibus agris, & terris, quæ ſortito cuilibet Tribui, & familiæ obuenerunt, deuorabit, ac perdere incipiet menſis proxime ſequens. Videtur Oſeas hæc dixiſſe iam finibus imminente Aſſyriorum exercitu.

Verſ.8.9. Clangite buccina in Gabaa, &c. E ſpecula Vrbium Gabaa & Rama (erant ſitæ in monte in Tribu Beniamin) buccina, ac tuba perſonate: nunciate omnibus Syrios adeſſe. Etiam vobis ô Beniaminitæ, ô Iudæi à vicino hoſte periculum imminet. Ecce enim vlulatus captorum, & iugulatorum Iſraëlitarum in Bethauen ad cœlum conſcendit poſt tergum tuum, ſeu iuxta te, ô Beniamin. Vndè etiam iugulo tuo imminet. *Ephraim in deſolatione erit in die correptionis: in Tribubus Iſrael oſtendi fidem.* Decem Tribus Iſraël tempore punitionis per Aſſyrios planè deſolabuntur. Et de hoc præmoneo tempeſtiuè omnes: ſic oſtendens *fidem*, ſeu fidelitatem, quam amicis meis olim Iſraëlitis debere videor. * Innuitur ineffabilis Dei pietas, qui memor præteritæ hominum iuſtitiæ, gratis quidem eos ſæpè, immiſſis inſpirationibus, admonet de imminenti damnationis exitio, vt meliora reſumant.]

Memor Deus præteritæ hominum iuſtitiæ eos delinquẽtes admonet ſæpè, vt à periculo damnationis recedant.

Verſ. 10. 11. 12. Facti ſunt Principes Iuda quaſi aſſumentes terminum, &c. Quia Principes Iuda, quos cautos facere debuiſſet vicinorum extrema calamitas, ſic expreſſere Iſraëlitarum mores, quaſi illorum terminos aſſumpſiſſent, & eiſdem ac illi finibus vixiſſent, ac legibus: ideò in illos quoque ſic effundam iram, vt cum torrente, qui præceps, atque copioſè fluit, valeat comparari. * Meritò Dei iram incurrit, qui vnius aut plurium peccatorum illatum aſpicit ſupplicium, & ſimili impietate gerenda non illicò recedit.] *Calumniam patiens eſt Ephraim, &c.* Sub impiorum Aſſyriorum iugo Iſraëlitæ calumniis agitatur: etſi quando, vt calumnias depellat, & calumniaturos obtundat, vult iudicio contendere cum illis, ab iniuſto Iudice frangitur, & conteritur. Et ita ei accidit, quia poſt idola ſordida quidem abire cœpit. * In vindictam namque alicuius peccati commiſſi, permittit ſæpè Deus, peccatorem iniuſtè ab alio calumnia affici, vel ab iniquo Iudice immeritò condemnari.] *Et ego quaſi tinea Ephraim, & quaſi putredo domus Iuda.* Ego autem licet iuſtiſſimè poſſem Iſraëlem ſubita calamitate omninò delere: nolo tamen vno ictu conterere ſontes, ſed ero ei quaſi tinea paulatim abſumens decem Tribus Aſſyriorum tyrannide. (4. *Reg.* 15. 19. & 29.) Domui quoque Iuda quaſi putredinem, me præſtabo, vel cariem, quæ lignum morſu tacito, ac lento corrodit, ac perdit. * Hoc noſtra (heu) tempeſtate experimur, viget in Regnis iniquitas, vt autem Deus iuſtam ſumat vindictam, non ſubito ea calamitate omninò delet, ſed tarda ac lenta quaſi corroſione eorum debilitat vires, demum ſi ad meliorem ſe frugem non receperint, omninò deleantur.]

Meritò Dei ira incurrit, qui videns puniri aliquẽ peccatorem, à ſimili peccato non recedit.

Ob alia crimina patrata permittit Deus, vt peccator alias iniuſtè damnetur.

Ob criminum patrationem paulatim Vrbes, & Regna deficiunt, & delentur.

Verſ.13. Et vidit Ephraim langorem ſuum, & Iuda vinculum ſuum, &c. Iſraëlitæ vires ſuas laborare langore dignouerunt. Iudæi etiam agnouerunt, ſe plagam accepiſſe, quam adhuc faſciis à Chirurgi manibus obligatam habebant. Quare miſerunt Iſraëlitæ ad Phul, & Salmanaſſar Regem Aſſyriorum: & Iudæi ſub impio Rege ſuo Achaz ad Regem Teglatphalaſſar legatos & munera tanquam ad communem oppreſſorum *Vltorem*, Symmachus, *defenſorem*. Iſraël petebat viribus fulciri langorem. Iuda verò medicamine vulnus curari: ſed fruſtra. Quia ego ſum, qui bellum contra Iſraël gero, ego qui Iudam vulnere ſaucio.

Verſ.14.15. Quoniam ego ſicut leæna Ephraim, &c. Ego quidem tanquam ferociſſima ceruicibus Iſraëlis immineo: & inſtar leonis impauidus, & inuictus catulus Iudæam perſequor, & vulneribus vulnera adiicio. Tantùm abſum, vt priori vulneri medicamen adhibeam. *Vadens reuertar ad locum meum: donec deficiatis, & quæratis faciem meam.* Quemadmodum leo è Sylua egreſſus ferarum ſe ſanguine explet, deindè ſe ad ſua luſtra refert: vt rurſus lacerata præda ſuam iterum famem exſaturet. Sic ego (dicit Dominus) ita me vobiſcum geram, donec omnes deficiatis, & longè iam experimento edocti, nihil in vanis Gentium ſimulacris eſſe præſidij, ad me reuertamini, quem ſolum potentem ad protegendum, & ad curandum Sapientem inueniſtis. * Hæc vis laborum ſuſtinentiæ, peccatores ad Deum, à quo ſcelera abſtraxerant, deducere.]

Labores ad Deum peccatores adducunt.

CAPVT

CAPVT VI.

Iſraëlitas, & Iudæos afflictione affectus monet, vt ad Deum, requirendi medicaminis gratia, reuertantur. In eos inuehitur, qui Dei cultores ad Solymitanum Templum aſcendentes interficiebant.

1. IN tribulatione ſua manè conſurgent ad me: Venite, & re-
uertamur ad Dominum: 2. Quia ipſe cepit, & ſanabit
nos: percutiet, & curabit nos. 3. Viuificabit nos poſt duos
dies: in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu
eius: Sciemus, ſequemúrque vt cognoſcamus Dominum:
quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius, & veniet qua-
ſi imber nobis temporaneus, & ſerotinus terræ. 4. Quid
faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? miſericordia veſtra quaſi nubes ma-
tutina, & quaſi ros manè pertranſiens. 5. Propter hoc dolaui in prophetis, oc-
cidi eos in verbis oris mei: & iudicia tua quaſi lux egredientur. 6. Quia miſeri-
cordiam volui, & non ſacrificium; & ſcientiam Dei, pluſquam holocauſta. 7. Ip-
ſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum, ibi præuaricati ſunt in me. 8. Ga-
laad ciuitas operantium idolum, ſupplantata ſanguine. 9. Et quaſi fauces viro-
rum latronum, particeps Sacerdotum, in via interficientium pergentes de Si-
chem: quia ſcelus operati ſunt. 10. In domo Iſraël vidi horrendum: ibi fornica-
tiones Ephraim: contaminatus eſt Iſraël. 11. Sed & Iuda pone meſſem tibi, cùm
conuertero captiuitatem populi mei.

COMMENTARII.

1. *Monet Iſraëlem & Iudam afflictos vt ad cœleſtem Medicum accurrant.* VERS. 1. 2. *In tribulatione ſua manè conſurgent ad me. &c.* Cum Iſraël & Iuda, irruentibus vndique tribulationibus, quas mea in illos ira adegit, quaſi à ſomno excitati, ſeipſos hiſce verbis ad pœnitudinis excitabunt affectum: Agite dum, venite, & ad Deum, à quo per crimina ſumus abducti, quàm ocyſſimè poſſimus, recurramus. Neque enim hoſtium humanorum potentia capti ſumus, & à noſtris finibus in exilium ablati; ſed à Deo ſumus percuſſi, qui quidem leonis inſtar, nobis fugientibus occurrit: à quo vno ſalus, & libertas poterit ſperari.

Verſ. 3. Viuificabit nos poſt duos dies. &c. E triſtiſſima captiuitate, in qua velut mortui, imò quaſi arida oſſa degimus, in libertatem quaſi in nouam vitam nos Deus reducet, *poſt duos* miſerrimos *dies*, ſeu poſt duo tempora, primum captiuitatis Aſſyriacæ, ſecundum captiuitatis Babylonicæ. Suborta die tertia læta admodùm victoriarum Cyri, reſuſcitabit nos à morte ciuili ad vitam libertatis. * Vides Iſraëlis, ac Iudæ ipſius ore captiuitatem tot annorum duorum dierum moleſtiam vocitari, *Poſt duos dies.* Tam agnata enim eſt laborum impaſſibilitas, vt vel ij, qui ſunt eorum oſſores, id profiteri teneantur.] Scio, omnes ferè orthodoxos Doctores hîc de Chriſto Domino, & de redemptione, ac reſuſcitatione à morte peccati, & æterna ad vitam gratiæ, iuſtitiæ, ac gloriæ per Chriſtum toti orbi obuentura poſt *duos*, id eſt, paucos dies, ſeu poſt breue tempus circiter 690. annorum (tot enim effluxére ab hoc tempore vſque ad Dominicam mortem) agi contendere. Tunc verò, ait Propheta, cognoſcemus Deum, & quo illum magis deinde cognoſcamus, ſequemur illum, & ab eo nunquam amplius recedemus. Tunc autem noſtræ vitæ ac libertatis auctor, talis nobis aduenier, qualis aurora, quæ nocturnas tenebras ablegans, lucem terræ ac lætitiam apportat: aut qualis imber ſerotinus, qui ſitientem exſaturat tellurem fœcundoque exhilarat irrigatu.

Laborum impoſſibilitas.

Verſ. 4. 5. Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda, &c. Quid ô Iſraëlitæ ac Iudæi, faciam, quando ex tam aſſiduo ſtudio, quo vos ad meliorem frugem aduocare contendi, veſtrum induratum animum non emolliui, neque vllum ex pertinacia veſtra fructum percepi: niſi manum munificam continere, & extendere ad ſupplicium. Si quando enim miſericordiam in fratres oſtentare voluiſtis; ea fuit tam momentanea ac futilis, vt non duraret amplius, quàm matutina nubes, aut ros, quæ vbi primùm Sol exortus fuerit, ſtatim euaneſcant. * Ergo ſi miſericordia in fratres diù perſiſteret, munifica Dei manus non contineretur. Vt vim annotes eleemoſynæ ad Dei iram infringendam.] *Propter hoc dolaui in Prophetis, &c.* Quemadmodùm, qui rude lignum, aut ſaxum in aliquam conatur pulchram ſpeciem informare, omnem adhibet artis ſolertiam, omne ferramentum: ita vos, vt aliquam

Maxima eleemoſynæ vis ad Dei iram infringendam.

formam pietatis exprimerem, ſæpè *dolaui*, iam minacibus Prophetarum verbis tundendo, iam blandioribus mulcendo promiſſis. Cuncta accipere fruſtrà: imò potius ſcalpta mea confregi; miniſtros ac Prophetas meos *occidi*, dum verbis oris mei, id eſt, monitis, ac iuſſis, quibus, præſcripto meo, vos inſtruebant, minabantur, carpebant, occaſio illis fui necis à vobis illatæ. Teſtor Iehu Hanani filium, Addo, & tot alios Prophetas à Iezabele interemptos, *Iudicia* ergò, ſeu condemnatio veſtra ò Iſraël, Iuda, in diuino, ac humano iudicio, quaſi *lux* egredietur, id eſt, ab omnibus vbique, velut in clariſſima luce videbitur, cenſebiturque eſſe iuſtiſſima.

Verſ.6. Quia miſericordiam volui, &c. Nec eſt, quod putetis, me victimis, quas importunè ingeritis, fore placandum. Miſericordia mihi gratior eſt, quàm victimæ: & illa Dei practica ſcientia, ſeu cognitio, quæ animum ad illius legem, voluntatem informat, & regit, multo magis quàm holocauſta placet. LXX. *Miſericordiam malo, quàm ſacrificium.* * Licet ſacrificium nobilius ſit ratione formalis obiecti, quod eſt Dei honor: tamen miſericordia ratione charitatis eam imperantis, & ratione neceſſitatis eam exigentis ſæpè melior, nobiliorque eſt, ideoque præferenda.] Porrò miſericordia hìc non ſumitur pro ſolo actu externo, ſed prout eſt internæ coniunctus pietati. Sic *ſcientiam Dei* intelligo in præſenti non merè ſpeculatiuam, ſed practicam, quæ cum interna, externaque reuerentia, pietate, charitate coniungitur. Opponit enim hîc veram, ſolidamque pietatem nudo externo actui ſacrificij. Quo ſolo Iſraëlitæ contenti inter nos, veroſque pietatis actus neglexére. * Non magna tibi videatur illa religio, ac pietas, quam in altarium, Templorumque oſtentas ornatu ad ſolemnia Euchariſtiæ, Deiparæ, vel Diuorum celebranda. Si enim internus non ſimul comitetur deuotionis affectus, fallax eſt illa, ac fucata religio.]

Miſericordia præferēdane ſacrificio?

Cum externè Diuorum feſta celebrātur, internus adſit deuotionis affectus.

Verſ. 7. 8. Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum, &c. Sic pactum, (ſeu fœdus, quo ſtipulatus ſum, vt tam internum, quàm externum mihi cultum deferrent) liberrimè tranſgreſſi ſunt: & *ibi*, id eſt, in ea re audaciſſimè contra me Deum ſuum præuaricati fuére, non ſecus ac ſi pactum, quod mecum inierunt, pactum eſſet Adam, id eſt, hominis, ſeu cum ſimplici homine initum, qui non intuetur cor, neque curat interna ſicut ego, qui externis ſolis ceremoniis non annuo, ſed veras internas, ſolidaſque virtutes expoſco. *Galad ciuitas operantium idolum: ſupplantata ſanguine.* Ciuitas Sacerdotalis & refugij Galaad (ideoque ſancta eis Iordanem, alio nomine Ramatha, vel Ramoth Galaad) iam facta eſt ciuitas, & metropolis *operantium*, ſeu fabricantium idola: *ſupplantata* (Hebræi *fœdata*) *ſanguine.* Ita ſcilicet dedita eſt ſanguini profundendo, vt ſub plantis incolarum nihil niſi ſanguis appareret, in quo tota ciuitas natare videtur.

Verſ. 9. Et quaſi fauces virorum latronum, &c. 2.
Galaad ſecum Sacerdotibus idololatris adiunxit, vt alios ab Ieroſolyma, ac Templo prohiberet eo in loco, vnde per Sichem patet ad Ieroſolymam acceſſus. Ibi autem occupauere illi locorum anguſtias, ſicut latrones aſſolent montium fauces inſidere, vbi maior viatorum frequentia, & præparatior. Porrò Galaaditæ ideò tam ardenter ſtudebant, nè quis Ieroſolymam adiret, nè cōtemptis vitulis aureis, Gentiumque idolis, quibus fingendis ipſi dabant operam, inſtiturus ea de re quæſtus interiret. * Si Sacerdotes illi cæcitate non laborarent, dignoſcerent planè plus ab ipſis idola contemni, dum quæſtui prætextu religionis ſtudent. Vt ediſcant noſtri Sacerdotes, ſacrum vilipendi miniſterium cum pro temporali pretio viliſſimo ſemper (ſi eſt temporarium) commutatur.]

In eos inuehitur, qui Dei cultores Ieroſolymam aſcendētes trucidabant.

Deſpici ſacrum miniſterium videtur ex Sacerdotum ad quæſtum ſtudio.

Verſ. 10. 11. In domo Iſrael vidi horrendum, &c. Horribile planè ſcelus, execrandumque admodum Iſraël patrauit: quod cum magna offenſione aſpexi, cum verum Deum cum comedente fœnum vitulo commutauit. Id quidem contraxit primùm ab Ephraim, vnde ortus Ieroboam, qui conflatis vitulis Iſraëlitas contaminauit. *Sed & Iuda, pone meſſem tibi, &c.* At tu ò Iuda, capies meſſem, & fructus alios: non tamen cum in tuis finibus hoſtile graſſabitur ferrum; ſed poſtquam euacto annorum ſeptuaginta curriculo, in patriam redieris.

CAPVT VII.

In nequitiam Regis Iehu, totiuſque Iſraëlis cum eo idola colentis, inuehitur. Idque varijs ſimilibus exponit.

1. CVM ſanare vellem Iſraël, releuata eſt iniquitas Ephraim, &
malitia Samariæ, quia operati ſunt mendacium: & fur in-
greſſus eſt ſpolians, latrunculus foris. 2. Et ne fortè dicant
in cordibus ſuis, omnem malitiam eorum me recordatum:
nunc circumdederunt eos adinuentiones ſuæ, coram facie
mea factæ ſunt. 3. In malitia ſua lætificauerunt regem: &
in mendaciis ſuis principes. 4. Omnes adulterantes, quaſi
clibanus ſuccenſus à coquente: quieuit paululùm ciuitas à commiſtione fermenti,
donec fermentaretur totum. 5. Dies regis noſtri: cœperunt principes furere à vi-
no: extendit manum ſuam cum illuſoribus. 6. Quia applicuerunt quaſi clibanum
cor ſuum, cùm inſidiaretur eis: tota nocte dormiuit coquens eos, manè ipſe ſuc-
cenſus

cenſus quaſi ignis flammæ. 7. Omnes calefacti ſunt quaſi clibanus, & deuorauerunt iudices ſuos: omnes reges eorum eeciderunt: non eſt qui clamet in eis ad me.
8. Ephraïm in populis ipſe commiſcebatur: Ephraïm factus eſt ſubcinericius panis,
qui non reſeruatur. 9. Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit: ſed & cani
effuſi ſunt in eo, & ipſe ignorauit. 10 Et humiliabitur ſuperbia Iſraël in facie eius:
nec reuerſi ſunt ad Dominum Deum ſuum, & non quæſierunt eum in omnibus
his. 11. Et factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor: Ægy-
ptum inuocabant, ad Aſſyrios abierunt. 12. Et cùm profecti fuerint, expandam
ſuper eos rete meum: quaſi volucrem cæli detraham eos, cædam eos ſecundùm
auditionem cœtus eorum. 13. Væ eis, quoniam receſſerunt à me: vaſtabuntur, quia præuaricati ſunt in me, & ego redemi eos: & ipſi locuti ſunt contra
me mendacia. 14. Et non clamauerunt ad me in corde ſuo, ſed vlulabant in cu-
bilibus ſuis: ſuper triticum & vinum ruminabant, receſſerunt à me. 15. Et ego
erudiui eos, & confortaui brachia eorum: & in me cogitauerunt malitiam.
16. Reuerſi ſunt vt eſſent abſque iugo: facti ſunt quaſi arcus doloſus: cadent in
gladio principes eorum, à furore linguæ ſuæ. Iſta ſubſannatio eorum in Terra
Ægypti.

COMMENTARII.

1.

In nequitiam Iehu, & totam Iſraëlis tangbitur.

VERS. 1. *Cum ſanare vellem Iſrael, reuelata eſt iniquitas Ephraim, &c.* Cum per Regẽ Iehu quaſi per Chirurgum meum euocatum è Galaad (vbi ob aromatum, & pharmacorum abundantiam plurimi præſtantiſſimi medici, & chirurgi degunt) Sanare intenderem apoſtema idololatriæ Iſraëlis per Ierobam, Achab, & Iezabelem nuper inuectæ: atque in hunc finem ei præciperem, cultum Baal euertere, eiuſque Prophetas, ac totam Achab familiam extinguere: en tibi præter omnium opinionem reuiuiſcentem, palamque reuelatam per eundem Iehu Ephraim iniquitatem, id eſt, idololatriam per Ieroboamum ex Ephraim oriundum in Iſraëlem inuectam: puta cultum vitulorum aureorum, quem neglectum iampridem, & ſuper inducto cultu. Baal penè ſuppreſſum Iehu rurſus excitauit, & in lucem pertraxit. Idque malitia *Samariæ*, id eſt, maligno Samaritanorum conſiliariorum Regis aſtu, qui mendaciter nouo Regi ſuggerebant, haud poſſe niſi hac via ſubditos in fide, & obedientia Regis contineri. * Dixi, *mendaciter* id conſiliarios Regi ſuggerere. Solidum enim Regni fundamentum, ac firmamentum eſt vera fides, vera religio, & ſincerus veri Dei cultus.]

Regni firmamentum eſt vera fides, ac ſincerus veri Dei cultus.

* Annota, Regem Iehu prauum deprehenſum à Deo fuiſſe chirurgum ad Iſraëlis vulnera curanda. Nam qui eodem ſaucius eſt vulnere, quonammodò poterit aliorum ægritudini medicamen adhibere?] * Nec non animaduerte, prauorum conſiliariorum aut inſcitiæ, aut malitiæ Regum, ac Regnorum attribui calamitates.]

Vulneratus ſpiritu ineptè aliorum vulneribus medicamina adhibebit.

Prauis conſiliariis calamitates Regni tribuuntur.

Verſ. 2. 3. Et nè fortè dicant in cordibus ſuis, omnem malitiam eorum me recordatum, &c. Non eſt quod cogitent, aut quærantur, me præteritam parentum eorum iniquitatem memoriæ retinentem, ob eum ſolam filios punire; nam crimina, quæ quotidie impodériores, coram facie mea perpetrare audent, tanto numero acreſcunt, vt eos vndique circumdent, & in orbem cingant adeò, vt eas occultare, negare, vel excuſare minimè poſſint. *In malitia ſua lætificauerunt Regem: & in mendaciis ſuis Principes.* ergo illi peſſimi Regem Iehu, & Principes eum eo conſpirantes exhilaratuot ſua perfidia, qua defecerunt à regia familia Achabi, eius ſeptuaginta filios occiderunt ſuæ fidei commiſſos, & quadraginta fratres Ochoziæ. Hæc enim omnia patrauerunt non intuitu iuſſi diuini, quod ignorabant) ſed affectu complacendi nouo Regi tyrannicè (vt opinabantur) inuadenti Regnum. Quod enim Iehu mandato Dei per Prophetam eſſet inunctus, & creatus Rex, ſecretum erat, & latebat Samaritas. * Quodcumque à Miniſtris regiis geritur, aut dicitur non tuendæ veritatis gratia, ſed adulandi ſtudio, in Reipublicæ pernitiem, ipſorúmque adulatorum exitium vertitur.] Vnde

Quidquid iniquè gerit adulator miniſter in Reipublicæ exitium vertitur.

Verſ. 4. 5. Omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus à coquente, &c. Omnes ſunt idololatrantes maximè circà aureos vitulos. Quorum cultui in noui Regis gratiam adeò inhiant, vt illis colendis haud poſſe ſatiari videantur: ſed Vt clibanus ſuccenſus, quo plus fomenti iniicitur, eo magis accenduntur. Non autem ſimul eodémque momento ad hoc malum prorumpunt, ſed ſenſim, ac pedetentim. Quandiù enim Iehu operam dabat cultus Baal extirpationi, & poſteris Achabi delendis, tacuit de vitulorum Ciuitas cultu, ac ità quieuit Samaria tunc à fermenti illius commiſtione, vt ſineret tamen occultè, ac paulatim etiam publicè fermentum idololatriæ illius inualeſcere, atque ad plures proſerpere, donec tandem, adiectis etiam legibus, ac mandatis, queis Rex iuſſit, publicè vitulos vbique coli, tota Reipublicæ fuit maſſa corrupta. * Praui mores, Reipublicæ peſtes haud repentè in omnes virus omne profundunt: paulatim veluti cancer ſerpunt. Vndè ſi non illico medela adhibeatur, tota Reſpublica miſerè interibit.]

Praui Reipublicæ mores paulatim inducuntur vſque ad illius exitium.

Verſ. 5. 6. Dies Regis noſtri: cœperunt Principes furere à vino, &c. Acclamantis populi hæ ſunt voces: Dies hæc eſt Regis noſtri læta, fauſta, & qualem diu ſtuduimus nobis euenire. Nec in plebeis res ſtetit: cœperunt enim omnes Primates Regni furere quaſi ebrij ex peſtilenti hoc idololatriæ vino. Quin & Rex ipſe ad eoſdem calices manum extendit: id eſt, etiam ipſe vnà cum illuſoribus hiſce Samaritis publicè cultum vitulis obtulit; nec aduertit,

hoc

hoc politico, ſed peſtilenti conſilio turpiter ſibi illudi: vt ſic fieret hoſtibus ſuis præda, & vt citius Regno priuaretur, & omnis exſcinderetur ſtirpitus eius poſteritas. *Quia applicuerunt quaſi clibanum cor ſuum, &c.* Profectò deceptus Rex decepit & ſuos. Quia cum anxius de ſucceſſu rei *inſidiosè* per emiſſarios ageret cum primariis, vt eos ad cultum vitulorum pelliceret, omnes ſtatim eo applicuere cor ſuum quaſi clibanum affectu erga idola hæc æſtuantem. Quo cognito Iehu ſecutus, inſtar hominis tota nocte in vtramque aurem dormientis, permiſit eos in hoc ſuo errore coqui, id eſt, fermentari paulatim: ipſe interim, inſtar piſtoris furnum tota nocte calefecit, cui maſſam plenè iam fermentatam ſummo *mane*, id eſt, prima commoditate inferret: qua oblata, intulit tanto ardore, vt totus ipſe ardere, imò eſſe flamma ardens videretur.

Verſ. 7. Omnes calefacti ſunt quaſi clibanus, &c. Qua quidem regia flamma ita omnes viciſſim calefacti ſunt, vt non iam viderentur eſſe maſſa furno impoſita: ſed ipſemet clibanus flamma ſuccenſus. Vnde mox, in clibani ardentis morem, in ſe, ſuamque idololatriam pertraxerunt *Iudices* ſuos, ſi qui forſan integri ſupereſſent. Quare nullus deinceps fuit, ex Regum, Iudicumque numero, qui non ad vitulorum aras ſupplex accederet. Neque vllus eorum ſupplices ad me manus, aut clamores

Cum Iudices ad impietatem adducũtur, actum eſt de iuſtitia, & de tota Republica.

ſuſtulit. Preme illud: *Deuorauerunt Iudices ſuos,* ſiue in ſuam perfidiam pertraxerunt Principes illi. Cum Iudices ad impietatem adducuntur, actum eſſe de iuſtitia, imò de tota Republica, quis poſſit dubitare?]

Verſ. 8. 9. Ephraim in populis ipſe commiſcebatur, &c. Populus Iſraël variis populis Gentilium, puta Ægyptiis, Tyriis, Syris, Aſſyriis, cum quibus fœdus, amicitiam, & commercia iniit, connubia iunxit, miſcebatur: & hæc fuit

Iuſtus excidit à iuſtitia cum impiis iniens ſocietatem.

eius ruinæ miſerrimæ occaſio. * Mirum enim eſſet, ſi iuſtus à iuſtitia non deuiaret, cum impij iniens ſocietatem.] Vnde factus eſt Iſraël in tribulationis clibano quaſi panis cineri ac prunis ſuppoſitus, *qui non reuerſatur*; quia ab ea calamitate, quam ab hoſte ſuſtinuit, à qua non aliter combuſtus eſt, quàm ab ardente cinere ſuppoſitus panis, nunquam ad antiquam patriam, & gloriam reuertetur. *Comederunt alieni robur eius, &c.* Gentes illæ, quibus commiſtus fuit, ſenſim Iſraëlis opes, ipſo neſciente, rapuerunt, ac deuorarunt. Sed ille infantilis, ac pudendus Iſraëlis fuit error, quod capite iam canus atque rugoſus facie poſt tot annos, poſt tot Prophetarum monita non agnouit.

Valdè turpis & indecens eſt in ſenibus luxuria.

* Idolis cultum adhibere, hoc eſt, Veneri, ſeu voluptatibus indulgere, in adoleſcente malum, peius in viro, in ſene autem omninò eſt peſſimum. Cani enim cum floribus turpiter colligantur.]

Verſ. 10. 11. Et humiliabitur ſuperbia Iſrael in facie eius, &c. Quemadmodum cineri ardenti panis ſuppoſitus torretur, Iſraël iuxta menſuram ſcelerum diuexabitur: neque tamen ad Dominum non reuertetur, ſicut cineritius ille panis non reuerſatur: neque cum tot quotidiè aut moneatur vocibus, aut aculeis vexationum ſtimuletur Dominum vnicum in tribulatione

Inſenſibilis eſt peccator.

perfugium non requiret. * Excors omninò, & inſenſibilis eſt peccator, quem labores non frangunt, quem tribulationes ad pœnitudinem non adducunt.] *Et factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor, &c.*

quem labores ad Deum quærendum non adducunt.

Fuit planè fatuus Iſraël, ſicut columba, cui nihil videtur eſſe cordis, vel ſenſus: cum actus laboribus, ad Aſſyrios Ægyptioſque accurrerit, à quibus potius exitium debuit timere, quàm ſubſidium ſperare. * Damnantur hinc, qui acti anguſtia, ab hominibus ſubſidia requirunt inaniter quidem, cum Deus vnicum ſit in tribulatione ſolatium.]

Actus tribulatione ad Deum (non ad homines inaniter quidam) accurrẽte.

Verſ. 12. 13. Et cum profecti fuerint, expandam ſuper eos rete meum, &c. Cum Iſraëlitæ ad fœderatos ſibi tutelares Aſſyrios, & Ægyptios accurrerint auxilij requirendi gratia: meum expandam rete, & ſicut auceps volucres, ita ego illos quantumcumque ſe ſupra nubes ſuſtulerint, comprehendam, cædam demùm ſæpè, quemadmodum de ſuorum criminum ſupplicio imminenti Prophetarum ex ore audierunt. *Væ eis, quoniam receſſerunt à me, &c.* Heu vicem illorum doleo: & ſupplicium eis imminens, eo quod à me receſſerint ingratiſſimi, ægrè meum animum afficit. Quid autem aliud faciam, cum ego ſim, qui redemi eos, & eduxi de manu Ægyptiorum per Moyſen, Chananæorum per Ioſue, Madianitarum per Gedeonem, Ammonitarum per Iephte, Philiſtæorum per Samſonem, per Samuelem, per Dauidem, Syrorum per Eliſæum, &c. Ipſi tamen eiuſmodi redemptionem non mihi, ſed idolis ſuis, vel Gentibus auxiliatricibus mendaciſſimè adſcribunt. * *Væ eis,* dicit Dominus, quaſi eorum dolens vicem, qui æterno erant addicendi ſupplicio. Tanta enim eſt damnationis æternæ miſeria, vt vel ipſe Deus qui ab eis eſt tot iniuriis affectus, quique eos inimicos velut hoſtis inſequitur, eorum vicem quodammodò doleat, & ad compaſſionem excitetur.]

Tanta eſt æternæ damnationis miſeria, vt quodammodo Deus licet iuſtè iratus vicem damnandi doleat.

* Illa pondera verba. *Ego redemi eos.* Si tanto ſupplicio afficiuntur meritò Iſraëlitæ eo quod à temporariis tyrannis redempti ingratos ſe Domino oſtendarunt: quanta digni erunt pœna, qui redempti à Chriſti Domini ſanguine à peccato, à diabolo, æternoque exitio, tot audent aduerſus eum ſcelera perpetrare?]

Ingratitudo peccatoris poſt redemptionẽ Chriſti morte peractam, pœnæ æternæ agnata.

Verſ. 14. 15. Et non clamauerunt ad me in corde ſuo, &c. Non mihi illum honorem tribuere, vt ex animo ad me in anguſtiis clamarent. Sed cum fictè in aliorum oculis preces effundere viderentur: in receſſu tamen, & tenebris Gentilium more vlulabant, mugiebantque, deorum ſuorum opem depoſcentes. De reliquo non aliud cogitant, quam ſuper vinum, & triticum ruminare, id eſt, eſcis & potibus ventrem implere, floci pendentes opem meam, quam toties ſunt experti. * Suſpiria quæ cordis ex affectu non prodeunt, quæ pœnitentiæ ex animo non eliciuntur, exiſtima eſſe vel lupi vlulatoris, vel bouis mugientis, inutilia quidem ad Deum placandum.] *Et ego erudiui eos, &c.* Ego eos docui viam, qua poſſent ſe a tribulatione expedire: & robur, ac induſtriam addidi, vt quod facto opus eſſe noſcent, reipſa perficerent. At ipſi id pro eo beneficio obtulere gratiæ, vt quæ à me accepiſſent, debellatis hoſtibus, & regionibus in ſuam redactis poteſtatem illa omnia non mihi, ſed idolorum poteſtati malitioſè tribuerint.

Inutilia ad Deũ placandum ſuſpiria quæ ex cordis affectu pœnitentis non prodeunt.

Verſ.

Verſ.16. Reuerſi ſunt vt eſſent abſque iugo, &c. Ad priſtinum ſuum ingenium reuerſi fuere, vt filij eſſent Belial, id eſt, abſque iugo, effrænes, exleges, athei, omnis impatientes diſciplinæ. Imò facti velut arcus, qui ſagittam in ſagitarium remittit. Iehu enim cum ſuis copiis Arigebatur, vt idola, & idololatras extingueret, at ille telum in me retorſit, meique exeidit cultum, & cultum idolorum propugnauit. At viciſſim ego non modo plebem, ſed Principes eorum ob impias blaſphemias iam recenſitas mox faciam Syrorum gladio exitialiter vulnerari. Iſta eſt inolita, & conſueta ſubſannatio eorum, qua mihi perpetuo illuſerunt, & plauſerunt idolis, iam inde à tempore, quo in terra Ægypti greſſi fuere captiuitate: nihil nouum eſt ſic Iſraëlitas delirare. * Hæc quidem eſt prauæ vis conſuetudinis, vt facilè homo ad priſtina flagitia recurrat.] Homo prauo affectus conſuetudine, facilè ad priſtina peccata recurrit.

CAPVT VIII.

Iſraëlitis Deus minatur excidium, quia exceſſerint à domo Dauid, vitulos aureos coluerint, Aſſyriiſque fuerint confœderati.

1. IN gutture tuo ſit tuba quaſi aquila ſuper domum Domini:
pro eo quòd tranſgreſſi ſunt fœdus meum, & legem meam
præuaricati ſunt. 2. Me inuocabunt: Deus meus cognoui-
mus te Iſraël. 3. Proiecit Iſraël bonum, inimicus perſeque-
tur eum. 4. Ipſi regnauerunt, & non ex me: principes ex-
titerunt, & non cognoui: argentum ſuum & aurum ſuum
fecerunt ſibi idola, vt interirent: 5. proiectus eſt vitulus
tuus Samaria, iratus eſt furor meus in eos. vſquequò non poterunt emundari?
6. Quia ex Iſrael & ipſe eſt: artifex fecit illum, & non eſt Deus: quoniam in ara-
nearum telas erit vitulus Samariæ. 7. Quia ventum ſeminabunt, & turbinem
metent: culmus ſtans non eſt in eo, germen non faciet farinam: quod & ſi fecerit,
alieni comedent eam. 8. Deuoratus eſt Iſraël: nunc factus eſt in nationibus quaſi
vas immundum. 9. Quia ipſi aſcenderunt ad Aſſur, onager ſolitarius ſibi:
Ephraim munera dederunt amatoribus. 10. Sed & cùm mercede conduxerint na-
tiones, nunc congregabo eos: & quieſcent paulliſper ab onere regis, & principum.
11. Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum: factæ ſunt ei aræ in de-
lictum. 12. Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ
ſunt. 13. Hoſtias offerent, immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non
ſuſcipiet eas: nunc recordabitur iniquitatis eorum, & viſitabit peccata eorum: ipſi in
Ægyptum conuertentur. 14. Et oblitus eſt Iſraël factoris ſui, & ædificauit delubra:
& Iudas multiplicauit vrbes munitas, & mittam ignem in ciuitates eius, & deuo-
rabit ædes illius.

COMMENTARII.

1. Minatur Deus Iſraeli idololatræ excidium.

VERS. 1. *In gutture tuo ſit tuba quaſi aquila ſuper domum Domini, &c.* Publicè, ô Oſea clamore quaſi tubali profer hæc: En imminet tyrannus Aſſyrius, & poſt etiam Chaldæus, qui, inſtar aquilæ ſummo impetu ruet in terram ſanctam primò decem Tribuum, dein reliquarum duarum, imò in ipſum Dei Templum, omniaque diripiet, ſuccendet, exſcindet. Alij hæc accipiunt de Aſſyrio Sennacherib: alij de Salmanaſare: ego autem de Nabuchodonoſoris tyrannide locum expono.

Verſ.2.3. Me inuocabunt: Deus meus cognouimus te Iſrael. Tunc cum viderint ſibi imminere exitium, inuocabunt proclamantes: O Deus noſter, populi tui propitius recordare. Nos qui ſumus Iſraël, ſeu Iacobi filij, & hæredes, te Deum vnicum protectorem, ac ſaluatorem ſemper *cognouimus.* * Hæc plane tribulationis peccatorum vtilitas, eos ad preces humiles Deo offerendas attrahere.] *Proiecit Iſrael bonum: inimicus perſequetur eum* Iſraël (ait Dominus) omne à ſe bonum excuſſit, ſcilicet Deum, fidem, religionem, pietatem: nec niſi ex ſeruili metu iam ad me confugit, cum à nullo ſcit ſe poſſe iuuari. Vndè iuſtè ei meam negabo opem, qua deſtitutus, diras obruet hoſtis in manus. * Nunquam non Deus verè pœnitentes excipit peccatores. Vndè curandum eſt, vt peccatoris clamor non ex ore ſolùm, ſed ex cordis compuncti procedat affectu.]

Tribulatio peccatorem attrahit ad preces Deo proferendas.

Vt Deus peccatoris preces exaudiat, ex cordis cōpūcti clamor procedat affectu.

Verſ.4.5. Ipſi regnauerunt, & non ex me, &c. Peribunt cum populo ipſi quoque Principes, quia ſuo arbitratu potius, quàm meo præſcripto publicam rem adminiſtrarunt. Ideò quod ipſi ſua abuſi poteſtate geſſere, ego nec cognoui, nec probaui. Porrò dum ex argento, & auro ſuo ſibi inaniter ſimulacra finxére deorum, cauſam ſimul inſtantis ſupplicij conflauerunt. * Peccator namque eadem actione, & ſcelus patrat, & pœnam præparat ſubeundam.

Nulla actio peccati poteſt verè aſſe ad delicias, ſiquidem eſt æterni ſupplicij tanta colligatus.

CAPVT IX.

Opibus laſciuienti Iſraëli, deoſque Gentium quaſi earum largitores feſtis colenti Propheta horribilia mala minatur.

1. NOLI lætari Iſraël, noli exultare ſicut populi: quia fornicatus
es à Deo tuo, dilexiſti mercedem ſuper omnes areas tritici.
2. Area & torcular non paſcet eos, & vinum mentietur eis.
3. Non habitabunt in terra Domini: reuerſus eſt Ephraim
in Egyptum, & in Aſſyriis pollutum comedit. 4. Non liba-
bunt Domino vinum, & non placebunt ei: ſacrificia eorum,
quaſi panis lugentium. omnes, qui comedent eum, conta-
minabuntur: quia panis eorum animæ ipſorum, non intrabit in domum Domini.
5. Quid facietis in die ſolemni, in die feſtiuitatis Domini? 6. Ecce enim pro-
fecti ſunt à vaſtitate: Ægyptus congregabit eos, Memphis ſepeliet eos: deſiderabile
argentum eorum vrtica hereditabit, lappa in tabernaculis eorum. 7. Venerunt
dies viſitationis, venerunt dies retributionis: ſcitote Iſraël ſtultum prophetam, in-
ſanum virum ſpiritualem propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem
amentiæ. 8. Speculator Ephraim cum Deo meo: propheta laqueus ruinæ factus
eſt ſuper omnes vias eius, inſania in domo Dei eius. 9. Profundè peccauerunt,
ſicut in diebus Gabaa: recordabitur iniquitatis eorum, & viſitabit peccata eorum.
10. Quaſi vuas in deſerto, inueni Iſraël: quaſi prima poma ficulneæ in cacumi-
ne eius, vidi patres eorum: ipſi autem intrauerunt ad Beelphegor, & abalie-
nati ſunt in confuſionem, & facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt.
11. Ephraim quaſi auis auolauit, gloria eorum à partu, & ab vtero, & à con-
ceptu. 12. Quòd & ſi enutrierint filios ſuos, abſque liberis eos faciam in ho-
minibus: ſed & væ eis cùm receſſero ab eis. 13. Ephraim, vt vidi, Tyrus erat fun-
data in pulchritudine: & Ephraim educet ad interfectionem filios ſuos. 14. Da
eis Domine. Quid dabis eis? Da eis vuluam ſine liberis, & vbera arentia. 15. Om-
nes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exoſos habui eos: propter malitiam adinuen-
tionum eorum, de domo mea eiiciam eos: non addam vt diligam eos, omnes
principes eorum recedentes. 16. Percuſſus eſt Ephraim, radix eorum exſicca-
ta eſt: fructum nequaquam facient. Quòd & ſi genuerint, interficiam amantiſſima
vteri eorum. 17. Abiicet eos Deus meus, quia non audierunt eum: & erunt vagi
in nationibus.

COMMENTARII.

1. *Horribilia mala Propheta Iſraëli in opibus laſciuienti, & idola colenti minatur.*

VERS. 1. 2. *Noli lætari, Iſraël, noli exultare ſicut populi, &c.* Noli ô Iſraël exultare, noli ludis, ac feſtis publicis, vti populi Gentilium aſſolent, innuere animi tui gaudium ex eo conceptum, quod à Deo tuo auerſus, iam idolis cultum exhibeas: à quibus quaſi à nouis amaſiis diligis, & expetis meretriciam mercedem (pro adulterio tuo) *ſuper*, ſeu ex omnibus areis tritici, ab eis expectans meſſium, ac frugum omnium terræ proſperitatem. Nec enim hæc idolorum ſunt, ſed mea. * Illam preme particulam: *Fornicatus es a Deo tuo*, id eſt, ob fornicationem, *à Deo* es ſeparatus. Porrò ſi de venerea fornicatione locum libeat exponere: ſic fornicatio à Deo longè homines ſeparat, & diſtrahit, vt idem prorſus ſit *fornicari à Deo*, quam à Deo ſemoueri.] *Area, & torcular non paſcet eos: & vinum mentietur eis.* Vt autem agnoſcas non ab idolis, ſed à me eos prodire terræ fructus: neque ex area deinceps frumentum accipies, quo veſcaris: neque torcular tibi exprimet merum, quo tuam ſitim expleas; erit enim ager mendax, & vinea, quæ ſpem fallent tuam, teque ieiunum, & hiantem relinquent. * Fallax ſemper ſpes, quæ in mendaci diaboli promiſſione; non in Dei munificentia firmatur.]

Luxuriæ peccatorum longè à Deo hominem ſeparat.

Fallax ſpes, quæ in promiſſione diaboli, non in Dei munificentia firmatur.

Verſ. 3. 4. Non habitabunt in terra Domini, &c. Idololatræ hi haud diu habitabunt in terra, quam Deus olim Iſraeli promiſit. Ad Aſſyrios etenim abducentur, vbi cibis veſcentur immundis, & à lege prohibitis: quod perinde erit, ac ſi duram in Ægypto ſubirent ſeruitutem, qualem parentes olim ſubiêre. *Non libabunt Domino vinum, &c.* Inibi libabunt vinum non Deo, ſed idolis: vel certè ſi qui Deo voluerit ſacrificium agere, ei minima eiuſmodi

ſacrificia placebunt, quia ſine interna pietate, & quia extra locum à Deo præſcriptum, nempe extra Solymitanum Templum offeruntur contra expreſſum Dei mandatum *Leu* 17. 3. & *Deut*. 12. 6. Vnde eorum ſacrificia erunt quaſi *lugentium panis*, id eſt, immunda protſus, quæ contaminant eos, qui ex illis deguſtant: ſicut epulum funebre deguſtantes omnes per ſeptiduum reddit immundos. *Num*. 19. 15. Quia ſoli animæ ipſorum, ſeu vitæ fouendæ deſeruiet, non autem inferri in domum Domini permittitur, vt Deo offeratur, cum ſit immundus eiuſmodi cibos.

Verſ. 5. 6. *Quid facietis in die ſolemni, in die feſtiuitatis Domini?* O quàm triſte, ô miſelli, vobis in exilio agendum Paſcha, Pentecoſte, ſcenopegia, & reliqua anni feſta, quæ tanto gaudio in patria peragere ſolebatis. * Horribilis admodum erit in exilio tartareo pœna damnatis interminabilis beatorum feſtiuitatis recordatio.] *Ecce enim profecti ſunt à vaſtitate, &c.* Ab excidio Samariæ profugi Iſraëlitæ Ægyptum vulgare aſylum, ſed fatale inierunt. Ab Ægyptiis recipientur ferro, veneno, inopia, tabe mox è viuis abducendi, Memphis primaria Regni ciuitas, (ex publico ærario) ære omni anteà exhauſtos eos ſepeliet. Interim in Paleſtina palatio & cubilia eorum argento ita exornata, vt montes argentei viderentur ad ſolum vſque Aſſyrius ſternet, & radet, adeò vt loco eorum vrticæ, & lappæ germinent. Quidnam *lappa?* Flos eſt ſpinæ aculeis plenus, qui à ludibundis pueris iniectus in veſtem, tenaciter adhæret.

Horribilis pœna damnatis interminabilis beatorum feſtiuitatis recordatio.

Verſ. 7. 8. *Venerunt dies viſitationis, venerunt dies retributionis, &c.* Suſtinui iam diù vltricem dexteram: aduenit tandem dies, in quo populo debita ſupplicia rependam. Viſitabo ſcelera, quæ ab ſtulto populo non vidiſſe, aut diſſimulaſſe putabar. Diſces, Iſraël, quanto in errore fueris, cum verum Prophetam ſtultum appellabas, & inſanum eum, quem diuinus ſpiritus afflabat. Tu verè inſanus fuiſti, & ideò quia inſigniter fuiſti iniquus, & amens, ſpiritualem virum amentiæ, & inſaniæ damnabas. * Quàm commune eſt, ſtultos, vel iniquos, alios ſtultos, vel iniquos eſſe cogitare! Vnde vulgare apud Hiſpanos illud: *Pienſa el ladron, &c.*] *Speculator Ephraim cum Deo meo, &c.* Fuere apud Iſraëlitas ſpeculatores, ac Prophetæ veri, qui Dei præſcripta eis indicerent. Fuere & falſi, qui fallaci adulatione eos in laqueum, & ruinam induxére. Hi verè fuerunt inſani: quid enim in deorum ſuorum delubris præter inſaniam potuerunt ediſcere? * Et quidem Concionatores, qui blandimento dulcium, ſed futilium, ac inutilium verborum lactare auditores ſtudent, dum eos minis terrere deberent, eos in laqueum, & exitium adducunt.]

Iniqui alios iniquos eſſe cogitant.

Concionator ſtultitia proferens, vt aures demulceat, auditoribus fit laqueus ruinæ.

Verſ. 9. 10. *Profundè peccauerunt, ſicut in diebus Gabaa, &c.* Ex contempto verorum Prophetarum, falſorumque æſtimatione, ad eam Iſraëlitæ impietatem abducti fuére, vt profundum iniquitatis attigerint. Neque enim eorum mores minus corrupti fuerunt, quàm Gabaonitarum: vndè non mitiora, quam illi, ſupplicia ſubierunt. *Quaſi vuas in deſerto inueni Iſrael, &c.* Iſraëlem inuentum deſertum ab omnibus ego gratum, charumque habui, quaſi ſi laſſus, ac famelicus in ſolitudine vuas, vel ficus primitias è cacumine recēs decerptas ab alio caſu periſſem. Et vt charum habui, laui, foui, mihi deuinxi. At ipſe ingratus, ſtolidus me fugiens probroſum, immundumque Priapum, amorum idolum requiſiuit. Sic nunc quoquè poſt tot à me accepta beneficia, me ſpreto currit ad vitulos. Ex quo id conſecuti ſunt, vt in omnium ludibrium abierint, non iam cunctis minus abominabiles, quam quæ in ea profeſſione execrabili dilexere. * Profectò luxuriæ vitium nobiliſſimum quemque apud cordatos reddit infamem.]

Luxuriæ vitium cultores ſuos reddit infames.

Verſ. 11. 12. *Ephraim quaſi auis auolauit, &c.* Decem Tribuum poſteritas, quæ ſolet eſſe gloria, decus, ac gaudium parentum) non diù ſupererit: nàm, auis inſtar, viſa eſt mihi auolare, ſeu extingui, partim illico à partu matrum; partim ab vtero, priuſquam prodeant in lucem: partim à primo conceptu, priuſquam vel embryo formetur. Ac ſi diceret: ſterilitate laborabit Iſrael, nec deinceps maſculam, aut robuſtam prolem educet. * Dum Priapo cultum offerūt, illicitis dant operam voluptatibus? Legitimæ prolis parentes non fient. Solet Deus coniuges illicitæ voluptati addictos ad prolem legitimam ineptos reddere.] *Quod ſi enutrierint filios ſuos, abſque liberis, &c.* At ſi fortè contigerit, aliquam eorum prolem adoleſcere, aut immaturi excident gladio confecti, aut in exilium à parentum oculis abſtrahentur, quod parentibus perinde erit, ac ſi iam è viuis deceſſiſſent. Heu quàm dira eis accurrent incommoda, cum animum ab eis paternum ſubtraxero. * Quodnam quæſo Deus præbet indicamentum, quod nondum ab illis peccatoribus paternum affectum miſericors admodùm non auerterit? Credo, quia eos adhuc monet, corrigit, carpit, tribulatione immiſſa. Cum delinquens laboribus affliceris Dei adhuc benigniſſimi patris flagellum recognoſce. Vndè væ peccatori, quem Deus delinquere impunè permittit.]

Solet Deus ad legitimā prolem ineptos reddere coniuges illicitæ Veneri addictos.

Cum Deus peccatorem laboribus agitat, ſe patrem flagellantem oſtendit.

Verſ. 13. 14. *Ephraim, vt vidi. Tyrus erat, &c.* Mea Iſraëliticæ gētis patrono ſic erat munita, vt Tyro non cederet, quæ pulcherrimam habuit, eandemque fortiſſimam munitionem. At cum ab illa receſſero ſic erit infirma, & infelix, vt filios, quos ad arcendum Aſſyriorum impetus armauerit, non tam ad aciem, quam ad necem eduxiſſe videatur. *Da eis Domine, &c.* Da eis Domine vuluam concipiendo, ac efformando fœtui minimè idoneam. Da ſi quando fœtum lucem aſpicere contigerit, vbera arentia, vt ab vtero filius ad tumulum tranſlatus videatur. * Ad quid enim Iſraëlitica gens multiplicabitur, ſi ſatius ſit non naſci, quam ad populum derelictum à Domino pertinere.]

Satius non naſci, quam pertinere ad populum à Deo derelictum.

Verſ. 15. *Omnes nequitia eorum in Galga, &c.* Grauiſſima (ait Dominus) eorum iniquitas in Galgalis fuit patrata. Quia cum ibi magna à me beneficia recepiſſent, primùm Baalim, & Aſtaroth idola erexerunt. Deinde Dei regimine excuſſo, ſibi proprium popoſcerunt Regem, qui more Gentilium nationum, eos pro libito gubernaret. * Aggrauatur equidem maximè delictum, cum poſt beneficia accepta perpetratur.] Ideò eiiciam eos procul à patrio ſolo, neque iam iterùm ſicut anteà diligam. Quia Principes illorum, quorum exempla

Aggrauatur delictū poſt beneficia à Deo accepta.

turba

turba ſequitur imperita, à meis præſcriptis exceſſerunt.

Verſ. 16.17. *Percuſſus eſt Ephraim,&c.* Percutitur itaque Iſraël, neque priorem vnquam remeabit ad gloriam, ſicut arbor, quæ vbi exſiccata eſt radix, neque fructus edit, neque viriditate & flore rediuiua conſpicitur. Quod ſi vt arbor germinat, ab ipſis filios procreari contigerit, chariſſimam illorum ſobolem ex hoc gladio hoſtili deuoueo. *Abyciet eos Deus meus, &c.* Illos (ait Propheta) Deus abiiciet, quia eius præſcriptis ſe obſequentes non præſtiterunt. Vndè a ſuis ſedibus expellentur ſic, vt nullibi conſiſtant, ſed odioſi omnibus, ſedibus incertis diuagentur.

CAPVT X.

Vti frondoſæ botris vacuæ, & vitulæ amanti trituram comparat Iſraëlem. Hortatur ad ſectandam iuſtitiam, vt ſic lætam benedictionum meſſem valeant cum exultatione triturare. Quod ſi neglexerint Decem Tribus, eis horribile minatur excidium.

1. VItis frondoſa Iſraël, fructus adæquatus eſt ei : ſecundùm
multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria, iuxta vber-
tatem terræ ſuæ exuberauit ſimulacris. 2. Diuiſum eſt cor
eorum, nunc interibunt ipſe confringet ſimulachra eorum,
depopulabitur aras eorum. 3. Quia nunc dicent : Non eſt
rex nobis : non enim timemus Dominum : & rex quid faciet
nobis? 4. Loquimini verba viſionis inutilis, & ferietis fœ-
dus : & germinabit quaſi amaritudo iudicium ſuper ſulcos agri. 5. Vaccas Betha-
uen coluerunt habitatores Samariæ : quia luxit ſuper eum populus eius, & æditui
eius ſuper eum exultauerunt in gloria eius, quia migrauit ab eo. 6. Siquidem &
ipſe in Aſſur delatus eſt, munus regi vltori : confuſio Ephraim capiet, & confunde-
tur Iſraël in voluntate ſua. 7. Tranſire fecit Samaria regem ſuum quaſi ſpumam
ſuper faciem aquæ. 8. Et diſperdentur excelſa idoli, peccatum Iſraël : lappa &
tribulus aſcendet ſuper aras eorum : & dicent montibus : Operite nos, & collibus :
Cadite ſuper nos. 9. Ex diebus Gabaa, peccauit Iſraël, ibi ſteterunt : non compre-
hendet eos in Gabaa prælium ſuper filios iniquitatis. 10. Iuxta deſiderium meum
corripiam eos : congregabuntur ſuper populi, cùm corripientur propter duas ini-
quitates ſuas. 11. Ephraim vitula docta diligere trituram, & ego tranſiui ſuper
pulchritudinem colli eius : aſcendam ſuper Ephraim, arabit Iudas, confringet ſibi
ſulcos Iacob. 12. Seminate vobis in iuſtitia, & metite in ore miſericordiæ, inno-
uate vobis nouale : tempus autem requirendi Dominum, cùm venerit qui docebit
vos iuſtitiam. 13. Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis frugem
mendacij : quia confiſus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum. 14. Con-
ſurget tumultus in populo tuo : & omnes munitiones tuæ vaſtabuntur, ſicut vaſta-
tus eſt Salmana à domo eius qui iudicauit Baal in die prælij, matre ſuper filios alliſa.
15. Sic fecit vobis Bethel, à facie malitiæ nequitiarum veſtrarum.

COMMENTARII.

1. VERS. 1.2. *Vitis frondoſa Iſraël, fructus adæquatus eſt ei, &c.* Iſrael fuit, eſtque vitis frondoſa, Hebr. בקק *bokec, euacuans ſe* primum in pulcherrimas frondes, deindè opimos fructus, qui adæquati ſunt ei, id eſt, reſponderunt palmitum numero. Vberes terræ ſanctæ prouentus, opes, victorias, delicias, quibus Iſraelitæ abundabant, ingrati in Dei conuertunt iniuriam. Nam quanto plura percepere bona, tanto plura non Deo eorum bonorum largitori, ſed dæmonibus conſtruxerunt altaria, immunda Delubra ædificarunt. * Horum quidem imitator eſt ille, qui diuitiis, pulchritudinem, vires, aliaque beneficia cœlitus accepta in maleficia vertunt, diuitias in vitia, fruges in gladios, ſpeciem in ſagittas, quibus contra Deum pro diabolo decertant.] *Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt, &c.* Animi eorum mutuis odiis inter ſe diſſidentes, ad ſuummet laborant interitum. Volunt enim hi Aſſyrios muneribus placari, alij bello impeti, alij fieri deditionem, alij Ægyptios, Syroſque euocari aduerſus communem hoſtem; ideò *interibunt*, LXX. *exſcindentur*, An idem eſt exſcindi populum ac interire? Ita planè. Schiſma enim eſt cauſa etiam maximorum Imperiorum ruinæ.] Ipſe hoſtis Aſſyrius tam ſacra eorum, quam profana comminuet, deuaſtabit.

Peccator Dei beneficia in maleficia vertit ingratus.

Schiſma, ſeu diuiſio eſt cauſa Regnorum ruinæ.

Verſ.3. 4. Quia nunc dicent : Non eſt Rex nobis, &c. Tunc capto Rege, & occupata regia, Iſraëlitæ dicent deſperatione affecti : Regem non habemus, qui nos aduerſus Aſſyrios tutari valeat. Imò etiamſi Regem, qui nos defendere curaret, haberemus, nihil proficeret, cùm à Rege Regum Deo, quem non colimus, fuerimus deſerti. * Si populus ſine Deo eſt, parum ei proderit, à Rege forti, ac Sapienti admodùm gubernari, vt ab incommodis liberetur : populari enim crimine prudentiam gubernatoris infatuari, fortitudinem infirmari, experimento didicimus.] *Loquimini verba viſionis inutilis, &c.* Nunc heus Pſeudoprophetæ, proferte iam populo viſionis mendacis oracula, qua omnia Iſraëli felicia pollicebamini. Fœdus cum Aſſyrio ferietis : at ex einſmodi fœdere ſolummodo amarum vobis iudicium germinabit, damnatio ſcilicet, & ſupplicium, non vnum, neque ſimplex, ſed multiplex, & copioſum : vtpotè ſuper omnes agri veſtri ſulcos. * Si ex ſeminato crimine ſupplicium germinat : copioſæ criminum ſeminationi, meſſis pœnarum copioſa admodum reſpondebit.]

Populus ſine Deo periclitatur à prudenti, ac forti Principe gubernetur.

Copioſæ peccatorum ſeminationi copioſa pœnarum meſſis reſpondet.

Verſ.5.6. Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ, &c Vitulas à Ierobóamo collocatas in Bethel & Dan, aut potius in Bethauen coluere hucuſque Samaritæ : & Sacerdotes fani earum in glorioſo cultu earum exultauerunt. Aſt lugebunt mox, quod vtraque vitula ſua ab eis in Aſſyriam demigrabit, Regi Salmanaſari communi oppreſſorum vltori, & iam vindici pro iniuria tùm Deo, tum ſibi illatæ ſingulari pro munere deferenda. Ideò addit : *ſiquidem & ipſe in Aſſur delatus eſt, &c.* Deferentur itaque vaccæ ſeu vituli aurei inter alia ſpolia ad Regem Aſſyriorum, cuius nomen *vltor*, ſeu vindex erat, tanquam aliquod egregium munus. Quod cum fieri viderint decem Tribus erubeſcent pudore ſuffuſi, ſuumque conſilium ſerò damnabunt : cum aſpexerint, tam facilè, tam ignominioſè eſſe delectum, quo ſubſidio ſibi fore valido exiſtimabant. Hebraicè illi vituli aurei dicuntur עגלות. *eglot*, quod fœmineum eſt, & *vitulam* ſignificat : & ita LXX. vertunt. Noſter autem ferè ſemper vertit *Vitulum*. Quod ſi huiuſmodi ſimulacris fœmina forma expreſſis laſciuia ſignatur (vti nonnulli affirmant :) non miror cæcos Iſraëlitas luxuriæ cultores ità miſerè periiſſe. Hoc enim vitium ſuos exitialiter vulnerat amatores.

Luxuria ſuos cultores interficit.

Verſ.7.8. Tranſire fecit Samaria Regem ſuum, &c. Amiſit Samaria Regem ſuum *Oſee*, eum ad cultum vitulorum alliciens. Qui ſic euanuit à Regno ſublatus, ſicut ſpuma quam excitauit in pelago ventus, aut feruor ſuper flumen, quæ momento temporis tota diſſipatur, ac perit. Infeliciter viuunt, & infelicius moriuntur Principes, qui veram auitam religionem puram aſſeruari non ſatagunt.] *Et diſperdentur excelſa idoli, peccatum Iſrael, &c.* Non tantum vituli Samariæ, ſed & excelſa eis conſecrata perdentur, in quibus commiſſum fuit ab Iſraële huiuſce idololatriæ crimen. Vbi verò vitulorum aræ aromate, ac victimis frequentèr fumarunt, lappæ ac tribuli exorientur. Tunc autem eo Iſraël mœrore afficietur, vt ſtatum illum cupiat cum diro mortis genere commutare. Ideò malis vrgentibus inclamabit : O montes, ô colles, in quorum fugimus ſpeluncas, cadite, operite, & obruite nos. Si temporale malum homines tam dirum commouet ad affectum : quid mala æterna, omni ſpe ſtatus melioris ablata, in corde damnatorum efficiet? Haud mirum, teſte Domino, prolaturos, Montes, *cadite ſuper nos.*]

Infeliciter moritur Rex, qui verã religionem puram non curat aſſeruari.

Quid interminabilium malorum in damnatorum animo horror efficiet?

Verſ.9.10. Ex diebus Gabaa, peccauit Iſraël, &c. Vicerunt porrò Iſraelitæ in delinquendo Gabaitas : quorum mores fuere olim in omnem proiecti turpitudinem, & infamiam, & diù in illis perſtitere. Ideóque longe grauiori prælio diuexabuntur ab externis hoſtibus, quàm quo à cognatis Tribubus ciues Gabaa iniquiſſimi fuere confecti. *Iuxtà deſiderium meum corripiam eos, &c.* Victricibus igitur externorum populorum armis iræ meæ, atque deſiderio ſatisfaciam, cum illos propter duo ſcelera, quæ patrauerunt, ſeuerè corripiam. Alterum fuit incontinentia qualis olim fuit apud Gabaitas : alterum idololatria, quam ad Gabaitarum luxuriem addidere. * *Propter duas* (ait) *iniquitates ſuas*, luxuriam ſcilicet, & idololatriam. Annon (ſi ſpiritum loci huius tenemur) hæc duo vitia pariter incedunt? Intemperantiæ ſeu circa gulam, ſeu circa luxuriam Deus eſt venter; hæc enim vitia Dei ingerunt homini obliuionem, vt ſolum voluptatibus liter obſequium.]

Luxuria & idololatria pariter quodammodò incedunt.

Verſ. 11. Ephraim vitula docta diligere trituram, &c. Ephraim ſeu Iſraël eſt inſtar vitulæ, quæ non arare, ſed triturare didicit. Detrectat ſubire legis diuinæ iugum, quia laborioſum : amat inter medios ſegetum aceruos ambulare, vt ſegetes ore carpat, ex alienoque labore fructus decerpat. Ego autem inſiliens tranſibo ſuper tam pulchrum collum, iniectoque iugo, & ſtimulo impacto, tumentes eius ceruicum toros edomabo, & ad aratra in remotiſſimis à paſtu locis, nempe in Aſſyria, trahenda vel inuitam ablegabo. Profectò vitulæ ſic domitæ exemplo Iudas ſat ante petulcus ac rebellis metu ſimilis mali iugum meum ſpontè ſubibit, & meo ex præſcripto arabit, & diuinæ legis meæ ſulcos aperiet, glebas ſcelerum confringet. * Supplicium enim vni peccatori illatum alterum aſſolet ad frugem adducere meliorem.] Demum Iacob, id eſt, plurimi ex reliquiis Regni Iſraëlitici excisi, in Iudæam profugi, idem cum Iuda tunc tanquam famuli eius facient Iudæorum exemplo. * Famuli enim facile proba, aut praua dominorum ſuorum æmulantur exempla.]

Supplicium vni peccatori illatum alterum ad frugem meliorem adducit.

Famuli dominorũ bonos, vel prauos mores imitantur.

Verſ.12.13. Seminate vobis in iuſtitia, &c. Terræ itaque cordis veſtri ô Iſraëlitæ tradite non impietatis ſemina, ex quibus vobis iam imminet triſtis pœnarum meſſis : ſed ſemina iuſtitiæ, nempe iuſta deſideria, pia opera : & in *ore miſericordiæ*, metetis, id eſt, ſecundùm os, & capacitatem diuinæ miſericordiæ. Veniam ſcilicet aſſequemini culparum, & imminentium pœnarum remiſſionem. Si ergò ſapitis, operi manus quamtocyus admouete, ſpinas tot vitiorum euellite, vt inſtar agri noniter exculti virtutum ſemina excipiatis, foueatis, faciatiſque vberrimè germinare. Et dum tempus adeſt Dominum requirendi, ne illud perire patiamini : ſed expectare, donec propitius Deus re ipſa doceat, & oſtendat fructus, qui ex miſericordiæ ac iuſtitiæ ſulcis pullulabunt. *Araſtis, impietatem*

tem meſſuiſtis, &c. Satis diù ò Iſraëlitæ luſiſtis, ac perdiſtiſtis operam: Seminaſtis enim in impiis alienæ regionis ſulcis corrupta criminum ſemina, & ſupplicium ex ſtulto illo labore retuliſtis. Peperiſtis vobis ſementis illa mendacé ac lapidoſum panem: quia abiecto Deo, qui vnicus protector eſſe poterat, in veſtris conſiliis, bellatorumque multitudine ac robore ſpem omnem collocaſtis.

Verſ. 14. 15. Conſurget tumultus in populo tuo, &c. Repentè hoſtium tumultus excitabitur: & quidquid munitionum aduerſus eorum impetum comparaſti, vaſtabitur. Non aliter quam ſuperbiſſimus, & potétiſſimus Salmana à Gedeone (qui per irriſionem dixerat, Baal eſſe vindicandum) eodem die, quo primum eſt initum prælium, ſuperatus fuit. Et non ſolum qui in caſtris Salmana erant, confecti ſunt à ſuo, vel hoſtium gladio, ſed etiam liberis ipſæ quoque matres, quæ bello non interfuerunt trucidatæ conciderint, *Sic fecit vobis Bethel, à facie malitiæ nequitiarum veſtrarum.* Hanc vobis aurei vituli ſtragem adducent, quos pro diis in Bethel collocaſtis. Hic veſtratum iniquitatum amarus eſt fructus. * Et quomodo ea amara peccati tadice, peſtilenti ligno, dulces poterant fructus prodire.] Peccatorum amari fructus.

CAPVT XI.

Iſraëli plurimis à Deo beneficiis onerato ingratitudinem exprobat, captiuitatemque prædicit. Quibuſdam tamen vna cum Tribu Iuda reditum in patriam pollicetur.

1. SICVT manè tranſit, pertranſiuit rex Iſraël. Quia puer Iſraël,
& dilexi eum: & ex Ægypto vocaui filium meum. 2. Vo-
cauerunt eos, ſic abierunt à facie eorum: Baalim immola-
bant, & ſimulachris ſacrificabant. 3. Et ego quaſi nutritius
Ephraim, portabam eos in brachiis meis: & neſcierunt quod
curarem eos. 4. In funiculis Adam traham eos, in vinculis
charitatis: & ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eo-
rum: & declinaui ad eum vt veſceretur. 5 Non reuertetur in terram Ægypti, &
Aſſur ipſe rex eius: quoniam noluerunt conuerti. 6. Cœpit gladius in ciuitatibus
eius, & conſumet electos eius, & comedet capita eorum. 7. Et populus meus
pendebit ad reditum meum: iugum autem imponetur eis ſimul, quod non auſe-
retur. 8. Quomodo dabo te Ephaim, protegam te Iſraël? quomodo dabo te ſicut
Adama, ponam te vt Seboim? Conuerſum eſt in me cor meum, pariter conturbata
eſt pœnitudo mea. 9. Non faciam furorem iræ meæ: non conuertar vt diſperdam
Ephraim: quoniam Deus ego, & non homo: in medio tui ſanctus, & non ingre-
diar ciuitatem. 10. Poſt Dominum ambulabunt, quaſi leo rugiet: quia ipſe ru-
giet, & formidabunt filij maris. 11. Et auolabunt quaſi auis ex Ægypto, & quaſi
columba de terra Aſſyriorum: & collocabo eos in domibus ſuis, dicit Dominus.
12. Circumdedit me in negatione Ephraim, & in dolo domus Iſraël: Iudas autem
teſtis deſcendit cum Deo, & cum ſanctis fidelis.

COMMENTARII.

1. Iſraëli collatum in eum beneficia exprobrat.

VERS. 1. 2. *Sicut manè tranſiſt, &c.* Oſee Rex Iſraëlis in alteram vitam tranſiit velut *mane.* Hebr. *in aurora,* ſeu ſub Regni ſui initio, cum poſt longam ærumnarum ab Aſſyriis Regibus inflictarum noctem Iſraël nonnihil lucis ac proſperitatis maximè ex accurſu *ſua* Regis Ægypti perſentiſcere cœpiſſet, ſubita Salmanaſſaris indignatione ſpes omnis euanuit, Rex captus, & occiſus, Samaria obſeſſa, & ſciſſa fuit. Tanti mali cauſa fuit Iſraëlis in me ingratitudo, & rebellio. Quia cum ipſe adhuc puer eſſet tenellus, ſe regere neſcius, ab Ægyptiis oppreſſus, & neci deſtinatus; ego eum inſtar nutricij, imò inſtar matris dilexi, foui, & quaſi filium meum vterinum ex Ægypto euocaui in terram patribus olim eius promiſſam. *Vocauerunt eos, &c.* Moyſes & Aaron Iſraëlis filios vocauerunt, & eduxerunt ex Ægyptiaca ſeruitute, & idololatria. At ipſi mihi, & illis rebelles obuerterunt eis terga currentes ad Baalim, id eſt, ad idola, puta ad vitulos aureos, ad Beelphegor, ſeu Priapum, & ad alios deos Gentium, quibus, me vidente, hoſtias litabant.

Verſ. 3. 4. Et ego quaſi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, &c. Suſcepi Iſraëlitas licet ingratos ea indulgentia, qua nutricius delicatum clientulum ſuæ tutelæ commiſſum, qui non ſolùm alimento paſcit, tegit conſilio, ſed etiam quaſi materno fouet in ſinu. * Tanta enim Dei miſericordis, vt quodammodo ex noſtra maiori ingratitudine vberiora concipiat miſerendi incitamenta.] Cùm autem ego populum illum ſuſcepiſſem, ac curaſſem, ſicut Immenſa Dei miſericordia ex noſtra ingratitudine concipit vberiora miſerendi incitamenta.

Medicus

Medicus variis ægritudinibus laborantem infirmum: ille tamen quo erat mentis ſtupore, non intellexit, aut ſaltem in agendo, animum beneficij memorem non oſtendit. * Quàm aptè addidit: *Et neſcierunt, quod curarem eos.* Ingratitudo enim hominem indicat inſipientem, & ſtupidum.] *In funiculis Adam traham eos, &c.* Ad me eos traham in funiculis *Adam,* LXX. *hominis*, id eſt, funiculis, quibus ſolent homines trahi, nempè doloribus, tribulationibus. * Miſericors enim Deus peccatori labores immittit, vt velut fræno ab iniquitate auertat, & velut calcaribus ad pietatem inſtimulet.] Ego aptius de funiculis beneficiorum expono. Iſraëlem etſi petulcæ vitulæ (*cap.* 10. 11.) more mihi obnitatur, nolo tamen vt beſtiam tractare, & flagellorum vinculis inuitam cogere, ſed vt hominem ingenuum beneficiis allicere decreui. * Profectò nihil ſic ingenuum hominem ad rectitudinem attrahit, quam collatio beneficiorum.] Tales funiculi fuére columna in deſerto, manna, aqua de ſaxo, & tot victoriæ. Et cum aliquid laboris in longo illo deſerti, difficilique tranſitu ſubirent, ego ſic eos releuabam, ſicut agricola ſolet laborantem bouem, quem à iugo liberat, & à labore ſubmouet, vt ſuis ſe temporibus pabulo ſe reficiat.

Ingratitudo hominis eſt inſipientis & ſtupidi.

Labores homini à peccatis auertunt.

Beneficia ingenuum hominē ad rectitudinem adducūt fortius quam flagella.

2. *Verſ.* 5. 6. 7. *Non reuertetur in terram Ægypti, &c.* Cùm populo ingrato illo adeò clementer egi ne rurſus ad Ægyptiam ſeruitutem remearet. Porrò licet parentes eius in Ægyptum reuerſi non fuére, imò nec poſteri, tamen ad Aſſyrios abierunt, quorum non erat mitior dominatus. Quia à via, qua ingreſſi fuerant, iniuſta, ad me conuerti noluerunt, diriorem ſubiére tyrannidem. * Recurrit enim grauius ſupplicium, ſi recurrat iniquitas, è qua Dei beneficio receſſeras.] *Cœpit gladius in ciuitatibus eius, &c.* Iam Aſſyrius gladius vaſtare cœpit Iſraëlis Vrbes, & quod reliquum eſt, totum abſumet: illos etiam, in quorum poteſtate, atque arbitratu erat Reipublicæ ſumma, conficiet. * Si commune totius populi expreſſerat excidium, cur addidit. *Et comedet capita eorum?* An quia frequenter cunctis ciuibus vapulantibus, aſſolent proceres à flagello communi liberari? Ita planè] *Et populus meus pendebit ad reditum meum, &c.* In ea rerum anguſtia populus pendebit ex me, expectabitque, vt benignus redeam, qualis anteà ſolitus antiqua parentum ſuorum memoria: ſerò tamen & fruſtra. Suſtinebunt etenim iugum, quod nullus ex eorum ceruicibus exſoluat. * *Sero*, inquam, *& fruſtra.* Quia ſera pœnitudo ſæpè clamat inaniter, quia ipſa inanis Dei oculis oſtentatur: cum ſcilicet peccatoris clamor potius ex vulneris dolore, quam ex cordis compunctione procedit.]

Supplicium Iſraelis minatur.

Recurrit grauius ſupplicium, ſi ad priorem recurris iniquitatem.

Omnibus ciuibus pereūtibus, ſolent proceres à flagello eripi ex diuitiis.

Sera pœnitentia plerúque ſuſpecta.

Verſ. 8. 9. *Quomodo dabo te Ephraim, protegam te Iſrael, &c.* Quonammodò paterno pectori poſſibile erit, vt totum te ô Iſraël, dem Aſſyriis excidendum? Quid ergo? Protegam ne te tam mihi rebellem, tam obſtinatum filium? Non permittunt ſcelera tua, quæ in cælum vindictam inclamant. Quid ergo? Dabo te, ſicut olim dedi Sodomam, Gomorrham, Adamam, & Seboim Pentapoleos Vrbes? Quomodò id pectus feret maternum? En luctam amoris diuini cum vindicatiua eiuſdem iuſtitia. Vtrius erit victoria? Vincat amor. Conuerſum eſt in me, & immutatum cor meum, intimo animi ſenſu quaſi pœnitens conturbor, dum menti tam ſeuera ſententia ſubit. *Non faciam furorem iræ meæ. &c.* Quare non totam meam iram exſaturabo, vt omninò Iſraëlem diſperdam. Quod quidem homo faceret, ſi iracundia ſimili ſimilem etiam facultatem vlciſcendi doloris haberet. Ego verò Deus ſum, qui poſſum iram continere, & illam miſericordia temperare: non homo, qui furorem adductis habenis non ſolet cohibere. * Ergo qui cohibet, qui iniuratori parcit, ſe non iam hominem, ſed Deum quodammodò oſtentat.] Quare non ingrediar ciuitates Iſraelis eo modo, quo Sodoman olim ſum ingreſſus, vt igne immiſſo, omninò cæderet in fauillam.

Qui iracundiam ſcit cohibere, & inimico parcit, ſe quaſi Deū oſtentat.

Verſ. 10. 11. *Poſt Dominum ambulabunt, &c.* Nonnulli Iſraëlitarum poſt me ambulabunt, mihique ad meliorem mentem redacti, legitima ſacrificia offerent. At non prius, quam quando rugiam ſicut leo, & per Aſſyrios Regnum illorum in fruſta diſcerpam. Quia igitur ſic veſtra vult pertinacia, ego rugiam tam horribili rugitu, vt formidini ſim inſulanis, & tranſmarinis, ſeu vſque extremos fines orbis. Qui verò hoc acti rugitu conuerſi ad me fuerint, pereuntibus aliis, ſaluabuntur. Nam per Cyrum libertati priſtinæ reddentur. *Et auolabunt, quaſi auis ex Ægypto, &c.* Cum autem rugitu meo Aſſyrios, Ægyptioſque concuſſero, redibunt ex eorum regionibus vbi agebant extorres Iſraëlitæ, ea celeritate, qua ad nidos ſuos columbæ, aut aues aliæ, quas agit ad propria diuerticula atra tempeſtas, reuertuntur. * Memoria laborum, quos in peccati captiuitate ſubiiſti, te quidem ſtimulat, vt velocius rectam virtutis ſemitam arripias.]

Memoria laborum, quos in peccato ſubiiſti, te faciunt velocius virtutis viam arripere.

Verſ. 12. *Circumdedit me in negatione Ephraim, &c.* Iſraël denegauit mihi omni ex parte debitum amorem & cultum, inhærens *mendacio*, (ſic Hebræus) ſeu cultui mendacium, & falſorum deorum: & *dolo*, ſeu fraudi multiplici, qua quiſque proximum ſuum fallere conatur. Non ſic Tribus Iuda, quæ ſub pio Rege Exechia teſtis diuinitatis meæ omni ex parte fidelis, etiam ad vos conuertendos, *deſcendit cum Deo, & cum ſanctis*, id eſt, innitens ſingulari Dei ope fulta, & Sacerdotum ſuorum auxilio (quos Rex per omnes Tribus Iſraël miſit legatos, & Doctores) vt errantes ad vnius Dei cultum reuocaret. * Profectò, qui ſaluti proximorum incumbunt, *cum Deo deſcendunt*, quia Deus & eos comitatur, & ad ſacra gerenda miniſteria exhibet adiutorium.] In tantæ verò charitatis compenſationem, cum exſcindam Regnum decem Tribuum, Regno Iudæ parcam, faciamque, vt adhuc per plures annos dominetur. Chaldæus quidem illud Hebraicum *od rad*, quod Noſter vertit *teſtis deſcendit*, mutatis nonnihil punctis, legit, *od rad*, id eſt, *adhuc dominatur.* Ezechiæ itaque iuſſu doctores Concionatores immiſſi fuere ad Iſraëlitarum conuerſionem, quorum *fidele teſtimonium*, & ergà fratres charitas Deum adduxit, vt Iudæ æternaret Imperium. * Vt edoceantur Reges, eam circà conuerſionem proximorum ſalutem curam, quam adhibent Concionatores immittendo, eorum Regna ſtabilire.] * Hoc

3. *Quibuſdam reditum in patriam pollicetur.*

Deus comes eſt eorū, qui ſaluti proximorum incumbunt.

Stabiliuntur Regna, dum curāt Reges fidem propagari.

Regis

Cõmendatur Catholici Regis pietas ſacros

Regis Catholici pietatem commendo, qui Ezechiam vincens non ſemel vt ille, ſed annis ſingulis ſacros miniſtros remittit ad Indos promulgaturos Gentibus Euangelium, & Chriſticolas iam in fide, ac pietate confirmaturos.]

miniſtros ad Indos immittendis

CAPVT XII.

Exprobrat Iſraëli, quod opis cauſa ad idola, ad Ægyptios, & Aſſyrios accurrat: Iudaeos quoque taxat, quod, Deo in eos munificentiſſimo neglecto, iiſdem ſimulacris adhareat. Iſraëli ob hanc ingratitudinem captiuitatem prædicit: Iudæ verò minatur eandem, ni reſipiſcat; ſed ſpatium dat ei pænitentiæ.

1. EPHRAIM paſcit ventum, & ſeqnitur æſtum: tota die men-
dacium & vaſtitatem multiplicat: & fœdus cum Aſſyriis
iniit & oleum in Ægyptum ferebat. 2. Iudicium ergo Domi-
ni cum Iuda, & viſitatio ſuper Iacob: iuxta vias eius, & iuxta
adinuentiones eius reddet ei. 3. In vtero ſupplantauit fra-
trem ſuum: & in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo.
4. Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt: fleuit, & ro-
gauit eum, in Bethel inuenit eum, & ibi locutus eſt nobiſcum. 5. Et Dominus
Deus exercituum, Dominus memoriale eius. 6. Et tu ad Deum tuum conuerte-
ris: miſericordiam & iudicium cuſtodi, & ſpera in Deo tuo ſemper. 7. Chanaan,
in manu eius ſtatera doloſa, calumniam dilexit. 8. Et dixit Ephraïm: Verum-
tamen diues effectus ſum, inueni idolum mihi: omnes labores mei non inuenit
mihi iniquitatem, quam peccaui. 9. Et ego Dominus Deus tuus ex terra Ægy-
pti, adhuc ſedere te faciam in tabernaculis, ſicut in diebus feſtiuitatis. 10. Et
locutus ſum ſuper prophetas, & ego viſionem multiplicaui, & in manu prophe-
tarum aſſimilatus ſum. 11. Si in Galaad idolum: ergo fruſtrà erant in Galgal bobus
immolantes: nam & altaria eorum quaſi acerui ſuper ſulcos agri. 12. Fugit Iacob
in regionem Syriæ, & ſeruiuit Iſraël in vxorem, & in vxorem ſeruauit. 13. In
propheta autem eduxit Dominus Iſraël de Ægypto: & in propheta ſeruatus eſt.
14. Ad iracundiam me prouocauit Ephraïm in amaritudinibus ſuis, & ſanguis
eius ſuper eum veniet, & opprobrium eius reſtituet ei Dominus ſuus.

COMMENTARII.

1. *Taxat Iſraelitas ex idololatria, & recurſu ad Gentiles opis quærendæ gratia.*

VERS. 1. *Ephraïm paſcit ventum, &c.* Iſraël, qui ſeruiendo mihi poſſet immenſos fructuum aceruos colligere, colendo idola, & fœdera cum Gentilibus ſanciendo, ventum paſcit, id eſt, nihil habet ſolidi, rebus nugatoriis ſeducitur: quemadmodum ſi qui captus mente non cibo, ſed vento ſe reficere ſtuderet. Dum verò ab externis requirit auxilium, id agit amens, vt vmbram gratam, ac refrigerantem expetens, ventum vrentem exitialem ſequatur. Quod magno ſuo malo experturos eſſe Iſraëlitas monet Oſeas, ſed fruſtra. Quomodo enim veræ fidei oſores fideliter, aut feliciter. *Tota die*, ſeu continuò ſtudent Iſraëlitæ multiplicare ſibi non modo *mendacium*, ſeu res futiles, ac fallaces, ſed & *vaſtitatem*, ſeu quæ vaſtitatis ipſis cauſa erunt: puta fœdus cum Aſſyriis, & cum Ægyptiis. *Et oleum in Ægyptum* ea de cauſa ferebant. En vaſtitatis occaſionem. Nam cum Salmanaſſar Aſſyriorum Rex intellexit, Regẽ Iſraël *Oſee* ſibi tributariũ, miſſo oleo, (quo Samaria abundat, & caret Ægyptus) Pharaonem *Sua* ad fœdus ſecum ineundum ſollicitaſſe: (4. *Reg.* 17. 4.) vſque eo exarſit, vt omne Regnum Oſee funditus euerterit.

2. *Iudam etiã reprehendit.*

Verſ. 2. 3. 4. 5. *Iudicium ergo Domini cum Iuda, &c.* Igitur iudicanda iam ſunt nunc Iſraëlis, & poſteà Iudæ crimina: quibus Deus poſt ſeuerum examen talia reddet ſupplicia, qualia vtriuſque merita exigunt. *In vtero ſupplantauit fratrem ſuum, & in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo*, Audiat Iſraël, & Iuda, quæ-iſnam ego beneficiis illorum, genus à principio fuerim proſecutus. Cum adhuc incluſus eſſet in vtero Iſraëlitarum pater Iacob manu calcem Eſaü fratris apprehendit, qui in partu præceſſerat: & ea fuit à Deo præditus fortitudine, vt Angelo fuerit ſuperior in certamine. *Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt, &c.* Robur itaque Iacobo datum eſt cælitus, quo directus, feliciter & cum victoria luctam iniit cum Angelo Dei vices gerente, quo ſignabatur eum cunctis hoſtibus ſuis præualiturum. Fleuit Iacob, & flendo Angelum rogauit, vt ſibi benedictionem impertiret. * Oratio enim cum

Efficax eſt oratio cum lacrymis.

lacrymis ſemper exorat, & potitur optatis.] Hoc quidem ex reuelatione, vel ex traditione Oſeas didicit, & Geneſeos hiſtoriæ ſuperaddidit. Petitam autem benedictionem tùm ſpiritualium, tum temporalium bonorum oranti ac flenti Iacobo Deus impertiuit, ac præ omnibus Meſſiæ ex ipſius ſemine procreandi. * Vt vis precum cum lacrymis amplius innoteſcat, ſiquidem Verbi incarnationem cæleſtium benedictionum maximam fuit aſſecuta.] Inuenit præterea Iacob Dominum in Bethel ſcalæ innixum. (*Gen.* 28.13.) ſibi, ac poſteritati ſuæ promittentem de cœlo tutelam, de terra hæreditariam portionem lacte, ac melle manantem. De hac enim nobis exhibenda locutus eſt ibi Deus *nobiſcum*. nempè in Iacobo patre noſtro. *Et Dominus Deus exercituũ, Dominus memoriale eius*. Deus inquam nobis locutus eſt non falſus aut fictus vt eſt Apis, ſeu vitulus veſter, vel Baal, vel Beelphegor; ſed Iehoua Deus exercituum. Quo nomine & memoriali vult à nobis coli, ac nominari.

Oratio cum lacrymis Verbi incarnationem aſſecuta fuit.

3. *Verſ. 6. 7. Et tu ad Deum tuum conuerteris, &c. Et* (id eſt, ideircò) ô Iuda tu quoque *conuerteris* Hebræa enallage pro *conuertere* ab idolia, quæ colere cœpiſti, ad verum Deum tuum patris tui Iacobi veſtigiis inſiſtens, ſi benedictionis ipſi conceſſæ hæres eſſe velis. Erga proximum tuum cuſtodi charitatem, ſimul & iudicium, ſeu iuſtitiam, nemini nocendo, ſed ſuũ tribuendo ius vnicuique. *Chanaan, in manu eius ſtatera doloſa, calumniam dilexit*. Porrò Chananæi mercatores ſunt auari, & doloſi iuſtitiam minimè cuſtodientes; noli ô Iuda eos imitari, in quibus eſt ſtatera falſa, & contra inſontes, & infirmos inſtructa calumnia. *Et dixit Ephraim: Veruntamen diues effectus ſum, &c.* Imò neque Iſraëlitas imiteris, qui ineſcati lucri dulcedine, dicit: Lucro qualicunque via parto ditior fio, nihil obſtrepentium monita, aut minus curo. Inueni mihi, quod quærebam, *idolum*, LXX. *diuitias*. * Reuera diuitiæ auaro ſunt idolum, cui ſeruit, cui litat, Deum verum ſpernens, ſi fraudibus, aut rapinæ vacandi ſeſe dedat occaſio.] Adeò autem oculos mentis obcæcant diuitiæ, vt licet vſuris ac fraudibus omnes pene contractus ſcateant, auſit tamen auarus cum Ephraïmo iactare ſe tanquam neſcium vllius iniuſtitiæ: omnes labores mei, omnis negotiatio mea, omnia pondera, omnes contractus mei mundi ſunt ab omni iniquitate, & iniuſtitia. * Hæc vſurarij cæcitas, ſic dubiis, imò omninò falſis opinionibus adhæreſcere affectat, vt lucrum quod apertè eſt iniuſtum, ſine vllo piaculo poſſit recipi, ac retineri.]

Veniam promittit reſipiſcenti populo.

Diuitiis vt Idolis ſeruit auarus.

Vſurarius falſis opinionibus hæreſcere affectat.

Verſ. 9. 10. Et ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti. &c. Nihilominus ô Iſraël ego Deus iam pridem tibi notus, ex quo proauos tuos ex Ægyptiaca ſeruitute liberaui, meliora cogita, eundem erga te animum retinebo, quem olim parentes in me dignouerunt. Neque ſinam, in caput tuum aliquid Aſſyriorum potentiam moliri, Hærebis ocioſus, & ſecurus in patria, vbi patrio ritu feſtiuitates coles, & in his illam, quæ anniuerſaria ſolemnitate, fixis de more tabernaculis, colitur. Ac ſi diceret: ſedere te faciam in Vrbibus tuis non triſtem, non miſerum non oppreſſum ab hoſte: ſed liberum, ſed lætum, ſicut ſoles in feſto Scenopegiæ, & aliis feſtiuitatibus. Tibi Itaque adhuc parcã, vt probem: an decreueris pœnitere. * Sæpè enim Deus peccatoribus temporalem addit felicitatem, vt his onerati beneficiis, ſe gratos oſtendant ab iniquitatia via recedentes.] *Et locutus ſum ſuper Prophetas, &c.* Quo veró olim, & nunc in te ô Iſraël. animo ſim, hinc licet intelligas. Sæpé cum Prophetis de te, & ad te per Prophetas locutus ſum: qui & meo nomine, & meam perſonam agentes, mandata ad te mea detulerunt. * Magnum planè diuinæ in nos pietatis eſt documentum, cum Miniſtri Euangelici nos errantes corripiunt, ignorantes edocent, pertinacibus minas intentant.]

Peccatori Deus ſæpe bona temporalia auget, vt gratus ab iniquitate recedat.

Dei pietatis in peccatores ſignũ eſt Concionatores ad eos immittere.

Verſ. 11. 12. Si Galaad idolum, &c. Si vitulus cultus ab Iſraëlo in Galaaditide non eſt niſi idolum (Hebraicè אָוֶן *auen*, *vanitas* fictio) impotens ſe, ſuoſve clientes tutari aduerſus hoſtes, vt oculis veſtris conſpicitis; nam vitulorum altaria nunc in lapidum aceruos adacta videtis: cur ergo etiam vos vſque eo inſanitis, vt iiſdem bobus, ſeu vitulis hoſtias in ditione veſtra nempè in Galgalis, immoletis: idque nullo veſtro commodo, ſed fruſtra prorſus, imò cum maximo veſtro ſpirituali, ac temporali damno. *Fugit Iacob in regionem Syriæ, &c.* Aufugit olim Iacob in Meſopotamiam, & me prouidente manus fratris ſui Eſaü non incurrit. Seruiuit auunculo ſuo Labano ſeptem annis ad vxorem ſibi hoc ſeruitio coëmendam nempe Rachelem aliis idem ſeptem annis ad aliam vxorem Liam ſcilicet ſibi comparandam ſeruiuit: & pauit ſoceri oues tam felici ſucceſſu, vt tam ipſe, quàm ille quaſi in immenſum ditarentur.

Verſ. 13. 14. In Propheta autem eduxit Dominus Iſraël de Ægypto, &c. Prophetæ Moyſis 4.
miniſterio Iſraëlem Deus ex Ægypti captiuitate eduxit: & per eundem ſeruatus eſt toties in maris rubri tranſitu, in Sinaï, in tot aliis locis in deſerto. Noli ergo tu ô Iuda, pro tot beneficiis te mihi ingratum exhibere: ſicut ſe Iſraël præbuit ingratum. *Ad iracundiam me prouocauit Ephraïm in amaritudinibus ſuis, &c.* Sceleribus amariſſimis maximè idololatria, & homicidio me ad iram Iſraël excitauit, ſed non impunè. Sanguis enim eius ſuper eum veniet, id eſt, pœnas omnium ſcelerum dabit. Opprobriis afficientur pro opprobrio, quo Deum inuerecundus populus affecit: quando ſcilicet illi & aureos vitulos, & idolorum ſordida figmenta præpoſuit. * Illa preme: *In amaritudinibus ſuis*. Siue in peccatis. Cur peccatum vocat amaritudinem? Certè quia totus peccatorum ſtatus amaritudinibus eſt exundans: ex fonte enim peccati cunctæ profluunt amaritudines, imò ipſæ voluptates aculeis ſunt pungentibus plenæ. Itaque peccatum idem eſt, quod amaritudo.]

Adhuc accepta ab Iſraël beneficia recolit.

Peccatum idẽ eſt, quod amaritudo.

CAPVT

CAPVT XIII.

Idololatris Iſraëlitis excidium prædicere pergit: pœnitentibus tamen poſt multa tempora, maximè per Chriſtum Dominum, liberationem promittit.

1. LOQVERE Ephraim, horror inuaſit Iſraël, & deliquit in
Baal, & mortuus eſt. 2. Et nunc addiderunt ad peccandum:
feceruntque ſibi conflatile de argento ſuo quaſi ſimilitudi-
nem idolorum, factura artificum totum eſt: his ipſi dicunt:
Immolate homines vitulos adorantes. 3. Idcircò erunt
quaſi nubes matutina, & ſicut ros matutinus præteriens,
ſicut puluis turbine raptus ex area, & ſicut fumus de fumario.
4. Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti: & Deum abſque me neſ-
cies, & ſaluator non eſt præter me. 5. Ego cognoui te in deſerto, in terra ſoli-
tudinis. 6. Iuxta paſcua ſua adimpleti ſunt, & ſaturati ſunt: & leuauerunt cor
ſuum, & obliti ſunt mei. 7. Et ego ero eis quaſi leæna, ſicut pardus in via Aſſy-
riorum. 8. Occurram eis quaſi vrſa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris
eorum: & conſumam eos ibi quaſi leo, beſtia agri ſcindet eos. 9. Perditio tua Iſ-
raël: tantummodò in me auxilium tuum. 10. Vbi eſt rex tuus? maximè nunc
ſaluet te in omnibus vrbibus tuis, & iudices tui, de quibus dixiſti: Da mihi regem,
& principes. 11. Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione
mea. 12. Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum eius. 13. Do-
lores parturientis venient ei: ipſe filius non ſapiens: nunc enim non ſtabit in con-
tritione filiorum. 14. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero
mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne: conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis.
15. Quia ipſe inter fratres diuidet: adducet vrentem ventum Dominus de deſerto
aſcendentem: & ſiccabit venas eius, & deſolabit fontem eius, & ipſe diripiet theſau-
rum omnis vaſis deſiderabilis.

COMMENTARII.

1. *Pergit idololatra populo prædicere excidium.*

VERS. 1. *Loquente Ephraim horror inuaſit Iſrael, &c.* Cum Ieroboam de Tribu Beniamin nouam vellet religionem inducere; ad impiam illam, & inſperatam vocem cohorruit Iſraël. Iuſtè quidem. * Nihil enim ſic fidelium animos debet turbatione afficere, quam cuiuſlibet verbi prolatio, quod videatur fidei ſacræ puritati contradicere.] At vbi obſecutus Regis voluntati, pro Deo voluit aſſumere Baal, ſcilicet peregrinos deos, deſtinatus eſt exilio, ferro, & tam externarum, quam vicinarum Gentium ludibrio. * Cur obſecutus fuit regiæ voluntati populus, quem ſola auditio illa impia horrore affecit? Certè quia iniquum Principis exemplum tandem ſubditos ad eandem impietatem adducit.] At Ieroboamus ſimul atque coli iuſſit idola mortuus eſt, non ſolùm morte ſpirituali. (* Peccatum enim mortem eſſe quis dubitet?) ſed & corporali, exciſa tota eius domo & ſtirpe regia 3. *Reg.* 15. 29. & ciuili etiam morte, nullo deinceps loco habitus, ſed vilis, infamis, ab omnibus reiectus. * Sic punit Deus Reges veræ fidei oſſores.]

Fideles afficere debet turbatione quidquid ſidei puritati contradicere videatur.

Prauū Principis exemplum ſubditos ad eandem adducit impietatem.

Peccatum mors.

Reges fidei oſſores durè puniuntur.

R.P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. ac. VII. p. I.

Verſ. 2. 3. Et nunc addiderunt ad peccandum, &c. Etiam nunc idem peccatum idololatriæ repetunt, & adaugent. Conflatunt enim ex argento ſimulacrum, pro vt cuique viſum eſt, quod totum nihil amplius habuit, quàm quod ab artifice recepit. *His ipſi dicunt: Immolate homines, vitulos adorantes.* Quodque ſceleratiſſimum eſt edicunt præconis voce: O vos, qui vitulos aureos adoratum venitis, immolate iis non ſolas oues vel boues (victimæ iſtæ nimis vulgares ſunt) ſed etiam homines vitulis immolate. Gentilium exemplo. *Idcirco erunt ſicut nubes matutina, &c.* Idcircò dabunt mihi celerrimè grauiſſimas pœnas, Abſumentur namque ab Aſſyriis, ſicut à ſole nubes, vel ros matutinus abſumitur: & puluis, vel fumus turbine diſſipatur. * Meritò tam dirè torquentur illi, qui non ſolùm ſe iniquos oſtendunt, ſed *dicunt*, id eſt, alios curant ad eandem allicere iniquitatem.]

Dirè à Deo torquentur peccatores, qui alios ad eandem iniquitatem curant allicere.

Verſ. 4. 5. 6. Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti, &c. Ego verò facultatem habeo, vt poſſim: & pietatem, vt velim ab omni te periculo adſtruere incolumem. Quod facilè iam inde potuiſti dignoſcere, ex quo de dura Ægypti ſeruitute iam olim abſtraxi. Et quamcumque in partem ſtudium, cogitationemque conuertas, nullum præter me, qui te ſaluare poſſit, Numen inuenies. *Ego cognoui te in de-*

ſerto, in terra ſolitudinis. In ſolitudine, vbi tot ſeſe dederunt tibi vitæ diſcrimina, te ſic fouendum ſuſcepi, non ſolùm, à morte eriperem ſed etiam ad delicias vſque indulgenter, affatimque aluerim. *Iuxta paſcua ſua adimpleti ſunt, & ſaturati ſunt, &c.* Ad ſatietatem vſque illis exundauit annona, ſeu familiare pabulum. Et quo magis ex eo pingues, eo fuére inſolentius elati, & à me longius abiere. * Maximæ peruerſitatis eſt documentum, cum beneficiorum multiplicatio, quæ fugientem peccatorem deberet ad Deum adducere, ad celeriorem fugam impellit: & anſam ex eis ad liberius delinquendum arripere.]

Magna iniquitas eſt, ex beneficiis anſã ad liberius peccandum arripere.

Verſ. 7. 8. Et ego ero eis quaſi leæna, ſicut pardus in via Aſſyriorum. Alia nunc meditari me cogunt. Haud me iam munificum ſicut anteà, ac mitem exibebo, ſed durum fidei violatæ vltorem. Nam cum res illis erit cum Aſſyriis ſicut leæna, & pardus bianti rictu, & extortis ad lacerandum vnguibus occurram. *Occurram eis quaſi vrſa raptis catulis, &c.* Occurram item velut vrſa furens, cum raptos videt catulos, quos tanto labore animauit, & finxit: & illorum dilacerabo, effundamque præcordia. Quemadmodum fera prædam dilacerat & euiſcerat. Horribile malum eſt ingratitudo, quæ immenſam Dei pietatem, diram vertit in feram.]

Ingratitudo pietatem Dei in feram cõuertit.

Verſ. 9. 10. Perditio tua Iſraël, &c. Hanc perditionem, cladem hanc ô Iſraël non ſæuitiæ meæ ſed tuis ſceleribus adſcribe. Nam ego non aliud opto, aut conor, quam tibi auxiliari, te tutari. Et præter me nullum toto orbe reperies, qui tibi auxilio eſſe vel poſſit, vel velit. *Vbi eſt Rex tuus? maximè nunc ſaluet te in omnibus Vrbibus ſuis, &c.* Vbinam eſt nunc Rex tuus, cum maximè illius auxilio indiges? Vrbes cuſtodiat, te eripiat à clade. Vbinam Iudices illi tui? quomodo ad ſuccurrendum tibi non accurrunt? Vana quidem eſt omnis ſpes auxilij aduerſus Aſſyrios etiam à Rege tuo, quem tamen tanta contentione tibi dari à Samuele poſtulaſti. 1. *Reg.* 8. 5.

Verſ. 11. 12. 13. Dabo tibi Regem in furore meo, &c. Etiam nunc vltimum Regem Oſee dabo non tam ex amore, quam ex ira mea depromptum; qui non ſit tibi auxilio, ſed exitio: & mox eum de medio auferam vna cum toto Regno ſuo, Sic exigentibus. Sic me cogentibus ſceleribus tuis. Si propter Iſraëlis ſcelera Deus ei Regem Oſee noxium præpoſuit, quare mox eum de medio tulit, & non eius vitam produxit, vt diutius Iſraëlis crimina contunderentur? * An quia plerumque poſt malum Principem alius peior exurgit?] * An quia, mortuo Rege licet noxio, gubernatoribus regi Imperium, grauius eſt ſubditorum incommodum?] *Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum eius.* Nunc iucundè degere Iſraël videtur, dum adhuc peccatum manet occultum & impunitum, ſicut fœtus, qui cum voluptate concipitur, nihilque affert, aut parum moleſtiæ, dum in vtero tegitur, & abſconditur. *Dolores parturientis venient ei, &c.* Quemadmodùm conceptionis voluptatem grauiſſimus ſequitur in puerperio dolor: ſic pro iucũditate modi difficilem miſer populus ac diuturnum dolorem ſubibit. Nec tamèn vel ſic reſipiſcet filius verè inſipiens, qui cum ſi vellet, poſſet ſtare, ſeu in priori ſtatu perſiſtere: mauult iam in terram proſterni, pedibus Aſſyriorum conculcari, & vna cum omibus filiis conteri.

Plerumque prauo Principe mortuo, alius nequior exurgit.

Graue incõmodum eſt Reipublicæ, per gubernatores regi.

Verſ. 14. 15. De manu mortis liberabo eos, &c. 2.
Nolo tamèn ſpem ſalutis omnino à meis antiquis clientibus adimere: de poteſtate mortis, ſeu inferni eos eripiam. Primo per Cyrum, qui captiuos, & morti, ac ſepulchro deuotos Iſraëlitas vnà cum Iudæis priſtinæ libertati quaſi vitæ nouæ reſtituet. Secundò ac potius per Chriſtum Cyri antitypum, qui merito paſſionis ac mortis ſuæ in reſurrectione tùm ſua, tum generali omnium hominum mortis & inferni deſtruet imperium. Tunc igitur, ô mors, tuo te pugione confodiam, quandò ipſe mortuus reſurrexero, pignuſque reſurrectionis aliorum certum oſtendero: & quando in fine ſæculorum, qui iam fuerint in tabem, puluerémque redacti, ad vitam excitauero. Sed redeo (Prophetę ſunt verba) ad interrupta, ad populi nempe plagam, à qua modicè decliuarat oratio. Iam video grauem eſſe plagam, ô Iſraël, quæ tibi iam iam imminet, vt nihil omninò aſpiciam, quo conſolari, aut leuare dolorem meum valeam. *Quia ipſe inter fratres diuidet, &c.* Hanc plagam ideo Iſraël excipiet, quia à Templo & & antiqua religione diſceſſit, ſeque ipſum à duabus, ſibique cognatis Tribubus diuiſit. * Diuiſio enim ſeu diſcordia inter fratres, quos charitatis vincula colligabat, nunquam non exitialis exiſtit.] Hanc igitur ob cauſam Deus immittet Aſſyriorum exercitum, qui decem Tribuum Iſrael populabitur, ac deformabit fines, omneſque opes, ac ornamenta diripiet, non aliter quam ventus calidus ac peſtilens, qui à deſerto perflat, fontes exhaurit, atque omnes aquarum exſiccat ſcatebras. * Illud recole: *Quia ipſe inter fratres diuidet.* Quiſnam hic aſſeritur Iſraelitas à Iudæis, decem Tribus à duobus diuiſurus? *Ipſe diabolus* Patres exponunt. Sicut enim Deus fratrum amat vnionem, ſic dæmon diuiſionem diligit. Nec enim oſtium vt ad nocendum communitati irrumpat, inuenit, niſi quando, rupto fraternæ charitatis muro, rima pateſcit.]

Liberationem per Chriſtum futuram aliquando promittit.

Diuiſio inter fratres exitialis eſt.

Diabolus diligit fratrum diuiſionem.

CAPVT

CAPVT XIV.

Samariæ duci idololatriæ totius Iſraëlis excidium prædicit. Omnes ad pœnitentiam hortatur, quibus felicitatem omnem per Chriſtum maximè, promittit.

1. PEREAT Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit
Deum ſuum: in gladio pereant, paruuli eorum elidantur, &
fœtæ eius diſcindantur. 2. Conuertere Iſraël ad Domi-
num Deum tuum: quoniam corruiſti in iniquitate tua.
3. Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum:
& dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum: & red-
demus vitulos labiorum noſtrorum. 4. Aſſur non ſalua-
bit nos, ſuper equum non aſcendemus, nec dicemus vltrà: Dij noſtri opera
manuum noſtrarum: quia eius, qui in te eſt, miſereberis pupilli. 5. Sanabo con-
tritiones eorum, diligam eos ſpontaneè: quia auerſus eſt furor meus ab eis. 6. Ero
quaſi ros, Iſraël germinabit ſicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani. 7. Ibunt
rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani. 8. Conuer-
tentur ſedentes in vmbra eius: viuent tritico, & germinabunt quaſi vinea: memo-
riale eius ſicut vinum Libani. 9. Ephraim quid mihi vltrà idola? ego exaudiam, &
dirigam eum ego vt abietem virentem: ex me fructus tuus inuentus eſt. 10. Quis
ſapiens, & intelliget iſta? intelligens, & ſciet hæc? quia rectæ viæ Domini, & iuſti am-
bulabunt in eis, præuaricatores verò corruent in eis.

COMMENTARII.

1. VERS. 1. *Pereat Samaria, &c.* LXX. *Peribit Samaria.* Prophetarum enim more optatiuum pro ſubiunctiuo ſumit. Samaria ſedes regia Regum Iſrael, quæ reliquis Vrbibus decem Tribuum dux fuit, & auctor idololatriæ: dux etiam erit in pœna: prima ab Aſſyriis obſidebitur, prima capietur, prima afficietur excidio. * Auctores enim criminum præproperè, & diriter à Domino puniuntur.] Abſynthium populum ad idola ducendo porrexit? Pereat igitur. Peribunt viri adulta iam ætate gladio, ad ſaxa paruuli allidentur, diſciſſo prægnantium vtero, tam ipſæ matres, quam immaturi fœtus in ipſarum viſceribus extinguentur.

Samaria, quæ dux fuit idololatriæ Iſraelis, excidium decernit.

Auctores criminis alicuius præpropere, ac diriter à Deo puniuntur.

2. *Verſ. 2. 3. Conuertere Iſraël ad Dominum Deum tuum. &c.* Si autem ô Iſraelitarum regia ſedes horribile ſupplicium experis declinare, abiice religionem impiam, totamque ad Deum verte. Hæc enim tibi infortunia impendent, quia à Domino, delinquendo, receſſiſti. *Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum, &c.* Reuertere ergo ad Dominum, & verba tecum aſſume vero digna pœnitente, & dic ad Dominum: Obſecro, Domine, ab omni me delictorum labe purifica, vt bonum tibi ſit, & gratum ſacrificium deinceps tuum immolare meditor ad obſequium, Reddam enim tibi pro beneficiis fructus labiorum meorum, gratiarum ſcilicet actiones, quæ tibi non erunt minus acceptabiles, quam immaculati vituli, qui tibi ritu legitimo ad aram immolantur. * Illud obſerua. *Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum.* Verba nempe deprecatoria. Præambula enim oratio maxime confert ad veram animi contritionem eliciendam.]

Ad pœnitentiam Iſraelem hortatur.

Ad veram pœnitentiam eliciendam valde confert præambula oratio.

Verſ. 4. Aſſur non ſaluabit nos, &c. Meliore ô Domine, iam mente deteſtor ſuperiora conſilia, quæ tibi diſplicuiſſe iam noſco. Quare fateor, neque ab Aſſyriis, neque ab alio quouis militari inſtructu poſſe ſalutem expectari. Profiteor deinde, in ſaxo, & ligno, quæ manus meæ in idola efformarunt, nihil eſſe Numinis: neque illa deinceps Deum, aut ſeruatorem meum ſalutabo. Tu enim verè Deus, & ſeruatores, qui populi tui iam quaſi pupilli ab omni auxilio deſtituti, ipſa cogente naturæ bonitate, miſereberis.

3. *Verſ. 5. 6. Sanabo contritiones eorum, &c.* Ad hanc pœnitentis animi vocem, ſic reſpondit Deus: Quidquid detrimenti ab hoſtibus paſſus eſt Iſraël, ego reficiam: & quos auerſos odio proſequebar, conuerſos iam à ſeipſis ego quoque à furore meo conuerſus *ſpontaneè* diligam, gratuitò ſcilicet, ſine ipſorum meritis de condigno, ex mera beneuolentia. Hebr. eſt, נדבה *nedaua*, id eſt, animo liberali, magnifico, regio. * Hinc veræ pœnitentiæ vim maximam animaduerte, quæ Deum tam auerſus potuit tam propitium temporis momento reddere.] *Ero quaſi ros, Iſrael germinabit ſicut lilium, &c.* Quemadmodùm cæleſtis imber largiter irrorans languida & emortua gramina recreat, eiſque nitorem, rediuiua radice, reſtituit: ſic ego ero quaſi ros Iſraeli, quo adeò pulchre germinabit, vt cum lilio poſſit de pulchritudine, ac odoris ſuauitate decertare: nec minus creſcet, quam illæ ſpecioſæ plantæ, quæ nutriuntur in Libano.

Pœnitentibus auguſta bona promittit.

Maxima pœnitentiæ vis ad Deum placandum.

Verſ 7.8. Ibunt rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani. Hæc radix firma quidem propagines ſuas latè quoquouerſus exporriget, eritque glorioſa quaſi oliua nouellis circumfuſa ramis, & ſicut arbores Libani, quæ thure ſtillant, odoratæ. Signatur, (vt ex Chaldæo didici) multiplicandos Iſraelis filios, & virtutibus, & animis, & opibus largiter à Deo eſſe donandos. * En amaræ radicis pœnitentiæ quam ſuauia, quam pulchra ſunt germina.] *Conuertentur ſedentes in vmbra eius, &c.* E captiuitate Iſraelitæ reuertentur in patriam, vbi felices degent ſub vmbra, ſeu tutela Eccleſiæ remigrantes è poteſtate diaboli in filiorum Dei libertatem. *Viuent*, & abundabunt *tritico*, ſeu annona tum corporali, tùm ſpirituali verbi Dei, & ſacramentorum, & præ omnibus Euchariſtiæ. * Quo ſacerrimo tritico verè viuent. *Quia qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*] Memoria autem, ſiue commemoratio Iſraëlis omnibus gratiſſima, accidet, ac ſuauiſſima, ſicut merum è monte Libani collectum, quod ex ſoli fœcunditate, & radiorum ſolis refractione nobiliſſimum iſtic etiamnum exoritur, auctore Brochardo, & aliis.

Amaræ radicis pœnitentiæ dulcia germina.

Sumens Euchariſtiam, verè tritico viuet.

Verſ.9.10. Ephraim quid mihi vltra idola, &c. O Iſraël, quid mihi vltrà iungis, & obiectas idola, res vanas, vmbraticas, & nihili? Ego ſum ſolus, qui exaudiam rogatus: Iſraëlem: ego qui eum ad optatam metam rectà deducam, & in altum eueham vt abietem, quæ ſemper viret. (hæc quidem in celſiſſimam altitudinem filo recto, ac penè ſine nodo aſcendit.) Nec ſolummodo ſola trunci altitudine, ac frondium amœnitate præcelles, vt abies: inſuper etiam ſuauiſſimus fructibus vt vitis, & oliua abundabis. *Quis Sapiens, & intelliget iſta, &c.* O vtinam aliquis ita ſit Sapiens, vt calleat hæc, quæ à me per Prophetam ſunt Iſraëli enunciata: & ita intelligens, vt ea non ignoret. Nempe viam Domini viam eſſe rectam, per quam iuſti inambulant, & conſequuntur vitam, & à qua ſi præuaricator aberrauerit, qui illam nouit, & contempſit, in exitium rapietur.



LIBER

LIBER SECVNDVS.

COMMENTARII LITERALES, ET Morales.

IOEL, AMOS.

PROLVSIO.

Ioel Deſcenſus Dei ſonat Hebræis. *Amos* autem *Populus auulſus* à Deo interpretatur. Si verò vnam & alteram nominum ſignificationem coniunctim recolo, non poſſum non ad Deiparam mentem adducere. Dei enim deſcenſum ad Virginis vterum contemplor, vt nos populus quidem à Deo auulſus ad Deum feliciter per Deiparam reuocemur. Dei ad Mariam Deſcenſus fuit noſter per eam aſcenſus ad Deū.

IOEL.

CAPVT PRIMVM.

Per varias Chaldæorum irruptiones Iudæam atterendam prædicit. Ad pœnitentiam populum adhortatur.

1. VERBVM Domini, quod factum eſt ad Ioel filium Pha-
tuel. 2. Audite hoc ſenes, & auribus percipite omnes ha-
bitatores terræ: ſi factum eſt iſtud in diebus veſtris, aut in
diebus patrum veſtrorum? 3. Super hoc filiis veſtris nar-
rate, & filij veſtri filiis ſuis, & filij eorum generationi alte-
ræ. 4. Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum lo-
cuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo.
5. Et expergiſcimini ebrij, & flete, & vlulate omnes qui bibitis vinum in dulce-
dine: quoniam periit ab ore veſtro. 6. Gens enim aſcendit ſuper terram meam,
fortis & innumerabilis: dentes eius vt dentes leonis: & molares eius vt catuli leo-
nis. 7. Poſuit vineam meam in deſertum, & ficum meam decorticauit: nudans
ſpoliauit eam, & proiecit: albi facti ſunt rami eius. 8. Plange quaſi virgo accin-
cta ſacco ſuper virum pubertatis ſuæ. 9. Periit ſacrificium & libatio de do-
mo Domini: luxerunt ſacerdotes miniſtri Domini. 10. Depopulata eſt regio,
luxit humus: quoniam deuaſtatum eſt triticum, confuſum eſt vinum, elanguit
oleum. 11. Confuſi ſunt agricolæ, vlulauerunt vinitores ſuper frumento, &
hordeo, quia periit meſſis agri. 12. Vinea confuſa eſt, & ficus elanguit: malo-
granatum

granatum, & palma, & malum, & omnia ligna agri aruerunt: quia confu-
ſum eſt gaudium à filiis hominum. 13. Accingite vos, & plangite ſacerdotes, vlu-
late miniſtri altaris: ingredimini, cubate in ſacco miniſtri Dei mei: quoniam in-
terijt de domo Dei veſtri ſacrificium & libatio. 14. Sanctificate ieiunium, vocate
cœtum, congregate ſenes, omnes habitatores terræ in domum Dei veſtri: & cla-
mate ad Dominum. 15. A a a, diei, quia propè eſt dies Domini, & quaſi vaſtitas à
potente veniet. 16. Num quid non coram oculis veſtris alimenta perierunt de
domo Dei noſtri, lætitia & exultatio? 17. Computruerunt iumenta in ſtercore
ſuo, demolita ſunt horrea, diſſipatæ ſunt apothecæ: quoniam confuſum eſt triti-
cum. 18. Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? Quia non eſt paſ-
cua [illegible]s: ſed & greges pecorum diſperierunt. 19. Ad te Domine clamabo: quia ignis
comedit ſpecioſa deſerti, & flamma ſuccendit omnia ligna regionis. 20. Sed & be-
ſtiæ agri, quaſi area ſitiens imbrem, ſuſpexerunt ad te: quoniam exſiccati ſunt fon-
tes aquarum, & ignis deuorauit ſpecioſa deſerti.

COMMENTARII.

I. *Iudæam per varias Chaldæorum irruptiones atterendam prædicit.*

VERS. 1.2.3. *Verbum Domini, quod factum eſt ad Ioel filium Phatuel.* Hoc eſt verbum, ſeu vaticinium, quod Ioel Phatuelis filius à Domino accepit. *Audite hoc ſenes.* O viri ætate graues, adeſte huc animis, & audite: aures ſimul arrigite quotquot terram à Deo promiſſam habitatis, & videte, n in veſtra, patrumque memoria ſimile aliquid aliquando contigerit? *Super hoc filiis veſtris narrate, &c.* Hac igitur de re filios veſtros monete, vt idem illi nepotibus, & tertiæ poſteà generationi nepotes impertiant. * Innuitur hic obligatio parentum inſtruendi filios de rebus ad legis cuſtodiam attinentibus cœleſtes exprimendo minas, quæ tranſgreſſoribus indicuntur.]

Tenentur parentes, filios inſtruere circa legis obſeruationem.

Verſ.4. Reſiduum erucæ comedit locuſta, &c. In fines veſtros ingruent Chaldæi, qui variis irruptionibus rem Iudaicam penitus diripient, quodque prius prædabundi reliquere, id poſtea totum ſecum abducent, non ſecus atque in agris haud rarò contingit. Nam quæ ærugo non tetigit locuſta deuorat: & ſi quid fuerit à locuſta reliquum, bruchus abſumit, ac demum illa, queis bruchus, ac aliæ agri peſtes pepercerunt, rubigo exurit. Porrò eruca, quæ leuiter fruteta arrodit, Pharao Nechao Rex Ægypti eſt, qui occiſo Ioſia Rege Iuda, filium eius Ioachaz captiuum abduxit in Ægyptum, & tributum Iudæis indixit. Locuſta *vſtulans*, ſeu exurens fuit Nabuchodonoſor Rex Babylonis, qui primo Regni ſui anno, & tertio Regni Ioakimi, Regem, & Regnum Iudæorum ſibi ſubiecit. Bruchus locuſtæ pullus, ſeu primus partus deſignat Chaldaicos exercitus, Syriacos, Moabiticos, & Ammoniticos, quos Nabuchodonoſor anno octauo Regni ſui, id eſt, anno vndecimo Ioakimi effudit in Iudæam, qui Ioakimum occiderunt, & filium eius Ioachin, ſeu Iechoniam Babylonem cum vaſis Templi, & præcipua Iudæorum nobilitate deuexere. Brucho denique ſuperuenit Rubigo (Hebr. *chaſil*, id eſt, *perditor* agrorum.) Qua deſignatur vltima Nabochodononoſoris aduerſus Iudæos expeditio anno vndecimo Sedeciæ, qua & Templum, & Vrbs regia exciſa, & populus vel occiſus, vel cum Rege ſuo fuit Babylonem auectus.

Verſ.5.6. Expergiſcimini ebrij, & flete, &c. O viri opulenti, qui ſolummodo indulgendo ventri nati eſſe videmini, grauem iſtum ſoporem excutite, qui à mente vos eripit. Flete quibus à vino familiaris eſt voluptas, ea enim vobis adeò anguſta tempora impendent, vt neque vobis ſummis etiam labiis merum libare liceat. * Plerumque enim deliciarum, ac diuitiarum redundantiam penuria ſequitur.] *Gens enim aſcendit ſuper terram meam fortis, & innumerabilis, &c.* Terram, quam à me accepiſtis, quam primum gens numero infinita, fortitudine præſtans inuadet: quæ dentes habet ad lacerandum acutos, & duros inſtar leonum. Leoninorum dentium ſymbolo hoſtilis exercitus crudelitatem exprimit.

Deliciarum, ac diuitiarũ redundantiã penuria ſequitur.

Verſ.7.8. Poſuit vineam meam in deſertum, &c. Hæc gens vti bruchus & locuſta noxia, & vti leo truculenta populum meum, quem non minus accuratè ac ſedulò, quàm vineam, quam ficum ante excolui: ita diſſipauit, vt in Sylnam redegerit vineam, & tabem ficui intulerit, detracto cortice, & omni tam ornamento, & tegumento ſpoliatam abiecit, & rami iam ſine virore, ac ſucco incanuerunt. En miſeræ Reipublicæ deſolationem. *Plange quaſi virgo accincta ſacco ſuper virum pubertatis ſuæ.* O Iuda, quam mox vineam vocitaui, ac ficum, plange nuptiali cultu abiecto, & aſperum indue tegumentum: qualem aſſumeret ſponſa viduata coniugé cui adhuc virgo, & in ætate puerili nupſit.

Verſ.9.10. Perijt ſacrificium, & libatio de domo Domini, &c. Iam inſtituendi à te planctus cauſas recenſeo. Prima eſt, quia Chaldæorum impietas omne ſacrificium, ac libamen à Templo remouebit. Vaſtaui enim olineta, vineas, & ſegetes: quare non erit, vnde ex more libamenta fiant. Pecudes, & armenta aut occidet, aut abſtrahet: neque erit, vnde ſumantur victimæ. Lugebunt Sacerdotes, quia neque ad ſacrificia facultas aderit, neque ipſis ſacrorum miniſteria ad domeſticos ſumptus neceſſaria ſubſidia ſuggerent. * Prima, ſeu præcipua planè eſt Regni calamitas, quando ob penuriam, quam nimia Regum tributorum cauſat exactio ſacri cultus decens aufertur ornatus.] Imò quando Sacerdotalis ſtatus meritò queritur, quod deſeruiens altari cogitur rei tributariæ ſeruire: vnde non habet, quomodò ex altario valeat victitare.] *Depopulata eſt regio, &c.* Alter fletus eſt cauſa: quod regio vaſtabitur,

Præcipua Regni calamitas eſt, quando ex nimia tributaria exactione cultus ſacer minuitur.

Et quando Sacerdotalis ſtatus luget, qui non habet annonam.

terræ

terræ facies fœdè admodum deformata erit, ſic aut cæli ſiti, aut ab hoſtili furore inclementer accepta, vt nullus ex illa frumenti, vini, aut olei poſſit prouentus ſperari.

Verſ. 11.12. *Confuſi ſunt agricolæ, &c.* Agricolæ autem animi ſui dolorem graui gemitu prodidere: cum rei vinariæ, ac frumentariè inutiliter moleſtiſſimam operam impendunt. *Vinea confuſa eſt, & ficus elanguit, &c.* Omne arborum genus, quæ gignuntur, in agris exaruit: atque adeo ab hominibus omnis eſt materies exultandi ſublata.

Verſ. 13.14. *Accingite vos, & plangite Sacerdotes, &c.* O Sacerdotes veſtem vobis cilicinam accingite. Ingredimini Templum, & ibi pro molli lectulo ſaccum, cineremque ſubſternite: quoniam nullum erit amplius in domo Domini ſacrificium, nulla libatio. *Sanctificate ieiunium*, Ieiunium ſanctum, quo Deus placari aſſolet decernite: ad Templum cœtus hominum, maximè eos, qui propter ætatem ac conſilium prudentia pollent, aduocate: omnibus denique promiſſæ terræ incolis hoc ipſum indicate: & cuncti eodem ſtudio, & quaſi vno ore ad Dominum clamores profundite. * Communitatis enim preces ad Deum placandum auolant fortiores.] * Et quidem ex ieiunio validiorem imbibunt efficaciam. Ideò præmiſit: *ſanctificate ieiunium.*] Illud expende: *Congregate ſenes, omnes habitatores terræ in domum Dei veſtri.* Certè vt omnes ciues ad ieiunij, precumque exercitationem adducantur, ſenes præcedunt. Eorum enim exemplo præeunte faciliùs reliqui alliciuntur pietatis ad opera.]

Communitatis preces validiores ad Deum placandam.

Oratio ex ieiunio validiorem trahit efficaciam.

Pietate ſenum præeunte, faciliùs reliqui ciues ad pietatis opera alliciuntur.

Verſ. 15. *Aaa, diei, quia propè eſt dies Domini, & quaſi vaſtitas à potente veniet.* Sic inquam clamate: *Aaa, diei.* LXX. *Heu mihi, heu mihi in diem*, quo ſcilicet Ieroſolyma, totaque Iudæa à Chaldæis vaſtabitur! Dies Domini inſtat: imminet tempus vindictæ cœleſtis per Chaldæos potentiſſimos exercendæ.

Verſ. 16.17. *Numquid non coram oculis veſtris alimenta perierunt de domo Dei noſtri, lætitia, & exultatio?* Eo quo modo ſpectantibus, à dolentibus vobis, alimenta tùm à pluuiæ defectu, tùm ab hoſte calcata, ac direpta omninò periere: vnde neque fuerunt victimæ quæ ritè in Templo litarentur, neque libationes, quæ ex terræ prouentibus ſolitæ offerri: atque ideò omnis eſt à domo Domini ſublata lætitia. * O tempora lacrymabilia planè, quando non iam à Chaldæis impiis, ſed à Chriſticolis pietatis prætexto alimenta à Templis, id eſt, ab Eccleſiæ miniſtris abſtrahuntur: vnde & Sacerdotes fame cruciantur, & minus decenter exornantur altaria!] *Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo, &c.* Non modò homines, ſed & iumenta hæc clades euertet. Hæc enim ob vicinum hoſtem paſcuis excluſa cogentur in ſtabulis computreſcere, deficiente non ſolùm gramine, ſed & fœno. Ab eodem hoſte ſciſſæ ſunt apothecæ, in quibus annona recondebatur. Hoſtili incurſione conculcatis meſſibus *confuſum eſt*, ſeu erubuit triticum, videns ſe non reſpondere agricolarum votis, & laboribus.

Infelix tempus, quando pietatis prætexto Eccleſiæ alimenta deficiunt.

Verſ. 18. *Quid ingemuit animal, &c.* Quid commeruere irrationalia animantia, vt tam grauia patiantur incommoda, Ingemuere enim mutæ beſtiæ, quæ labori, atque operi natæ ſunt ad hominum ſubſidium, valarunt ouium greges, mugierunt armenta, quia omnibus pabula periere. * Hæc quidem mala irrationali creaturæ hominum attulere piacula. Animantes enim cuncti hominis in familia annomerantur, & hero delinquente, ſæpe familia tota incommodis diuexatur.]

Sæpè ob heri peccata tota familia vexatur incómodis.

Verſ. 19.20. *Ad te Domine, clamabo, &c.* Ad te igitur ô Domine clamores dirigam, à quo vno ſperari poteſt, ac præſtari ſalus. Sic deficiente pluuia, campus exaruit: Sic quæ in deſerto ſpecioſa videbantur, emarcuere: Sic regionis totius arbores deformatæ obiiciuntur, ac ſi flamma omnia peruaſſet, atque abſumpſiſſet. *Sed & beſtiæ agri, quaſi area ſitiens imbrem, &c.* Beſtiæ agris aſſuetæ viridibus, nunc in ſtabulis vacuis fame, ac ſiti enectæ ſuſpiciunt ad te, ô Deus, & ſuo balatu, mugitu, rudìtu vociferantur, & opem tuam clamant, quemadmodùm ſicca imbrem inclamat area. Fontes enim præciſis venis, vel interruptis, & auerſis riuis exſiccati ipſi ſunt ab hoſte, & omnes ſpecioſæ villæ, horti, pomaria, arbores, ſegetes, & quidquid ruri erat pulchrum, igni abſumpta fuére. * Agnatus enim peccato effectus eſt omnium rerum deſolatio.]

Agnatus peccati effectus omnium rerum deſolatio.

CAPVT II.

Fatalis diei excidij Ieroſolymæ & ſub huius typo excidij vniuerſi, & extremi iudicij horrorem deſcribere pergit. Pœnitentibus Salutem per Cyrum, & multò magis per Chriſtum Dominum promittit.

1. CANITE tuba in Sion, vlulate in monte ſancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: Quia venit dies Domini, quia propè eſt.
2. dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis: quaſi manè expanſum ſuper montes populus multus & fortis: ſimilis ei non fuit à principio, & poſt eum non erit vſque in annos generationis & generationis.
3. Ante faciem eius ignis vorans, & poſt eum exurens flamma: quaſi hortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti, ne-

que eſt qui effugiat eum. 4. Quaſi aſpectus equorum, aſpectus eorum: & quaſi equites ſic current. 5. Sicut ſonitus quadrigarum ſuper capita montium exilient, ſicut ſonitus flammæ ignis deuorantis ſtipulam, velut populus fortis præparatus ad prælium. 6. A facie eius cruciabuntur populi: omnes vultus redigentur in ollam. 7. Sicut fortes current: quaſi viri bellatores aſcendent murum: viri in viis ſuis gradientur, & non declinabunt à ſemitis ſuis. 8. Vnuſquiſque fratrem ſuum non coarctabit, ſinguli in calle ſuo ambulabunt: ſed & per feneſtras cadent, & non demolientur. 9. Vrbem ingredientur, in muro current: domos conſcendent, per feneſtras intrabunt quaſi fur. 10. A facie eius contremuit terra, moti ſunt cæli: ſol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum. 11. Et Dominus dedit vocem ſuam ante faciem exercitus ſui: quia multa ſunt nimis caſtra eius, quia fortia & facientia verbum eius: magnus enim dies Domini, & terribilis valdè: & quis ſuſtinebit eum? 12. Nunc ergo dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. 13. Et ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & conuertimini ad Dominum Deum veſtrum: quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. 14. Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat, & relinquat poſt ſe benedictionem, ſacrificium & libamen Domino Deo veſtro? 15. Canite tuba in Sion, ſanctificate ieiunium, vocate cœtum, 16. congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes, congregate paruulos, & ſugentes vbera: egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo. 17 Inter veſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes miniſtri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hereditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. quare dicunt in populis: Vbi eſt Deus eorum? 18. Zelatus eſt Dominus terram ſuam, & pepercit populo ſuo: 19. Et reſpondit Dominus, & dixit populo ſuo: Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini eis: & non dabo vos vltrà opprobrium in Gentibus. 20. Et eum, qui ab Aquilone eſt, procul faciam à vobis: & expellam eum in terram inuiam & deſertam: & faciem contra mare Orientale, & extremum eius ad mare nouiſſimum: & aſcendet fœtor eius, & aſcendet putredo eius, quia ſuperbè egit. 21. Noli timere terra, exulta & lætare: quoniam magnificauit Dominus vt faceret. 22. Nolite timere animalia regionis: quia germinauerunt ſpecioſa deſerti, quia lignum attulit fructum ſuum, ficus & vinea dederunt virtutem ſuam. 23. Et filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo veſtro: quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ, & deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum & ſerotinum, ſicut in principio. 24. Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo. 25. Et reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca: fortitudo mea magna, quam miſi in vos. 26. Et comedetis veſcentes, & ſaturabimini: & laudabitis nomen Domini Dei veſtri, qui fecit mirabilia vobiſcum: & non confundetur populus meus in ſempiternum. 27. Et ſcitis quia in medio Iſraël ego ſum: & ego Dominus Deus veſter, & non eſt amplius: & non confundetur populus meus in æternum: 28. Et erit poſt hæc: Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem: & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ. ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt. 29. Sed & ſuper ſeruos, & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum. 30. Et dabo prodigia in cælo, & in terra, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi. 31. Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem: antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. 32. Et erit: omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit: quia in monte Sion, & in Ieruſalem erit ſaluatio, ſicut dixit Dominus, & in reſiduis, quos Dominus vocauerit.

COMMENTARII.

1\. *Ieroſolymæ excidium pergit deſcribere, & ſub eius typo extremi iudicij horrorem.*

VERS. 1.2. *Canite tuba in Sion, &c.* Claſſicum canite triſte & horriſonum, quale aſſolet cani hoſte appropinquante: ideo omnes Iudææ habitatores tremore concutiantur. Ecce enim duce Nabuchodonoſore exercitus innumerabilis fortitudine excellens in Iudæam infunditur, ſicut auroræ prima lux ſuper montes expanditur. Tanta militum copia nunquam Iudæam inuaſit, nec quidem inuadet ad vnam, alteramque, imò ad plures generationes, & ſæcula. Puta vſque ad Romanos, qui eius Iudæos diuexabunt.

Verſ. 3.4.5.6. Ante faciem eius ignis vorans, &c.

&c. Ignis Chaldæorum inſigne, præcedet exercitum: & ſubſequetur furoris militum horribilis flamma, quæ totam Iudæam, ſegetibus, arboribus, ædibus, arcibus, Vrbibus, ciuibus nudatam redigat in ſolitudinem: quæ quidem anteà erat perpulcher voluptatis hortus. *Quaſi aſpectus equorum, aſpectus eorum, &c.* In quolibet hoſtium Chaldæorum videre te exiſtimabis ſpeciem aliquam & ſpirantem imaginem equi ad curſum velocis, & ad pugnandum impauidi: qui ea erunt in currendo pernicitate, vt pedites curſum equorum poſſint adæquare. *Sicut ſonitus quadrigarum ſuper capita montium exilient, &c.* Eo quidem impetu, ac ſtrepitu ad ſumma montis Sion aſcendet exercitus, quo quadrigæ cum magna equorum incitatione rapiuntur: eo ſtridore, quo ignis, qui vbi ſyluas aut ſtipulas apprehendit, ſurſum vſque ad montium faſtigia progreditur. Ita denique ſe geret Chaldæorum exercitus, Sicut decet populum, qui ſtrenuus eſt, & acer, & qui optimè ad præliandum inſtructus, ad vim, & ſanguinem aſpirat. *Ad faciem eius cruciabuntur populi: omnes vultus redigentur in ollam.* Dum verò igne, & ferro hoſtiliter graſſatur, ſiue dum horribili ſpecie, conſternatione, ac metu ſpectantes exanimat, afferret populis dolendi cauſam. Ex quo illum contrahent colorem, quo nigreſcit olla ex familiari fumo, aut ex igne ſuppoſito. Sic Iſa. 13. 8. *Facies combuſtæ vultus eorum.* Timor enim ſanguinem vndique retrahit ad cor tutandum: vndè extremæ corporis partes velut exangues, & exanimes primo palleſcunt: mox metu ingraueſcente, nigreſcunt, & inſtantis mortis lurido veſtiuntur; vt videre eſt in iis, qui ſuffocantur, vel ſtrangulantur.

Verſ. 7. 8. Sicut fortes current: quaſi viri bellatores aſcendent murum, &c. Scandent Vrbium muros Chaldæi velocitate ſumma, vt fortes decet milites: Sed tamen ſeruatis perpetuo ordinibus, vt moris eſt in acie rectè inſtructa. Viri enim ſinguli gradientur in viis ſibi ab archiſtratego deſignatis. * Nec enim victoriæ cedunt fortitudini ſimpliciter: ſed fortitudini præſcriptis Ducum obſequenti.] *Vnuſquiſque fratrem ſuum non coarctabit, &c.* Haud ſe milites inuicem in acie compriment, nec ordines turbabunt. Tantaque erit eorum agilitas, vt etiamſi è feneſtra in ſubiectum ſolum dilabantur, noxam non accipiant.

Fortitudini cedit victoria, cum præſcriptis Ducum obſequitur.

Verſ. 9. 10. 11. Vrbem ingredientur, &c. Nullum illos impedimentum morabitur quominus ingrediantur Vrbes, muros ſuperent, in illiſque audacter decurrant, & ſicut latrones in domibus opes ad rapinas, ſic illi viros ad exorbendum eorum ſanguinem exquirent. *A facie eius contremuit terra, &c.* Ab eorum conſpectu ea erit in Iudæorum animis perturbatio, ea caligo mentis, vt nihil putent eſſe tutum, & omnia nutare, ac tremere, & clariſſima cœli luminaria ſplendorem ſuum aut ſubtraxiſſe, aut amiſiſſe videantur. Sunt, qui hæc non hyperbolicè, ſed propriè accipiunt, voluntque Deum horrendis procellis, terræ motibus, fulguribus ante exercitum ſuum, ſiue appropinquantibus Chaldæis Iudæorum animos perculiſſe. * Verius alij allegoricè, hæc referunt ad iudicij extremi tempus, cuius hoc Iudææ excidium typum egit. Expende verſiculum, & viuam illius *R. P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. to. VII. p. I.* temporis, occaſus ſcilicet vniuerſi, & horribilis iudicij aſpicies imaginem.]

Extremi iudicij horribilitas.

Verſ. 12. 13. Nunc ergo dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto corde veſtro, &c. Vt tam horribilia mala vitare poſſitis fletu, planctu, ieiunio cordis dolorem indicate. *Et ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, &c.* Nec ſatis eſſe exiſtimetis ad veram, ſeriamque pœnitentiam veſtimenta lacerare: neceſſum eſt, vt lacerato corde, peccator à ſeipſo mutetur, ſpiritus deponat priſtinos, ac nouos aſſumat. Hoc igitur modo vos ad Dominum verè conuertite. Neque eſt, quod malitiæ conſideratio vos in deſperationem adducat: plurima enim diuinæ pietatis documenta indicabo. Primum, *miſericors* eſt, Hebraicè, *Commiſerans* ex intimis viſceribus. Secundum, *patiens*, longanimis, tardus ad vindictam. Tertium, *multa miſericordia*, Hebraicè, *multus pietate*, ac bonitate. Quartò, *præſtabilis*, id eſt, præſtans, excellens, eminens ſuper malitia. Quaſi dicat: Maior, potentior, fortior eſt omni ira, & cupidine vindictæ; nec ſinit ſe ab ea regi, aut vinci: ſed ipſe vt Dominus eam vincit, frænat, & regit. * In Hebræo loco illius particulæ, *Præſtabilis ſuper malitia* eſt, *Pœnitens ſuper malum*, id eſt, ſuper afflictione, & punitione, quam peccatoribus eſt comminatus. Vnde ſeria peccatoris pœnitentia facit Deum pœnitere quodammodò de ſupplicio, quod impœnitenti inferre decreuerat.]

2. *Ad pœnitentiam Iudæos hortatur, eis per Christum ſalutem promittens.*

Pœnitentia noſtra de peccato, facit Deum quaſi pœnitere de ſupplicio inferendo.

Verſ. 14. 15. 16. Quis ſcit, ſi conuertatur, &c. Fieri etenim poteſt, (nec quiſquam aliud contra valeat aſſerere) vt ſi verè conuertamur ad Deum, ipſe qui à peccantibus ſe auerſum oſtendit, ad nos pœnitentes conuertatur: & quos ſpoliare ſtatuit ornamentis, & opibus, eoſdem ornet, relinquatque liberali manu benedictionem, ſeu rerum omnium abundantiam, ex quibus fiant ſacrificia conſueta, & in Dei cultum quotidiana libatio. * Cur ſolius ſacrificij, ac libaminis memoriam fecit, nec addidit, etiam homines neceſſariis ad victum fore donandos? Crediderim, quia vnicum illud hominum, circa Dei cultum, ſtudium, eum quaſi obligat, vt eis neceſſaria ad temporales vſus profluenter impendat, iuxta illud: *Quærite primum Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.*] *Canite tuba in Sion, &c.* Tubarum itaque clangore ex Sion hominum cœtus, eiſque edicite, vt ieiunium ſanctum, legitimumque conſtituant. *Congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, &c.* Segregate, & indicite ſanctos conuentus populi iam pœnitentis, & ſanctificati, conuocentur ad Deum placandum omnes nullo excepto. Adſint paruuli, vt vagitu ad miſericordiam Deum prouocent, vti factum eſt *Iudith 4. 9.* Nec deeſſe permittite ſponſos.* Quia etiam licitis voluptatibus pœnitentiæ tempore nuncium eſt remittendum.]

Dum homo de cultu Dei vnicè curat, Deus de temporali ipſius abundantia largienda, ſatagit.

Vel à licitis abſtine voluptatibus pœnitentiæ tempore.

Verſ. 17. 18. 19. Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini, &c. Inter veſtibulum, ſiuè porticum ſitam ad eam partem Templi, quæ *ſanctum* dicitur, & altare holocauſtorum, quod aderat in Sacerdotum atrio ante ipſum Templum, Sacerdotes Dei miniſtri lacrymas ac gemitus profundent, clamantes: Parce ô Domine, parce populo, quem tuum ſpeciali modo eſſe voluiſti: neque permittas hæreditatem tuam, id eſt, populum, de

quo Deut. 32.9. dixiſti. *Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius*, ab alienis, barbariſque nationibus occupari. Quod quod quidem non ſolum nobis, qui à noſtra pellimur poſſeſſione, ſed etiam tibi opprobrio dabitur ab inſultantibus Gentibus: qui impio occment ore, fidelitatem in te, aut potentiam requiri: cum ſeruare aut nolis, aut non poſſis gentem illam, quam in tuam fidem, atque tutelam recepiſti. *Zelatus eſt Dominus terram ſuam, &c.* Zelo rurſus affectus Dominus & indignatus quod tàm dure populus ab hoſtibus premeretur: & parcet ei, cum ſcilicet Cyrum inflectet, vt eum à Babylone in Iudæam liberum dimittat. Ploranti autem ſacrorum miniſtrorum Senatui per me Ioëlem reſpondit. Frumentum, reliquaque vitæ ſubſidia, quæ per erucam, locuſtam, bruchum, & rubiginem abſtuli (*cap.* 1.4.) vobis iam placatus reſtituam.) Hoc factum eſſe putarim, poſtquam reuerſi fuere ex captiuitate Babylonica; tunc enim populus fertiliate ditatus fuit, & bonis auctus.) Nec patiar vos Gentibus amplius eſſe ludibrio.

Verſ. 20.21. *Et eum, qui ab Aquilone eſt, procul faciam à vobis, &c.* Præterea Nabuchodonoſorem, qui ſuas in veſtros fines copias parat, à vobis auertam, abigamque in terram minus hominum veſtigio frequentem, in mare Orientale, ſeu Galileæ aut Tyberiadis, & ad mare Mediterraneum, quod Iudæis extremum, vel Occidentale eſt. Sic tamen late numeroſas illas copias concidam, vt putredo, ac fœtor, quem ſtrata cadauera exhalabunt, totam regionem, vbi iacebunt inſepulta, fœdè contaminent, quod idoneum erit arrogantis animi ſupplicium.

Superbia humiliatione plectitur.

* Et quandò non ſuperbia humiliatione plectitur?] * Iam vides populi Dei hoſtes diro ſupplicio affectus, vt ediſcas. Deum quidem ſæpe permittere ſuos flagellari, ſed tandē percutientem virgam fractam igni committi.] *Noli timere terra, &c.* O terra, quam graues à Domino terrores exagitant, metum depone, animoque iam meliore exulta; aderit enim aliquando aureum verè ſæculum, quandò Deus magnificum ſe & liberalem ſuum in populum oſtendet.

Permittit Deus ſuos flagellari, ſed tandem flagellam igni tradit.

* *Vt faceret*, ait, nec quid facturus ſit, exponit. Alludit namque ad Meſſiæ aduentum, quod quidem Dei opus omnino eſt ineffabile.

Opus redēptionis eſt omninò ineffabile.

Verſ. 22.23. *Nolite timere animalia regionis, &c.* Si verè ô populi conuertamini ad Deum, nihil vobis, quod timetis eueniet. Non enim experiemini, quod antè fueram comminatus, ſcilicet omne animal præ fame periturum, & à ſiti terram prorſus exſiccandam. Germinabit namque deſertum, à quo greges opportunum ſuæ naturæ pabulum habebunt: nec hominibus à terræ frugibus commodum deficiet alimentum. Arbores enim abundabunt fructibus, ficus, & vineæ quidquid à ſua natura virtutis retinent, terræ ac imbrium cœleſtium ope ad vſum hominum abundè parturient. *Et filij Sion exultate, &c.* Specialiſſimam ô Iudæi, exultandi in Domino cauſam habetis, quia fixo ſuo decreto dedit iam, dabitq; re ipſa ſuo tempore Doctorem iuſtitiæ, nempe Meſſiam toties per Prophetas nobis promiſſum: qui non verba modo ore proferet, ſed qui interna cordium illuminatione nos deducet ad veram ſanctitatem. Ipſe quidem non ſolùm vti cauſa prima deſcendere faciet matutinum imbrem, qui ſemina recens terræ mandata humectet, & faciat in autumno germinare: & ſerotinum, qui tempore verno ſegetes incraſſet: ſed vt Meſſias ad id à Patre immiſſus copiam frugum ſpiritualium hominibus impertiet. Scio hic alludi ad Zachariam, Aggæum, Malachiam, alioſque Prophetas, qui poſt captiuitatis Babylonicæ ſolutionem Iudæi dati fuere doctores. Primariò autem de antitypo omnium Doctorum Chriſto Domino agi communis eſt Patrum ſententia. * Et quidem tàm illuſtris, tàm præclarus hic titulus eſt *Doctor iuſtitiæ* & ſanctitatis, vt per antonomaſiam Chriſto Deo & homini debeatur.] * Vt ediſcant Concionatores, qui ſolummodò ſtudent animarum ſpirituali profectui, Chriſti ſe oſtendere æmulatores.]

Titulus hic: *Doctor iuſtitiæ* propriè Chriſto Domino congruit.

Chriſtū imitatur Cōcionator, qui ſolū curat docere iuſtitiā auditores.

Verſ. 24.25.26.27. *Et implebuntur areæ frumento, &c.* Areæ frugum aceruis implebuntur vino, & oleo torcularia exundabunt. Sed multo magis Eccleſiæ nouæ ſinus cæleſtium bonorum, maximè frumenti, ac vini Euchariſtici largitas implebit. * In Euchariſtia enim fideles omnium bonorum fruimur redundantia.] *Et reddam vobis annos, &c.* Reddam vobis fructus præteritorū annorum, quos eruca, locuſta, & aliæ agrorum peſtes abſumpſére, ſequentibus annis pluſquam duplices meſſes ac fructus offerentibus. * Hinc colligo, merita, ac virtutes ante per peccatum lethale deperditas per pœnitentiam reuiuiſcere, non ſolùm in altera vita, (vt nonnulli volunt) ſed & in præſenti, & quidem primo pœnitentiæ inſtanti, nec tantum per actus pœnitentiæ prioribus virtutum actibus intenſiores (vti aliqui cenſent) ſed per actus eiuſdem remiſſiores. Lege Suarium *opſc.* 5. *d.* 2. *ſect.* 3.] Reſtituam, inquam, vobis, quæ abſtulere bruchus, locuſta, rubigo, & eruca, quæ meæ fuerunt fortitudinis inſtrumenta, ad veſtræ ſupplicium iniquitatis. *Et comedetis veſcentes, & ſaturabimini, &c.* Tunc ad ſatietatem vſque oblatis ante cibis veſci licebit: & de more Deum pro tanta bonorum largitate laudabitis, qui vos, ad miraculum vſque tam munifica complexus eſt manu. Neque deinceps populus inopiam, aut aliam ignominiam patietur. * Illa ſine pondere non labantur: *ſaturabimini, & laudabitis nomen Domini.* Laus enim Dei, ſeu actio gratiarum debet eſſe conſequens refectione. Vndè taxantur qui pecudum inſtar, ſatiantur, & ingrati perſiſtunt, haud memores, refectionem illam à Dei manu accepiſſe.] *Et ſcietis, quia in medio Iſrael ego ſum, &c.* Ex tanta rerum affluentia apertè dignoſcetis, me ad antiquum erga vos animum rediiſſe, & in medio veſtri conſiſtere. * Nam cum Deus ad pœnitentis animum redit copia bonorum ſtipatus aduentat.] Credite, quod idola, quibus aliquid ineſſe diuinum exiſtimabatis, vana eſſe figmenta, neque vllum eſſe Deum præter me. Vndè eueniet, vt nulla æternùm ignominia afficiamini.

In Euchariſtia omnium cæleſtiū bonorum redūdantia fruimur.

Merita per pœnitentiam reuiuiſcunt.

Gratiarum actio poſt refectionem debetur Deo largitori.

Deus ad pœnitentis animum redit bonis ſtipatus.

Verſ. 28. 29. 30. *Et erit poſt hæc: Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, &c.* Poſt Chriſti Doctoris aduentum prædicationem, mortem, reſurrectionem, aſcenſum, effundam magna copia Spiritum meum ſanctum primò viſibiliter in Pentecoſte, deinde inuiſibiliter *ſuper omnes homines* (ſic Arabicus) per Baptiſmum Chriſto incorporatos. Diuino autem hoc Spiritu afflati vigore prophetico è veſtro

ſemine

ſemine ſexum vtrumque implebitur. Prophetabunt enim filij veſtri, ac filiæ: neque tantum ſenes ætate graues, ſed etiam iuuenes per viſiones, ac ſomnia occultarum rerum à Domino illuſtrationes, & intelligentiam accipient. *Sed & ſuper ſeruos meos, &c.* Neque hoc beneficium proprium erit Iudæorum, ſed communi etiam cum populo Gentilium. Spiritum enim meum illis impertiar quocumque fuerint genere prognati, aut quocumque ſexu, aut fortuna notati, qui fidelem mihi ſeruitutem litauerint. A Deo enim nobilitas ſanguinis ſine pietate deſpicitur, virtus verò vel in vili homuncione magni æſtimatur.] *Et dabo prodigia in cælo, &c.* Pro ſeruis Chriſti ea, quæ retuli præſtabo, pro hoſtibus verò ipſius, id eſt, pro incredulis & impiis, dabo prodigia, ac protenta in aëre, & in terra ad illos terrendos, & à criminibus ablegandos. Cœperunt hæc in paſſione Chriſti; creuerunt in excidio Ieroſolymitano per Titum: ſed perfectè complebuntur ſub mundi finem, ante extremum iudicium, & excidium vniuerſi. Porrò hîc per *ſanguinem* horrendas cædes hominum intelligo; per *ignem* fulgura, cometas, prunaſque ignitas, quas cælum depluet, quo terrena omnia conflagrabunt, & in vaporem, ac fumum euaneſcent.

Apud Deum ſola æſtimatur virtus.

Verſ. 31. 32. Sol conuertetur in tenebras, &c. Quia ante diem extremum horribilem planè impiis iudicandis *erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis, &c.* Tunc ſaluabitur omnis, & ſolus, qui Deum coluerit, eique fideliter ſeruierit, in ſpirituali monte Sion, id eſt, in Eccleſia Chriſti, ſicut alibi dicit Dominus (*Iſai. 2. 2.*) Tunc etiam *in reſiduis* erit Saluatio, id eſt, in reliquiis Iudæorum poſt Antichriſti extinctionem à Deo vocandis, & ad Chriſtum conuertendis: quod & Apoſtolus ad *Rom. 11. 26.* edocet.

CAPVT III.

Extremum iudicium, reproborum pænam, electorium præmium deſcribit.

1\. QVIA ecce in diebus illis, & in tempore illo, cùm conuertero captiuitatem Iuda & Ieruſalem: 2. Congregabo omnes
Gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat: & diſceptabo
cum eis ibi ſuper populo meo, & hereditate mea Iſraël, quos
diſperſerunt in nationibus, & terram meam diuiſerunt. 3. Et
ſuper populum meum miſerunt ſortem: & poſuerunt puerum in proſtibulo, & puellam vendiderunt pro vino vt biberent. 4. Verùm quid mihi & vobis Tyrus & Sidon, & omnis terminus Palæſti-
norum? nunquid vltionem vos reddetis mihi? & ſi vlciſcimini vos contra me, citò
velociter reddam viciſſitudinem vobis ſuper caput veſtrum. 5. Argentum enim
meum & aurum tuliſtis; & deſiderabilia mea & pulcherrima intuliſtis in delubra
veſtra. 6. Et filios Iuda, & filios Ieruſalem vendidiſtis filiis Græcorum; vt longè
faceretis eos de finibus ſuis. 7. Ecce ego ſuſcitabo eos de loco, in quo vendidiſtis
eos: & conuertam retributionem veſtram in caput veſtrum. 8. Et vendam filios,
veſtros, & filias veſtras in manibus filiorum Iuda, & venundabunt eos Sabæis genti
longinquæ, quia Dominus locutus eſt. 9. Clamate hóc in gentibus, ſanctificate
bellum; ſuſcitate robuſtos: accedant, aſcendant omnes viri bellatores. 10. Concidite aratra veſtra in gladios, & ligones veſtros in lanceas. Infirmus dicat: Quia
fortis ego ſum. 11. Erumpite, & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini: ibi occumbere faciet Dominus robuſtos tuos. 12. Conſurgant, & aſcendant Gentes in vallem Ioſaphat: quia ibi ſedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu. 13. Mittite falces, quoniam maturauit meſſis: venite, & deſcendite, quia
plenum eſt torcular, exuberant torcularia: quia multiplicata eſt malitia eorum.
14. Populi populi in valle conciſionis: quia iuxtà eſt dies Domini in valle conciſionis. 15. Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem
ſuum. 16. Et Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam: &
mouebuntur cæli, & terra: & Dominus ſpes populi ſui, & fortitudo filiorum Iſraël.
17. Et ſcietis quia ego Dominus Deus veſter, habitans in Sion monte ſancto
meo: & erit Ieruſalem ſancta, & alieni non tranſibunt per eam amplius. 18. Et
erit in die illa: ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte: & per omnes
riuos Iuda ibunt aquæ: & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem
ſpinarum 19. Ægyptus in deſolationem erit, & Idumæa in deſertum perditionis:
pro eo quòd iniquè egerint in filios Iuda, & effuderint ſanguinem innocentem in
terra ſua. 20. Et Iudæa in æternum habitabitur, & Ieruſalem in generationem &
generationem. 21. Et mundabo ſanguinem eorum, quem non mundaueram: &
Dominus commorabitur in Sion.

COMMENTARII.

1\. *Extremum deſcribit iudicium.*

VERS. 1. 2. *Quia ecce in diebus illis, & in tempore illo, &c.* Nouiſſimis mundi tẽporibus: cum captiuitatem Iuda non Babylonicam, ſed Babylonica adumbratam longéque crudeliorem ſub iugo peccati, & diaboli, cæſo iam Antichriſto eius putatiuo Iudæorum Meſſia, conuertero ad fidem, & cultum Chriſti paucis poſt annis ad extremum iudicium inſtituendum: congregabo vndique omnes homines quotquot toto orbe vſque ad illud tempus fuerint: & ad vallem Ioſaphat, vallem nempe latam, longam, profundam, quæ eſt inter Ieroſolymam, ac montem Oliueti, quam torrens Cedron perluit. Vbi hortus erat Gethſemani, in quo Chriſtus Dominus orauit, & à Iuda fuit proditus. Vbi Virgo Deipara fuit ſepulta, & Topheth, ſiue gehenna inerat, in qua infantes idolo Moloch cremabantur. [a] Quàm appoſitè Mariæ ſepulchrum iuxtà gehennam illam collocatum inuiſitur; Vt ſcilicet moneamur iudicandi, Deiparæ interceſſione tartareæ gehennæ flammam extingui? Si tamen ad eius protectionem ante illum diem horribilem accedamus.] Vallis hæc Vrbi Ieroſolymitanæ propinqua coniacet, ſuprà cuius verticem Chriſtus Iudex tribunal regium figet, è quo diſceptabit, ſeu iudicio contendet cum omnibus gentibus in ſubiecta valle Ioſaphat, viciniſque circum regionibus in vnum collectis. Haud video in toto orbe, commodiorem locum poſſe deſignari, quam illum, in quo Iudex per paſſionem & mortem ſuam totius orbis ſalutem fuit operatus. Vt vbi ipſe ab impiis iudicatus, & damnatus, fuit ſumma ignominia affectus, ſummo honore ab omnibus excipiatur. * Et vt conſtet, quàm merita ſit impiis damnationis ſententia in conſpectu tantæ Domini patientis, ac morientis pro ipſis miſericordiæ.] Scio, quod nomen Ioſaphat Hebraicè idem eſt ac *Domini iudicium.* Vt Dei miſerationem animaduertas, qui ab ipſa vallis conſtitutione horribili Dei iudicaturi vocabulo impios à peccandi libidine deterreat.] Vel ſolum enim nomen iudicij Dei deberet nobis frænum iniicere, nè ad illicita progrederemur.]

Deiparæ interceſſione ignis gehennæ extinguitur, ſi ad eam ante iudicium accurramus.

Quàm merita damnatio his, qui poſt Deum patiẽtem delinquere audent!

Vel nomen iudicij futuri nos debet à delinquendo abſtrahere.

Verſ. 3. Et ſuper populum meum miſerunt ſortem, &c. Sortitò diſperſerunt inter ſe populum meum & eius bona. Alludit ad ſortem, quam miſit Aman ſuper Iudæos, ad eligendum menſem, & diem, qui illi eſſent trucidandi, *Eſt. 3. 7.* Proſtituere in proſtibulo puerum, vt quæſtum facerent. Demum puellam vendidere aliis, à quibus pro commutatione libidinis vinum accepere, vt gulæ indulgere poſſent. Recenſet triplicem ſcelerum claſſem, ſub quibus alia peccata intellige, de quibus impij in iudicio ſunt arguendi. Prima eſt auaritia, & iniuſtitia. Secunda eſt luxuria. Tertia vero gula. * Eligit autem ſpeciatim has ſcelerum nominatim ſpecies, vt innuat vitium auaritiæ, luxuriæ, & gulæ magis eſſe damnationi obnoxium.] Porrò non ſolum in genere omnes ſimul impios Iudex coarguet, ſed etiam in ſpecie, & ſigillatim compellabit ſingulas gẽtes, ſingula Regna, ſingulas Vrbes, ſingulas, familias, ſingula capita. Pro exemplo autem ſubiicit Tyrios, Sidonios, & Philiſthæos vicinitate, & ſceleribus, apud Iudæos, notiſſimos.

Vitia auaritiæ, luxuriæ, & gulæ magis tartaro obnoxia.

Verſ. 4. 5. 6. Verum quid mihi, & vobis Tyrus & Sidon, &c. Vos ô Tyrij, & Sidonij, quique terminos Palæſtinos habitatis, quid cum populo meo, imò quid mecum longo ac pertinaci odio contenditis? An vt in populo meo inſultetis mihi? quæ iſthæc audacia, atque impudentia eſt? Quod ſi id vobis ſtudio eſt, abire impunitum non patiar, ſed veſanum hoc conſilium in caput veſtrum ſine vlla cunctatione conuertam. *Argentum enim meum, & aurum tuliſtis, &c.* Tuliſtis aurum & argentum meum, quæ ad altare ſeruiebant. Et quidquid pretioſum erat & optabile in Templo meo, ad inanium deorum impia delubra, vſusque execrandos inuexiſtis. *Et filios Iuda, & filios Ieruſalem vendidiſtis filiis Græcorum, vt longè faceretis eos de finibus ſuis.* Iudæos Solymitanos ciues Gentilibus populis pretio vendidiſtis: in longiſſimis nempè finibus, ne qua redeundi in patriam ſpe leuarentur. * Si difficilis remeandi ad patriam ſpes meritò cauſes illos tam dirè vulneraret: quàm crudele erit damnatis vulnus, ſcire, nunquam ad cæleſtem patriam inſtituendam eis fore reuerſionem!]

Dira erit dãnatis tortura, priuari ſpe. vnquam ad patriam cœleſtem remeandi.

Verſ. 7. 8. Ecce ego ſuſcitabo eos de loco, in quo vendidiſtis eos: & conuertam retributionem veſtram in caput veſtrum. In alienos fines, & plane quaſi mortuos alienæ voluntati ſeruos alligaſtis illos: ſed ego è ſeruili ſtatu, quaſi è pulnere & tumulis eos excitabo: quodque in illos iniq; cogitaſtis, id ego viciſſim in caput veſtrum ex aduerſo conuertam. * Quodcomque enim aduerſus proximos impiorum ſtudium, quælibet actio iniuſta quaſi exemplar Deo obiicit, vt ſimilia delicto ſupplicia decernat.] *Et vendam filios veſtros, & filias veſtras in manibus filiorum Iuda: & venundabunt eos Sabæis genti longinquæ: quia Dominus locutus eſt.* Vt enim vos Iudæorum, Solymitanorumque filios, ac filias Græcis pretio in ſeruitutem addixiſtis: Sic ego per Iudæos filios ac filias veſtras, vendam Sabæis longè diſſitis. Neque hiſce verbis pondus aberit, quia Dominus eſt locutus.

Peccator Deo exemplar obiicit in delicto, vt ſimile ei ſupplicium decernat.

Verſ. 9. 10. 11. Clamate hoc in Gentibus, ſanctificate bellum, ſuſcitate robuſtos: accedant, aſcendant, omnes viri bellatores. O igitur Gentes ſanctorum populo infenſæ, ad iudicium vos tanquam ad certamen præparatæ. Quare omnem militarem apparatum inſtruite, adiectis militibus bellum legitimo, & religioſo more militari ſacramento ſanctificate. Eos euocate, qui ſtrenui ſunt, robuſti deſcendant ad certamina, illi, inquam; qui de militari laude gloriantur. *Concidite aratra veſtra in gladios, & ligones veſtros in lanceas. Infirmus dicat: Quia fortis ego ſum.* Quod in ſummo periculo repentè irruente hoſte, & armis deficientibus, extremum ſolet adhiberi ſubſidium, inſtrumenta ruralia ad bellicos vſus ſedulo conuertite: gladium ex vomere, & lanceam ex ligone conflate. Neque infirmus putet eximi ſe poſſe ab hac præliandi neceſſitate: ſed potius audaciam ſimulet, & ineſſe ſibi ad dimicandum vires, inclamet. * Si hìc extremi diei inſtantia innuitur, & iudicium certaminis ſymbolo ſignatur: agricolis præualendi in hoc bello ſpes offertur, dum vomerem & ligonem in bellica inſtrumenta conuertere monentur. Af-

In die iudicij agricolis afflictis hìc æterna victoria promittitur.

flictis

flictis enim in hoc ſæculo in die iudicij victoria promittitur.) *Erumpite, & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini: ibi occumbere faciet Dominus robuſtos tuos.* Venite ergo, & congregamini ex omni loco, qui iudicij vallem latè circumſtat: (eſt vallis Ioſaphat in terræ meditullio) ibi enim ſternet, atque conficiet Dominus eos etiam, qui fuerint in acie robuſtiſſimi, vbi quodammodò *vix iuſtus ſecurus* adſtabit.

Diei iudicij horror.

* Hinc diei illius horrorem contemplari licet.]

Verſ. 12. 13. 14. Conſurgant & aſcendant Gentes in vallem Ioſaphat; quia ibi ſedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu. Obſcurius huc vſque, & allegoricè Dominus, nunc iam clarius de iudicio loquitur. Conueniant, ait, omnes gentes, quæ quaſi in Symbolo in illis ſignificatæ ſunt populis, qui Iudæorum fines vndéquaque circumſtant. Conueniant, inquam in vallem Ioſaphat, vbi Iudex omnium cauſas ſeuero, ac legitimo iudicio diſcutiam, *Mittite falces, quoniam maturauit meſſis: venite, & deſcendite, quia plenum eſt torcular: exuberant torcularia: quia multiplicata eſt malitia eorum* Agite ergò ô vos, quos me æ iuſtitiæ adminiſtros eſſe volui, tempeſtiuam areæ falcem aſſumite, quia meſſis idoneam habet maturitatem. Et quia torcular plenum eſt à copioſa vindemia, quam menſuram impleb't multiplicata hominum iniquitas: deſcendite, calcate, præloque infelices racemos ſubmittite. *Populi, populi in valle conciſionis: quia iuxtà eſt dies Domini in valle conciſionis.* O quanta populorum multitudo in illo valle concidetur, quæ ideò *conciſionis* vallis appellatur. Nequè longè abeſt tempus illud, in quo in illa conciſionis valle innumerabiles hominum cateruæ ſternentur.

Verſ. 15. 16. Sol, & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum. Cæleſtia luminaria, quæ ſigna proximi iudicij iam extincto fulgore præmiſerant, Chriſto Domino ad tribunal auolante cælicolis ſtipato, rurſum obtenebrabuntur non abſolutè, vt prius, ſed reſpectu claritatis Chriſti, & tot aliorum corporum ſanctorum, ſuo fulgore eorum lumen offuſcantium. *Et Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam: & mouebuntur cæli, & terra: & Dominus ſpes populi ſui, & fortitudo filiorum Iſrael.* Dominus & Iudex omnium Chriſtus ex ſublimi throno ſuo aëreo ſupra Ieruſalem omnibus conſpicuus, inſtar leonis, ſpirans iras in impios horribili voce, & quaſi rugitu ſententiam damnationis in eos torquebit tanto fragore, vt cæli, & terra, ſi non re ipſa, (vt nonnulli aſſerunt) certè externa apparentia concutiantur, & contremiſcant. At qui impiis tam terribilem ſe oſtendet, populo ſuo vero & ſpirituali Iſraëli erit ſummo ſolatio, omnis ſpei complementum: & fortitudo tùm animi, tum corporis eorumdem, vt conſtantes, immoti, interriti Iudicis ſententiam excipiant.

Verſ. 17. 18. Et ſcietis, quia ego Dominus Deus veſter, &c. Experimento ſentietis, me vobiſcum, imò in vobiſmet habitare non ſolum 2.

Præmium electorum, reproborum ſupplicium pronunciat.

per gratiam, ſed & per gloriam, exhibendo vobis diuinos theſauros in Sion, ſeu in viſione pacis, quæ omni ex parte ſancta eſt ſine macula, & ruga: per quam alieni, id eſt, hoſtes minimè incedent, vti eam profanent, vt terrenam Ieroſolymam ſæpius deuaſtarunt. *Et erit in die illa: ſtillabunt montes dulcedinem, &c.* Montes cæleſtis Ieroſolymæ ſeu tres diuinæ Perſonæ dulcedinem, ac ſuauitatem omne genus perpetuò in beatorum animos ſtillabunt, pro cuiuſque captu, ac conditione: & colles Angelorum, ac nobiliorum ſanctorum, vti diffluunt ipſi lacte, & melle, id eſt, omnibus deliciis, ita & in alios eas deriuant. * Cum enim beati charitatis vinculo conſtringuntur, inferiores gloria ſuperiorum gloriæ non inuident: ſed de eorum auguſtiori felicitate gloriantur.] Omnes etiam riui etſi minimorum hortorum omnigenis aquis gaudiorum ſcatebunt.

Beati inferiores gloria de aliorum ſuperiori felicitate gaudent.

Fons enim vberrimus, ſeu bonorum profluuium perpetuò emanabit de domo Dei, de ſede Dei & Agni, fluxuque continuo irrigabit *torrentem*, ſeu alueum *ſpinarum*, id eſt, hominum ſpinis olim tribulationum obſitorum. * Felix, qui hic ſpinis pungitur, torrenti enim ſpinarum, ſeu laborum æterni gaudij torrens præparatur.]

Torrenti ſpinarũ, ſeu laborum felicitatis æternæ torrens reſpondet.

Verſ. 19. 20. 21. Ægyptus in deſolationem erit, &c. Ægyptus adeò vobis noxia, & Idumæa tàm infenſa, perdentur, exſcindentur, deſolabuntur. Sub his intelligo cuncta mundi Regna iuſtis pari modo inimica. *Et Iudæa in æternum habitabitur, & Ieruſalem in generationem & generationem.* Iudæa Ieroſolymi cœleſtis æternum erit beatorum habitaculum, & per vicos eius æternum alleluia occinetur. *Et mundabo ſanguinem eorum, &c.* Vlciſcar cædes, & iniurias ſanctis meis illatas, quas dùm mundus ſtat, & floret, non decreui plenè pro meritis vlciſci. LXX. pro *mundabo* vertit *vindicabo*. Hoc optant, & inclamant ſancti Apo. 6. 10. *Vſquequo, Domine, non vindicas ſanguinem noſtrum?* Porrò, peracta vltione, Chriſtus Dominus cum omnibus ſanctorum ſuorum agminibus ad cæleſtem Sionem, ſeu cælum empyreum reuerſus, iſtic in omnem æternitatem commorabitur. * Vulgata Scripturæ phraſi polluta manet terra ſanguine iniuſtè profuſo: quin & ipſe etiam ſanguis infami, ac probroſa ſimul atque iniuſta ſui profuſione manet pollutus ſaltem hominum exiſtimatione? Patienter expecta quiſquis huiuſmodi affectus iniuria fuiſti: iuſta enim cœleſtis Iudicis ſententia, vltione, ac vindicta emundabitur, dum eius puritas omnibus innoteſcet.

Dies iudicij ſanguinem, quem iniuſtè malitia polluit, emundabit.

AMOS.

CAPVT PRIMVM.

Prædicit Damaſco, Gazæ, Tyro, Idumææ, & Amonitidi ob ſcelera magna, præcipuè in Iudæos admiſſa, excidium.

1. VERBA Amos, qui fuit in paſtoribus de Thecue: quæ vidit
ſuper Iſraël in diebus Oziæ regis Iuda, & in diebus Ieroboam
filij Ioas regis Iſraël, ante duos annos terræmotus. 2. Et di-
xit: Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem
ſuam: & luxerunt ſpecioſa paſtorum, & exiccatus eſt vertex
Carmeli. 3. Hæc dicit Dominus: Super tribus ſceleribus
Damaſci, & ſuper quatuor non conuertam eum: eò quòd
triturauerint in plauſtris ferreis Galaad. 4. Et mittam ignem in domum Azael,
& deuorabit domos Benadad. 5. Et conteram vectem Damaſci: & diſperdam
habitatorem de campo idoli, & tenentem ſceptrum de domo voluptatis: & tranſ-
feretur populus Syriæ Cyrenen, dicit Dominus. 6. Hæc dicit Dominus: Super
tribus ſceleribus Gazæ, & ſuper quatuor non conuertam eum: eò quod tranſtule-
rint captiuitatem perfectam, vt concluderent eam in Idumæa. 7. Et mittam ig-
nem in murum Gazæ, & deuorabit ædes eius. 8. Et diſperdam habitatorem de
Azoto, & tenentem ſceptrum de Aſcalone: & conuertam manum meam ſuper
Accaron, & peribunt reliqui Philiſtinorum, dicit Dominus Deus. 9. Hæc dicit
Dominus: Super tribus ſceleribus Tyri, & ſuper quatuor non conuertam eum:
eo quòd concluſerint captiuitatem perfectam in Idumæa, & non ſint recordati fœ-
deris fratrum. 10. Et mittam ignem in murum Tyri, & deuorabit ædes eius.
11. Hæc dicit Dominus: Super tribus ſceleribus Edom, & ſuper quatuor non
conuertam eum: eò quod perſecutus ſit in gladio fratrem ſuum, & violauerit mi-
ſericordiam eius, & tenuerit vltrà furorem ſuum, & indignationem ſuam ſeruaue-
rit vſque in finem. 12. Mittam ignem in Theman: & deuorabit ædes Boſtræ.
13. Hæc dicit Dominus: Super tribus ſceleribus filiorum Ammon, & ſuper qua-
tuor non conuertam eum: eò quòd diſſecuerit prægnantes Galaad ad dilatandum
terminum ſuum. 14. Et ſuccendam ignem in muro Rabba: & deuorabit ædes
eius in vlulatu in die belli, & in turbine in die commotionis, 15. Et ibit Melchom
in captiuitatem, ipſe, & principes eius ſimul, dicit Dominus.

COMMENTARII.

1. *Dei iram deſcribit in peccatrices Gentes.*

VERS. 1. *Verba Amos, qui fuit in paſtoribus de Thecue, &c.* Hæc eſt prophetia Amos qui inter Thecuanos paſtores paſcebat armenta, quam accepit à Deo, dixitque ſpiritu prophetico afflatus, quo tempore Iudææ Regnum Ozias, & Ieroboamus Iſraëlis obtinebat, filius ſcilicet Ioas, biennio ante quam celebri illo motu terra contremuiſſet. Porrò Thecue patria Amos Vrbs erat Iudææ, vnde illa Thecuitis, quæ Abſalomo reditum à Dauide impetrauit 2. *Reg.* 14.4. in monte ſita, vbertimis cincta paſcuis: ſex paſſuum millibus, ſeu duabus leucis a Bethlehemo, tribus ab Aelia contra Meridionalem plagam. Terræ motus, cuius hîc Amos meminit, accidit anno vigeſimo quinto Regni Oziæ, quando victoriis contra Philiſthæos, Arabes, & Ammonitas inſolentior factus, arrogauit ſibi munus Sacerdotale, & Templum ingreſſus in altari thymiamatis incenſum adoleuit. Tunc enim & lepra percuſſum Regem, & terram Iudææ vehementer concuſſam, & vicinum montem diffiſſum tradit Ioſephus *lib.* 9. *antig. c.* 11. * Vt oſtenderet Deus ipſius commotione naturæ horribile eſſe delictum, Reges audere in meſſem Eccleſiæ falcem emittere]

Grauiſſimum delictum, audere Reges Eccleſiaſtica munia ſubire.

Verſ. 2. Et dixit: Dominus de Sion rugiet, &c. Dixit ergo Amos primum: Aderit aliquando tempus, in quo Deus, qui ſuum ſibi domicilium Ieroſolyme locauit, rugiat tanquam leo: & ex Sionis monte minacibus rugitibus ira ſæuiat ac fremat: vt quæ ſpecioſa ſunt in terra, & paſcendis gregibus opportuna, exſiccentur, & lugeant: & quod agricolis eſt ma-

iori

ſorì in pretio, qualis eſt Carmelus, quaſi à cœlo fuerit fulminatum, reddatur inutile. Hac ruſtica metaphora ruſticus Propheta deſignat deuaſtationem terræ ſanctæ, & vicinarum regionum per Chaldæos, & Aſſyrios, quorum incurſu exſiccatus eſt Carmeli vertex, id eſt quidquid altum, excelſum, ſplendidum, fertile, amœnum fuit, inſtar Carmeli, qui typus eſt amœnitatis, fertilitatis, ac præcellentiæ. Vnde Chaldæus vertit, *Deſolabuntur habitacula Regum, & præſidium arcium illorum.* * Dum verò Amos paſtor ruſticus metaphora ruſtica Dei iræ exponit effectus non ruſticè, ſed ſapienter admodùm edocet, neminem vltra captum eſſe proceſſurum. Aptè tractant *fabrilia fabri*, qui ſi ad altiora conarentur aſcendere, minus habentes inuenirentur.]

Suprà captum ſtudia, & opera non inſtituas.

2. *Verſ. 3. 4. Hæc dicit Dominus: ſuper tribus ſceleribus Damaſci, &c.* Hæc de Damaſco dicit Dominus: Admiſit Damaſcus multa ſcelera, propter quæ illam ab excidio, quod in eam capitale decreueram, non eximerem; ſed nunc præcipuè propter illud, quod ad extremum addidit, quaſi ſcelerum cumulum, non conuertam, nec liberabo eam ab ſtrage, quam meretur. Quodnam verò quartum iſtud peccatum omnium maximum Damaſcenorum ſcelus, ideoque quoad vindictam irremiſſibile? Porrò quod Iſraëlitas habitantes in Galaditide crudeliſſimo ſpectaculo ſtratos humi totis ſubtus ferreis ac dentatis triturauerint, ſeu petinde contriuerint, vt ſolent ſpicæ in area conteri, vt grana excutiantur. Quam ſæuitiam in populum Dei non potuit non grauiſſimo ſupplicio amantiſſimus Pater vlciſci. * Cum enim ſit infinitè benignus, inuiſum eſt ei admodum quidquid ſpeciem crudelitatis obiicit.] *Et mittam ignem in domum Azael, &c.* Flamma ideò & ferro Aſſyriorum graſſabor in domum, ſeu in familiam & poſteros tam crudelis tyranni Azael & filium eius Benadad, & in huius ſucceſſorem Raſin, quem quidem occidit Teglat phalaſſar, & Damaſcenos tranſtulit in Cyrenen. 4 *Reg.* 16. 9.

Excidium Damaſci.

Crudeles inuiſi ſunt admodum benigniſſimo Deo.

Verſ. 5. Et conteram vectem Damaſci, &c. Perfringam igitur vectes, & portas, munimentaque omnia, quæ Damaſcum Syriæ Damaſcenæ metropolim ab omni hoſtium incurſione, & machinis tuentur: & illos, qui Ciuitatem incolunt, in qua idolorum impia ſunt ſacra, & aræ frequentes: neque parcam illis, qui in deliciosa illa, ac molli Ciuitate dominantur. Denique populus totus à Damaſcenis ſedibus ad Cyrenen vſque traducetur. Hæ autem minæ haud ab ore fulminantur humano, ſed à diuino: quare inanes non excident.

3. *Verſ. 6. 7. Hæc dicit Dominus: ſuper tribus ſceleribus Gazæ, &c.* Hoc duro vaticinio Deus contra Gazæos infremuit, proclamans: Scelera ſunt plurima, quibus Gaza vindicem incitabat manum: ſed præcipuè nunc vrget eam crimen, quod poſtremo loco quaſi cumulum adiecit, ob quod ſuſpenſam adhuc pœnam demùm infligam. Quodnam illud? Fecerunt Gazæi, vt duram populus meus atque perfectam captiuitatem ſubiret, cum illum Idumæis vendidere, duris quidem dominis, qui ab Eſau ſui generis auctore immortales cum Iſraëlitis inimicitias aluerunt: à quibus populus ille miſer neque libertatem, neque benignum animi clementis officium expectabat. Triplicem reperio, vnam Mediæ, alteram Æthyopiæ, tertiam Paleſtinæ, poſteà Gazeram dictam, eratque vna ex quinque Satrapiis, ſeu Vrbibus primariis Philiſthinorum: quæ omnes (vna dempta Geth patria Goliath) hîc enumerantur, & pari modo, quo Damaſcus excindendæ prædicuntur. * Profectò peccatum maximum Gazæorum fuit, quod populum Dei vendiderint Idumæis iuratis Iudæorum hoſtibus, à quorum prauo affectu nihil non dirum timere poterant? En expreſſum damnatorum ſtatum miſerrimum, qui dæmoniis iuratis Dei inimicis vulnerandi, torquendi mancipia traduntur.] *Et mittam ignem in murum Gazæ, & deuorabit ædes eius.* Quare mittam hoſtiles acies in Gazæ muros, & in illius ædes, à quibus non lenius ſubeat incommodum, quam ab igne. Miſeri enim Gazæi ſic excidentur, ac ſi dito incendio conflagraſſent.

Excidium Gazæ.

Crudeliſſimi in damnatos ſunt Dæmones vt Dei æternùm iurati inimici.

Verſ. 8. Et diſperdam habitatorem de Azoto, &c. Omnes Gazæorum Vrbes excidio afficiam. Azotum enim occiſis, vel abductis ciuibus ab habitatoribus nudam relinquam: neque vltricem manum ab Accarone reprimam: neque vllæ à communi cæde ex tam frequenti hominum prouincia reliquiæ ſupererunt. Dei eſt vaticinium, cuius potentiam nemo effugiet, & cuius fidem certiſſimus ſequetur euentus.

Verſ. 9. Hæc dicit Dominus: ſuper tribus ſceleribus Tyri, &c. Hæc etiam Deus contra Tyrios præfatur: Plurima alia Tyrus delicta geſſit venia quidem indigna. Sed quod ad extremum quaſi menſuræ complementum patrauit, ſuſpenſam hactenus vindicem manum ad exitiale iudicium laxauit. Quodnam tam immane ſcelus? Quia Tyrij Gazæorum exemplum æmulati, Idumæorum ſeruituti perfectæ populum meum adſtrinxere. Neque rationem habuerunt vllam illius fœderis, quod olim cum Iſraële percuſſerant, quocum habere ſocialem animum fraterno ſimilem debuere. Fœdus hoc olim fuit initum inter Regem Tyri Hiram & Salomonem Regem Iſraël, arctiſſimum adeò, vt ſe inuicem fratres vocitarent. 3. *Reg.* 5. 9. Peccatum itaque Tyriorum fuit, quod cum Gazæis ſua arma ſociarunt ad Iſraëlitas *perfecta* captiuitate, id eſt, nunquam laxanda, in Idumæa diuendendos. * Malum enim, à quo leuamen ſperas, perfectum malum haud eſſe exiſtima: vndè temporalia mala quantumcumque grauia mala non ſunt perfecta, quia terminum ſortitura ſunt. Solummodo perfecta mala dixerim tartareas pœnas, in quibus nulla adeſt vnquam leuaminis expectatio.]

4. Excidium Tyri.

Mala, quæ finem habẽt, perfecta mala non ſunt; ſed quæ æterna.

5. *Verſ. 10. Et mittam ignem in murum Tyri, &c.* Mittam ego viciſſim Tyriis excidium per Nabochodonoſorem, qui poſt terdecim annos obſidionis, Vrbe potitus, eam excidit, vti anteà exciderat Philiſthæos, Idumæos, & Ammonitas.

Excidium Idumææ.

Verſ. 11. Hæc dicit Dominus: ſuper tribus ſceleribus Edom, &c. Non parcam Idumæis (pergit Dominus) tum propter alia ſcelera quàm plurima: tùm vel maximè propter illud ſcelus, quo ad extremum ſuperiora cumularunt. Quia cum Iſraëlitis habuere & implacabile odium, & immortale bellum: & illis, cum ipſorum indigerent miſericordia, diſtrictum

obtenderunt gladium & ſupplices ab omni humanitatis officio repulere: & paterni odij tenaciſſimi ad finem vſque id obſtinato conſilio conſeruarunt. * Profectò ij, qui tenaciter odia conſeruant (maximè auita) admodum ſunt Numini inuiſi. Eiuſmodi enim in malo tenacitas animum arguit æternæ damnationis obſtinationi agnatum.]

Quàm inuiſa Deo hominum in odio tenacitas.

Verſ. 12. Mittam ignem in Theman, & deuorabit ædes Boſra. Sic igitur diruam muros Theman & Boſra quæ præcipuè ſunt Idumææ Vrbes, ſic ædes deiiciam, vt in illis diu graſſatum incendium videatur.

6. Excidium Ammon.

Verſ. 13. 14. 15. Hæc dicit Dominus: ſuper tribus ſceleribus filiorum Ammon, &c. Non auertam ab Ammonitis cladem propter alia plurima illorum peccata, ſed maximè ob quartum, quod iniquitatis menſuram oppleuit. Quia vt fines ſuos, Galaaditis ſublatis, latè propagarent, vſque adeò in illos ſæuierunt, vt prægnantes euiſcerarent, ne fœtum vtiliter eniterentur. *Et ſuccendam ignem in muro Rabba, &c.* Quapropter tanquam flammam hoſtiles immittam in Rabba, quæ eo vlulatu, quo victores ſolent, & impetu, ac turbinis inſtar, excitato muros excindent, & domos ſubuertent. *Et ibit Melchon in captiuitatem. ipſe, &c.* Tam autem aberit Melchon Ammonitarum Deus, vt populum ſuo vano cultui addictum à nece, & captiuitate tueri valeat: vt euitare non poſſit, quominus ipſe captiuus cum Principibus abducatur. Hæc per me Dominus Ammonitis prænunciat. * Vidiſti in omnibus præfatis plagis prænunciatis, Deum tria peccata, ſeu multa non illico punire, quartum verò ſeu crimen, quod aliorum menſuram cumulauit, Deum ſic irritare, vt id, & alia ſimul punire accingatur. Vt qui plura crimina perpetrauimus, timeamus, aliud adiicere, nè fortè ſit, quod menſuram implebit, vndè illico ac ſubito à Domino puniamur.]

Peccatis patratis time aliud crimen adiicere, ne fortè ſit, quod menſurã impleat, & ſubitò à Domino puniaris.

CAPVT II.

Moabitidi, Iudææ, & Iſraëli prædicit excidium Ob ingratitudinem, & alia peccata exprobat Iſraëlitis.

1. HÆc dicit Dominus: Super tribus ſceleribus Moab, & ſuper
quatuor non conuertam eum: eò quòd incenderit oſſa regis
Idumææ vſque ad cinerem. 2. Et mittam ignem in Moab,
& deuorabit ædes Carioth: & morietur in ſonitu Moab,
in clangore tubæ: 3. & diſperdam iudicem de medio eius,
& omnes principes eius interficiam cum eo, dicit Dominus.
4. Hæc dicit Dominus: Super tribus ſceleribus Iuda, &
ſuper quatuor non conuertam eum: eò quòd abiecerit legem Domini, & manda-
ta eius non cuſtodierit: deceperunt enim eos idola ſua, poſt quæ abierant patres
eorum. 5. Et mittam ignem in Iuda, & deuorabit ædes Ieruſalem. 6. Hæc di-
cit Dominus: Super tribus ſceleribus Iſraël, & ſuper quatuor non conuertam eum,
pro eo quòd vendiderit pro argento iuſtum, & pauperem pro calceamentis.
7. Qui conterunt ſuper puluerem terræ capita pauperum, & viam humilium
declinant: & filius ac pater eius ierunt ad puellam, vt violarent nomen ſanctum
meum. 8. Et ſuper veſtimentis pignoratis accubuerunt iuxta omne altare: &
vinum damnatorum bibebant in domo Dei ſui. 9. Ego autem exterminaui
Amorrhæum à facie eorum: cuius altitudo, cedrorum altitudo eius, & fortis ipſe
quaſi quercus: & contriui fructum eius deſuper, & radices eius ſubter. 10. Ego
ſum: qui aſcendere vos feci de Terra Ægypti, & duxi vos in deſerto quadraginta
annis, vt poſſideretis Terram Amorrhæi. 11. Et ſuſcitaui de filiis veſtris in pro-
phetas, & de iuuenibus veſtris Nazaræos: numquid non ita eſt filij Iſraël, dicit Do-
minus? 12. Et propinabitis Nazaræis vinum, & prophetis mandabitis: dicentes:
Ne propheteti. 13. Ecce ego ſtridebo ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum
onuſtum fœno. 14. Et peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem
ſuam, & robuſtus non ſaluabit animam ſuam: 15. & tenens arcum non
ſtabit, & velox pedibus ſuis non ſaluabitur, & aſcenſor equi non ſaluabit ani-
mam ſuam: 16. & robuſtus corde inter fortes nudus fugiet in illa die, dicit
Dominus.

COMMENTARII.

1. Moabitarum excidium.

VERS. 1. *Hæc dicit Dominus: ſuper tribus ſceleribus Moab, &c.* Hæc dicit Dominus de Moabitis: Propter alia multa peccata non eximerem ab excidio Moab: ſed præcipuè propter aliud, quod addidit mihi magis inuiſum, amplius non differre ſupplicia decreui. Quia ſcilicet incendio tradidit exhumata oſſa Regis Idumææ, illaque redegit in cineres. Rex hic Idumææ fuit ille, qui vna cũ Ioſaphat, & IoramoMoabitas impugnauit 4. *Reg.* 3 Erant enim crebra bella inter Moab & Edom ob confinia: & in aliquo horum certaminum victor Moab potuit effoſſis ſepulti æmuli ſui oſſibus hanc iniuriam, & contumeliam ei intuliſſe.

Crudeliſſimũ ſe oſtentat, qui defuncti inimici cadaueri infert iniuriam.

* Meritò hoc ſcelus cæleſtis vindictæ maturauit inſtantiam; Crudelem namque admodum, & in furore pertinacem ſe oſtentat, qui vel cadaueri inimici non parcit.] * Imò qui ad aſpectum cadaueris mortis memoriam reficantis audet tantum ſcelus committere, ſeſe iniquiſſimum oſtentat.] * Deus iniuriam non iam in populum Iſraëliticum, ſed in profanum Regem admiſſam Deus vlciſcitur, vt orbi oſtendat, ſe non ſolùm Iudæorum, ſed & aliarum Gentium eſſe Deum, curatorem, ac vindicem.] * In cunctis hominibus relucet humanitas, quam vel in infidelibus debent humani revereri.]

Iniquiſſimum ſe præbet, qui in cõſpectu cadaueris audet delinquere.

Deus vel Gẽtilium, & infidelium eſt curator.

Vel in peccatoribus debemus humanitatem reuereri.

Verſ. 2. 3. *Et mittam ignem in Moab, &c.* Quare hoſtilem gladium inueham in Moabitas, qui tanquam ignis ædes Carioth funditus ſcindat. Porrò Moab inter bellicos clamores, ſonituſque tubarum interimetur. *Carioth* idem eſt Hebræis, quod *Vrbes.* At hîc exiſtimo proprium eſſe nomen Metropolis Moab, quæ ob amplitudinem ſic vocari videtur, quaſi plures Vrbes in ſe complectatur. *Et diſperdam Iudicem de medio eius. &c.* Neque parcam his, qui Ciuitatibus præſunt, Iudicibus ſcilicet, & Principibus, penes quos eſt ſumma rerum: hos enim dicit Dominus eodem cum aliis impetu conficiam. Si generatim dixerat totum Regnum Moab petiturum, cur ſpeciatim aſſerit Iudices, & Principes etiam excidio afficiendos? Certè quia omni populo pereunte, ſolent proceres ob potentiam, ob diuitias à clade communi liberari. Eiuſmodi enim perſonæ in cœtu hominum haud eſſe videntur, vndè cum hominibus non flagellantur.]

Iudices, & proceres Reipublicæ potentia, & diuitiæ à communi eximũ clade.

2. Iuda excidium.

Verſ. 4. *Hæc dicit Dominus ſuper tribus ſceleribus Iuda. &c.* Ob plurima (Deus inquit) ſcelera non parcerem Iudæ, ſed omnium maximè ob quartum prioribus adiectum. Quia legem Domini quaſi vile aliquid ac nugatorium eſſet, impiè contempſit. Secuti fuere Iudæi parentum veſtigia, & ſpe falſa deluſi idolorum ſacris adhæſere, à quibus cuncta futura pro votis exiſtimabant.

Verſ. 5. *Et mittam ignem in Iuda, & deuorabit ædes Ieruſalem.* Ea propter irruet tanquam ignis Chaldæorum exercitus, qui Solymitanas domos à fundaminibus euertat.

3. Iſraëlis excidium.

Verſ. 6. *Hæc dicit Dominus: ſuper tribus ſceleribus Iſraël, &c.* Decem Tribus Iſraël quam multa patrauere delicta, quæ meam inſtimulant iram, ad cædemque prouocant: ſed illud præcipuè, quod pauperis iuſti cauſam muneribus corrupti prodiderei quod perinde eſt, ac ſi iuſtum ipſum vendiderint, cum à ſuo iure, ac poſſeſſione deiectus, cogatur iniquo ſeruire crediturі. Hoc facit auarus & infidelis Iudex, ne ſibi vile aliquod pereat lucrum, quale eſt pretium, quo emi calceamenta poſſint. * Diuinam porrò in ſe facit vltionem properare Iudex, qui pauperem iniuſtè condemnat, cum potius deberet eius ſpecialiſſimè, quia pauper eſt, contrà diuites protectionem aſſumere.] Scio ab aliquibus locum hunc ad Chriſti Domini venditionem, ſeu traditionem referri. * Tunc enim triginta argenteis, pretio quidem vili, vix ad calceos emendos ſufficienti, diuitiarum largitor, pauper pro hominibus effectus, traditus ad cædem iniquiſſimè fuit.]

Deum valdè irritat Iudex, qui iniuſtè pauperem in iudicio condemnat.

Chriſtus viliſſimo pretio ad necem traditus.

Verſ. 7. 8. *Qui conterunt ſuper puluerem terræ capita pauperum, &c.* Hæc Iudicum in pauperem eſt iniuria: ſed alia magis crudelis. Conterunt enim pugnis pauperem, & vi deprimunt ad terram: neque ſeruant illum iudicandi modum, quem lex, & natura præſcribit. * Turpe admodum eſt, Iudicem non ſolum in inſontem, ſed & inſontes propria manu percuſſurum inſurgere.] Accedit aliud omnibus commune flagitium. Nam filius cum puella concubuit, cum qua pater priusrem habuerat. Ex quo id conſecutum eſt, vt nomen ſanctum meum, quo præcepta mea ſunt conſignata vile, ac pollutum cenſeretur, iactantibus paſſim Gentilibus: En quàm ſpurci, quàm obſcœni ſunt Iſraëlitæ. Quàm ſpurca ergo eorum fides, & religio, quam fœdus Deus, qui iſta tolerat, nec punit. * Profectò apud Chriſticolas non ſemel tam grauia ſcelera patrantur, vt anſa infidelibus contra fidem oblatrandi præbeatur. O quàm horribile perditis hiſce hominibus ſupplicium præparatur.] *Et ſuper veſtimentis pignoratis accubuerunt, &c.* Et quod animi eſt crudelis, & impij, ſuper veſtibus ſtragulis cubabant, quas pignori ab inopibus acceperant: quaſque dominis ante noctem reſtitui lex imperabat: ne humi, aut nudi cum aliud tegumentum non haberent, cubare cogerentur. * O tempora quando non ex Iudicum, vel Magiſtratuum imperio, ſed ex inferiorum miniſtrorum crudelitate, & auaritia miſeris agricolis auferuntur ſtragula; vnde nudi cubare humi coguntur.] Ipſi verò aut in illis dormiebant, aut impia agebant peruigilia ad idolorum aras, & ad turpem illam quierem pignoratas ſibi veſtes ſubſternebant, quas ad illud tempus pauperibus redditas eſſe oportuit. Ibidem autem in templis gentilico ritu vinum bibebant, quod ſibi ad luxum coëmerunt, extorta pecunia ab his, quos corrupto iudicio condemnarunt.

Turpe admodum, ſeſe à propria Iudicis manu vulnerari.

Supplicio horribili ſubiacet, qui inſigni aliquo ſcelere patrato, anſam dat infidelibus contra fidem oblatrandi.

Coguntur agricolæ humi cubare ob exactorum tributi auarã crudelitatem.

Verſ. 9. 10. 11. *Ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum, &c.* Innumeris te ô Iſraël, complexus ſum officiis, pro quibus mihi perfidiam retuliſti. Ego è ſuis finibus Amorrhæum exturbaui, vt tu in eius habitacula ſuccederes: cuius ſi ſpectes fortitudinem, inſtar erat quercus: ſi proceritatem, proceris cedris haud erat inferior. Quem tamen ita exterminaui, vt non ſolùm fructu ac frondibus ſpoliauerim: ſed etiam ab imis vſque ſtirpibus ex- 4.

Ob ingratitudinem, & alia ſcelera Iſraëlitas taxat.

cidi, ne inibi ſpes vlls in poſterum germinandi remaneret. *Ego ſum qui aſcendere vos feci de terra Ægypti, & duxi vos in deſerto quadraginta annis, vt poſſideretis terram Amorrhæi.* Vt te io Amorrhæorum regione non tanqoam hoſpitem, ſed tanquam verum poiſeiſſorem collocarem. *Et ſuſcitaui de filijs veſtris in Prophetas. &c.* Vobis eo tempore Prophetas dedi, ex veſtro ſanguine ortos: & de veſtra iuuentute adoleſcentes elegi, quos meo cuitui ſacros eſſe volui, & quaſi à profana turba ſegregatos Nazaræos vocitari conſtitui.

Verſ. 12. 13. Et propinabitis Nazaræis vinum, &c. Illa tamen, quæ ad populi dignitatem, religioſumque viuendi modum ego decreui, tu ô Iſraël, quod io te fuit, impiè diſſoluiſti. Nazaræis enim contra votum & profeſſionem ipſorum, vinum *propinabas* (ſic legunt Græci) & ſiceram: & Prophetis à Deo ad te corripiendum ſubmiſſis mandabas ne prophetarent, nec te ſcelerum tuorum admonerent, pœna necis propoſita, qui id auſint. Duplex hinc documentum elicio.

Grauiſſimè delinquit qui Religioſum ad voti, aut legis ſui inſtituti pellicit violationem.

* Vnum, grauiſſimè delinquere, qui Religioſos incitat, vt contra vota profeſſionis ſuæ aliquid exerant. Grauius enim delinqoit qui myſtici huius Nazaræatus leges violat, vnde grauiſſimè peccat, qui velque eos ad illarum pellicit tranſgreſſionem.] * Alterom verò, impiorum Iſraëlitarum æmulatores eſſe, qui ſacros Præcones impediunt, ne libere proferant veritatem, publica carpendo delicta: & qui eos in exilium dari curant eo quod iuxta miniſterium ſuum aliquid fuerit prolatum ab eis, quod cordatis ad Dei gloriam, proximorumque vtilitatem dictum fuiſſe videbitur.] *Ecce ego ſtridebo ſuper*

Grauiſſimè peccat, qui Concionatorem impedit ne liberè proferat veritatem, ac vitia corripiat.

vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno. Ego ſub veſtrorum ſcelerum onere, quod iam dudum porto, ſic gemo, quemadmodum plauſtrum cum fœno onuſtum graui pergrauatum onere ſtridet. Notat ſtridorem, & ſtrepitum armorum, & bellicæ vaſtitatis per Aſſyrios breui excitandum. Nimis grauatus Deus noſtrorum ſcelerum pondere ſub infami hoc onere indignabundus fremit. * Tantum quippe peccati eſt pondus, vt infinitæ Dei fortitudinis humeros quodammodò premat, & ſub onere quaſi gemere videatur.]

Tantum peccati pondus, vt quodammodo Dei fortitudo ſub eo onere gemat.

Verſ. 14. 15. 16. Et peribit fuga à veloce, &c. Eo autem tempore nemo dexteræ vltricis ictum poterit euitare, noo velox curſu, oon fortis robore, non potens viribus aſſequetur, vt horribilem effugiat interitum. *Et tenens arcum, non ſtabit, & velox pedibus ſuis non ſaluabitur, & aſcenſor equi non ſaluabit animam ſuam.* Quantumcumque homo fuerit ſagittas emittendi peritus, corruet: nec vllus erit tam pedum pernicitate leuis, qui mortem effugiat: neque efficiet quiſquam equeſtri fuga, vt inſtantem à tergo inimicum euadat. *Et robuſtus corde inter fortes, nudus fugiet in illa die, dicit Dominus.* Et qui audaci fuerit pectore, & fortiſſimos robore vicerit, in illis rerum anguſtiis, ſic ſe debilem oſtendet, vt quaſi ab omni fuerit virtute nudus, fugam putet ſibi futuram eſſe vnicum vitæ ſubſidium. Vel fortaſſe aptius ex Tigurina: *Qui inter heroes magnanimus eſt*, non poterit ſuſtinere Aſſyriorum impetum, ſed fractis animis, proiectis armis, terga vertet: etſi acciderit nocturno indulgere ſomno, audito tumultu bellico, nudus aufugiet.

CAPVT III.

Iſraëlem in prædam Aſſyriis, & Deo irato quaſi leoni dandum prædicit. Conuocat Philiſthæos, & Ægyptios vt ſtragis Iſraëlitarum ſint ſpectatores quemadmodùm ſcelerum teſtes extitère.

1. AVDITE verbum, quod locutus eſt Dominus ſuper vos,
filij Iſraël: ſuper omnem cognationem, quam eduxi de terra
Ægypti, dicens: 2. Tantummodò vos cognoui ex omni-
bus cognationibus terræ: idcircò viſitabo ſuper vos omnes
iniquitates veſtras. 3. Numquid ambulabant duo pariter,
niſi conuenerit eis? 4. Numquid rugiet leo in ſaltu, niſi
habuerit prædam? numquid dabit catulus leonis vocem de
cubili ſuo, niſi aliquid apprehenderit? 5. numquid cadet auis in laqueum ter-
ræ abſque aucupe? numquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit?
6. Si clanget tuba in ciuitate, & populus non expaueſcet? ſi erit malum in ciui-
tate: quod Dominus non fecerit? 7. Quia non facit Dominus Deus verbum, niſi
reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos prophetas. 8. Leo rugiet, quis non ti-
mebit? Dominus Deus locutus eſt, quis non prophetabit? 9. Auditum facite in
ædibus Azoti, & in ædibus terræ Ægypti: & dicite, Congregamini ſuper montes Sa-
mariæ, & videte inſanias multas in medio eius, & calumniam patientes in penetrali-
bus eius. 10. Et neſcierunt facere rectum, dicit Dominus, theſaurizantes iniqui-
tatem & rapinas in rapinas in ædibus ſuis. 11. Propterea hæc dicit Dominus
Deus:

Deus: Tribulabitur, & circuietur terra: & detrahetur ex te fortitudo tuã, & diri-
pientur ædes tuæ. 12. Hæc dicit Dominus: Quomodò ſi eruat paſtor de ore leo-
nis duo crura, aut extremum auriculæ: ſic eruentur filij Iſraël, qui habitant in Sa-
maria in plaga lectuli, & in Damaſci grabato. 13. Audite, & conteſtamini in do-
mo Iacob, dicit Dominus Deus exercituum: 14. Quia in die cùm viſitare cœ-
pero præuaricationes Iſraël, ſuper eum viſitabo, & ſuper altaria Bethel: & ampu-
tabuntur cornua altaris, & cadent in terram. 15. Et percutiam domum hiema-
lem cum domo æſtiua: & peribunt domus eburneæ, & diſſipabuntur ædes
multæ, dicit Dominus.

COMMENTARII.

1. *Prædicit Iſraëlem dandum in prædam Aſſirijs.*

VERS. 1. 2. *Audite verbum quod locutus eſt Dominus ſuper vos, &c.* Omnes Iſraëliticæ familiæ duodecim ſtribuum, quos de tyrannide Ægyptiorum vindex, & protector eduxit Dominus ait, audite, quæ ego Amos eius ex nomine oracula de vobis detonui. Audite me, imò non me, ſed Dominum dicentem audite: *Tantummodo vos cognationibus terræ. &c.* Ex cunctis terræ populis vos eo ſtudioſiùs complexus, vt nihil aliud curaſſe, aut cognouiſſe exiſtimari potuerim ab iis, qui generalem prouidentiam meam non agnoſcunt. Ideò qui tanto beneficio ingrati non gratiam, ſed iniuriam retuliſtis, viſitabo cunctas iniquitates veſtras, & quo vbertius beneficij pondus, eo grauior erit beneficij magnitudo. * Hinc Religioſi, qui ex omnibus ſæculi aſſeclis electi à Deo fuera ad altiorem, & ſecuriorem vitæ rationem, ediſcant, quam gratitudinem teneantur tam magnifico electori exhibere. * Preme illa: *Tantummodò vos cognoui: idcirco viſitabo.* Poſt beneficium à Deo homini collatum iudicium ſequitur, vbi diſtrictè de gratitudine vel de ingratitudine cauſa diſcutitur, & deciditur.] * *Tantummodo* (ait) *vos cognoui*, ſeu beneuolentia ſpeciali amplexus ſum: *idcirco viſitabo*, ſeu puniam *iniquitates veſtras* Deus enim quos diligit, corripit, & flagellat.

Electum te à Deo fuiſſe ad Regulare inſtitutum, magnam ex te exigit gratitudinem.

Poſt beneficium à te à Domino acceptum, iudicium inſtat.

Quos Deus diligit, corripit.

Verſ. 3 4. 5. Numquid ambulabunt duo pariter, niſi conuenerit eis? Num duo ambulabunt ſimul maximè pater & filius, niſi inter eos conuentio ſit, id eſt, alter ab altero ſe regi ſinat, & ductum patris libens filius ſequatur. At en filius, me ſpreto, mauult cum idolis conuenire. Ergo non ambulabo deinceps cum eo vt pater, ſed vt Iudex, vt hoſtis, vt carnifex. *Numquid rugiet leo in ſaltu, niſi habuerit prædam, &c.* Sicut leonem cùm præda, ſicut aucupem cum aue capta, & ſicut venatorem cum fera me cum ingrato hoc populo geram. Pugiam ergo in Iſraëlem quaſi in prædam, laqueos ei inſtruam, inſidiabor illi per Aſſyrios miniſtros meos, nec deſiſtam, donec cepero, & captum pro meritis caſtigauero. Leo enim non rugit, quin prædam capiat, laceret, & deuoret. Nec laqueus ab aucupe tolli aſſolet, niſi capta auicula. Haud putetis fortuitò vobis Aſſyrios obuenturos & caſu vos ab illis illaqueandos. Nam auicula non excidit in laqueum abſque aucupis induſtria. Ego vobis auceps ſum, meo ductu irruet in vos Aſſirius: ferrum quod ille ſtringet, flamma quam iniiciet, ſtrages edet, à me credite proficiſci.

* Ne peccator cum laboribus angitur, iniuria afficitur, contra diuexantes homines iraſcatur. Deus peccati vindex auctor eſt illius tribulationis, quam per manus hominis exeri diſpoſuit.]

Ne peccator cum tribulatione afficitur, contra hominẽ iraſcatur: Deus enim auctor eſt tribulationis ad peccati ſupplicium.

Verſ. 6. 7. 8. Si clanget tuba in Ciuitate, &c. Si clangente tubâ ab humano anhelito inſpirata, homines timent, ſeque ad hoſtis aduentum maturè præparant: quid agere oportet illos, qui diuino ſpiritu vident Prophetarum fauces inflati, & aliquid horribile inſonare? Quidquid enim malorum Prophetæ denunciant, id à Domino ſcelerum vindice prædicitur, & infertur. Sine eius namque nutu nullus ſeu dæmonum, ſeu hominum poteſt manum mouere, vel effutire verbum, quo quis lædatur. Et pari modo cum voluerit ipſe ferire, non eſt vel in cælo, vel in terra, qui præpedire valeat. Et ecce iam in altum manum tollit, vt vos percutiat, & hoc ego vice ipſius vobis prænuncio: nec tamen horreſcitis, aut de ipſo placando ſatagitis? *Quia non facit Dominus Deus verbum, &c.* Hoc porrò malum vobis priuſquàm irrumpat annuncio. Deus enim ſalutis veſtræ ſtudioſus mihi de more hoc arcanum aperuit. De more inquam. Quia nullam olim Pharaoni plagam inflixit, niſi per Moyſen prius illum præmonuiſſet, Sic & ergà Saulem, erga Dauidem, erga Ieroboamum, ergà tot alios ſemper ſe geſſit. Ego itaque tuba ſum Dei claſſicum ſonoro, Aſſyrios iam iam acceſſuros præclamo: proſpicite, pœnitemini, malis occurrite. * Hunc in finem Deus Concionatorum clamoribus imminentes pœnas peccatori prænunciat. Vt certus de grauitate earum, de auctore, de infallibili effectu, curet per pœnitentiam cauſam tollere, Deum placando pœnas diuertere.] *Leo rugiet, quis non timebit, &c.* Ad leonis fremitum, quis non exhorreſcat? Timere ſanè debet ille, quem diuinus rugitus deſignat; quià non erit inanis. Quis autem audito tam horribili rugitu, non prophetabit? id eſt, non prædicet amicis ſuis imminentia pericula Certè amicus non eſſent, ſi amicis hic imminentem cladem non reſeraret. * Haud Concionator ſe proximorum iactet amicum: ſi placida auditui verba proferat, & imminenti ſupplicij peccatoribus inſtantiam non præclamet.

Audiens peccator Concionatorum minas, curet per pœnitentiam Deum placare.

Non eſt proximorum amicus, Concionator, qui inſtantiam ſupplicij peccatoribus nõ præclamat.

Verſ. 9 10. Auditum facite in ædibus Azoti, &c. Agite igitur Prophetæ, & in Azoti ædibus, totaque Paleſtina: atque etiam longius in Ægypto clamate, & dicite: O Paleſtini, ô Ægyptij, qui noſtis quam Deus in hunc populum beneuolus fuerit, atque munificus ad montes Samariæ properate, vbi frequentes viſuntur idolorum aræ, & videte, quanta in Samaritano tractu vigeat impietas: & quem-

2. *Aduocat Gentiles, vt ſint ſupplicij Iſraëlis ſpectatores, qui ſcelerum fuêre teſtes.*

admodum in ipſis penetralibus per vim, & calumniam à potentioribus infirmi exagitentur. *Et neſcierunt facere rectum, &c.* Qui publicis præſunt iudiciis, vſque adeò ab æquitate receſſere, vt rectum & fas nunquam didiciſſe videantur. Hi ergo qui largitionibus corrupti venale iudicium habuere, theſaurizauerunt diuitias in ædibus ſuis, ſuæ iniquitatis exitiale pretium. * *Neſcierunt* (inquit *facere rectum.* Praua etenim delinquendi conſuetudo ad eum ſtatum peccatorem adducit, vt etiamſi velit rectum agere, quodammodo neſciat.] Verum ideò quia ad ſerium velle non accommodatur. Dixerim vulgariter. *La mala coſtumbre le haze, que no ſe amane querer de veras.*]

Ex praua conſuetudine peccator quodammodò neſcit rectum facere, etiamſi velit.

Verſ. 11.12. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Tribulabitur, & circuetur terra: &c Terra (inquit propterea Dominus) violenta, & iniuſta, quæ alienis gloriatur, & triumphat impendiis obſidebitur, ac diuexabitur ab hoſte potentiori: & illis ornamentis oudabitur, quæ fraude, aut calumnia congeſſerat: & profanæ illæ ædes, quas extortæ miſerorum opes excitarunt, aut incendio abſumentur, aut machinatione hoſtili vaſtabuntur. * Non ſolum ornamenta fraude aut vi acquiſita pereunt, ſed corruunt ſimul ædes, quæ illis exornabantur impendiis. Quia non ſolum bona iniquè acquiſita dilabuntur, ſed etiam propria bona, quibus aliena rapta hæreſcunt, omnino depereunt.] *Hæc dicit Dominus: Quomodo ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura, &c.* Quomodo paſtor reliquias colligit, quas à lacerata pecude leo reliquit, ſcilicet duo cruſcula, aut extremum auriculæ, quibus fidem faciat domino gregis, à leone fuiſſe laceratam ouem, non paſtoris incuria periiſſe: ſic nunc filiis Iſraël continget, qui ægri, vel læſi decumbunt in lectulo plagati apud Samariam, vel Damaſcum: hi enim pro reliquiis relinquentur ibidem ab Aſſyriis tantæ cladis ſuperſtites, vt fidem poſteris faciant cæſæ & ſciſſæ gentis Iſraëliticæ, olim tam florentis, ac potentis. * Itaque ſoli pauperes, ægri, & miſeri, qui in finibus Samariæ vel Damaſci deprehendun tur, à cæde liberantur: quaſi ipſa tyrannis, gladius ipſe eos qui labores patiuntur, reuereretur.]

Non furto acquiritur, perditur, & propria bona, queis adiunguntur, perire facit.

Gladius ipſe reuereri eos qui labores patiuntur.

Verſ. 13.14.15. Audite, & conteſtamini in domo Iacob, &c. Audite igitur ô Prophetæ, & aduocatis teſtibus, & interpoſita diuinæ fidei firmitate, legitima forma hæc domui Iacob meo nomine denunciate. *Quia in die cum viſitare cœpero præuaricationes Iſrael, &c.* Cum viſitare, ac iudicare cœpero peccata, quæ Iſraël patrauit, viſitabo, ſeu iudicabo in primis ipſum, & pro ſcelerum menſura ſupplicium apponam. Viſitabo item altaria, quæ pro vitulorum aureorum cultu in Bethel ſunt erecta: & eorum cornua, à quibus plurimum ornamenti habuere, in terra detruncata concident. *Et percutiam domum hyemalem cum domo æſtiua, &c.* In ea vero viſitatione æſtiua, ac hiberna cubicula ſubuertam, neque parcam domibus ex ebore elaboratis: multæ denique domus exſcindentur. Mutabant proceres, & alij diuites domos ſuas pro varietate temporum frigoris, & caloris, hyeme affectantes, quæ Auſtrum reſpiciunt, æſtate quæ Aquilonem. Duplex autem reperitur ebur, alterum proprium, os videlicet elephanti. Alterum quod licet ebur non ſit, quia non ex oſſe: propter ſimilitudinem tamen vocatur ebur, & eſt ſaxum quoddam miri candoris, quod præſertim ex Tiburtino monte ceditur. Vndè non miror Principes illos ædes ſibi eburneas conſtruxiſſe, cum id faciant ætate noſtra, qui longè ſunt vel dignitate, vel opibus inferiores. * Huiuſmodi profanæ ædes, quæ nimium dominorum luxum, ac vanitatem adſtruunt, Dominus deſtruit, eas feriens corruere, dùm humilia pauperum habitacula præſeruantur à clade.]

Profanæ diuitum ædes corruere ſolent faciliùs, quàm humilia pauperum habitacula.

CAPVT IV.

In Armeniam abducendos Iſraëlitas prædicit. Taxat eos, quod variis tribulationibus acti, meliores effecti non fuerint. Vndè extremum exitium illis euenturum affirmat.

1. AVDITE verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Sa-
mariæ: quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pau-
peres: quæ dicitis dominis veſtris: Afferte, & bibemus.
2. Iurauit Dominus Deus in ſancto ſuo: quia ecce dies ve-
nient ſuper vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias ve-
ſtras in ollis feruentibus. 3. Et per aperturas exibitis altera
contra alteram, & proiiciemini in Armon, dicit Dominus.
4. Venite ad Bethel, & impiè agite: ad Galgalam: & multiplicate præuarica-
tionem: & afferte manè victimas veſtras, tribus diebus decimas veſtras. 5. Et
ſacrificate de fermentato laudem, & vocate voluntatis oblationes, & annun-
tiate: ſic enim voluiſtis filij Iſraël dicit Dominus Deus. 6. Vnde & ego dedi vo-
bis ſtuporem dentium in cunctis vrbibus veſtris, & indigentiam panum in om-
nibus locis veſtris: & non eſtis reuerſi ad me, dicit Dominus. 7. Ego quoque
prohibui à vobis imbrem, cùm adhuc tres menſes ſupereſſent vſque ad meſſem: &

plui

plui ſuper vnam ciuitatem, & ſuper alteram ciuitatem non plui: pars vna complu-
ta eſt; & pars, ſuper quam non plui, aruit. 8. Et venerunt duæ & tres ciuitates
ad vnam ciuitatem vt biberent aquam, & non ſunt ſatiatæ: & non rediſtis ad me,
dicit Dominus. 9. Percuſſi vos in vento vrente, & in aurigine, multitudinem
hortorum veſtrorum, & vinearum veſtrarum: olivueta veſtra, & ficeta veſtra co-
medit eruca: & non rediſtis ad me, dicit Dominus. 10. Miſi in vos mortem in
via Ægypti, percuſſi in gladio iuuenes veſtros, vſque ad captiuitatem equorum
veſtrorum: & aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum in nares veſtras: &
non rediſtis ad me dicit Dominus. 11. Subuerti vos, ſicut ſubuertit Deus Sodo-
mam & Gomorrham, & facti eſtis quaſi torris raptus ab incendio: & non rediſtis
ad me, dicit Dominus. 12. Quapropter hæc faciam tibi Iſraël: poſtquam au-
tem hæc fecero tibi: præparare in occurſum Dei tui Iſraël. 13. Quia ecce for-
mans montes, & creans ventum, & annuntians homini eloquium ſuum, faciens
matutinam nebulam, & gradiens ſuper excelſa terræ Dominus Deus exercituum
nomen eius.

COMMENTARII.

1.

In Armeniã abducendos Iſraëlitas prædicit.

VERS. 1. *Audite verbum hoc, vaccæ pingues, &c.* Vobiſcum mihi diſceptatio eſt ô viri Iſraël, qui ſicut vaccæ pingues ad ſaginam paſcuntur in Samariæ montibus: ſic vos tantum gulæ ac voluptati operam impenditis. Qui ſic pudorem ac humanitatem obliuioni tradidiſtis, vt per calumniam pauperes bonis euertatis, & violẽter opprimatis egenos. Qui Iudicibus, Magiſtratibus, proceribus importuna prece ſuadetis, ex direptis aliorum bonis vobis conuiuia inſtruere, & vinum largè propinare. * Multi Doctores exiſtimant hic intelligi Samariæ mulieres laſciuas, ſalaces, rapaces, & imperioſas, vaccis apprimè ſimiles. Vnde Symmachus vertit *Vaccæ laſciuientes.* Hæ quidem vitiis ſaginantur, vt macello æternæ damnationis inſeruiant.] * Alij exiſtimánt vaccas eſſe Sacerdotes Dan, & Bethel. O quàm abſonum Sacerdotibus eſt compotationis vitium vel gentilibus! Quid Sacræ Eccleſiæ Miniſtris? Crediderim, vaccis hiſce ſignificari proceres, & opulentos, ſed effœminatos, laſciuos, bona pauperum depaſcentes toti gulæ addictos, atque ita ſaginæ & mactationi ſeſe apparantes.] * Profectò quicumque hi ſint, laſciuiæ & gulæ vitio infecti eſſe notantur. Et quando nimium vini vſum luxuria non ſequitur?]

Fœminæ laſciuæ damnationis macello ſaginantur.

Abſonum Sacerdoti cõpotationis vitium.

Diuites effœminati, ac guloſi apparantur mactationi.

Nimium vini vſum luxuria ſequitur.

Verſ. 2. 3. Iurauit Dominus Deus in ſancto ſuo. Quia ecce dies venient ſuper vos, &c. Audite ergò ô vaccæ pingues, iam iam cultro, atque macello deſtinatæ, quid Deus de vobis, concepto per ſemetipſum iuramento, confirmet. Veniet, inquit, aliquando tempus, in quo aderunt, qui vos in contis, ac perticis vnco præferratis eleuent, & ollis feruentibus iniiciant. Hoc eſt, vos Aſſyrij leuabunt *in haſtis* (ſic Theodotion) ſeu cæſorum capita lanceis ſiue contis affixa deferent in triumphum: & *reliquias*, ſeu plebem in ſpeluncis, ad quas confugient, quaſi vaccæ fragmenta in ollis elixabunt, & comburent. * Et quidem huiuſmodi vaccæ pinguis & laſciuæ caro feruenti æternum ollæ apparatur.] *Et per aperturas exibitis, &c.* Per murorum aperturas baliſtis, & arietibus diſruptorum exibitis captiuæ binæ & binæ, & proiiciemini in ſtabula Armon, ſeu in Armeniam, ſic dictam ab *Aram* filio Sem vicinam & ſubiectam Aſſyriis. *Gen. 10.23.*

Caro laſciua & gulæ addicta ollæ feruenti apparatur.

Verſ. 4. 5. Venite ad Bethel. &c. Accurrite ô vaccæ ad pinguia veſtra paſcua in Bethel, vitulamini iſtic cum vitulis veſtris aureis, & cum aliis idolis in Galgalis. Satiate vos victimis, quas manè & veſperè, inſtar iugis ſacrificij à me inſtituti, offerre ipſis conſueuiſtis; ditate vos decimis, quas tribus ſolemnioribus anni diebus ſimiæ Iudæorum, veſtra ad idola affertis, vti olim ad me in Templum Solymitanum litare ſolebatis. * Prauum vſum in rectum conuertere, pium quidem eſt: rectum verò vſum ad prauum transferre, intolerabilis eſt iniquitas, de qua merito queritur Dominus.] *Et ſacrificate de fermentato laudem, &c.* Sacrificium laudis, ſeu gratiarum actionis, quod mihi, ex præſcripto meo, non poteſt niſi ex azymo litari, vos veſtris idolis ex fermentato offerte: & indicite, & inclamate, vt vndique vobis afferant voluntarias oblationes, quales frequenter mei fideles ſolent Solymitano in Templo mihi offerre. *Leu. 7.16.*

Bonũ vſum in malũ trãſferre, intolerabilis eſt iniquitas.

2.

Taxat Iſraëlitas, quod variis plagis vulnerati, ad Dominum non redierunt.

Verſ. 6. 7. 8. Vndè & ego dedi vobis ſtuporem dentium in cunctis Vrbibus veſtris, &c. Vt ego vos ab impia illa vitulorum religione deducerem, à qua abundantiam, & ſalutem expectabatis: feci vt votis veſtris contraria omninò acciderent. Quare dedi vobis dentium ſtuporem, ne poſſetis etiam in ſumma abundantia veſci ſine dolore ac faſtidio cibis. Abfuit itaque in ciborum copia edendi facultas, quod idem eſt, ac ſi fame extrema vos perire feciſſem. * In ciborum abundantia fame premi, miſerrimum eſſe ſtatum, quis non ſciat? O Sacerdos, qui in panis Euchariſtici domo famelicus habitas ob impios mores, ob auſus ſacrilegos, queis indignè aſſidere ſacerrimæ menſæ non vereris, tuam vicem quis non doleat, videns in panis abundantia ob ſtuporem dentium fame deperire?] *Ego quoque prohibui à vobis imbrem, &c.* Cum adhuc ad meſſem tres menſes ſupereſſent, pluuiam ſerotinam prohibui: quod non accidiſſe fortuito, ex eo vobis conſtare poteſt, quia Ciuitatem vnam largo imbre madefeci, ad alteram nulla pluuiæ cæleſtis influxit ſtilla. Vnde pars telluris vna abundanter commaduit, altera ſiti exaruit. * Hinc diſce qui ex agri victitas prouentibus à peccato abſtinere; ex Deo enim propitio fructuum

Prauus Sacerdos in abundãtia Euchariſtici panis fame perit.

Ex Deo propitio frugum prouenit abundantia.

frűctuum prouenit abundantia.] *Et venerunt duæ, & tres Ciuitates ad vnam Ciuitatem, &c.* Non ſolùm aqua cæleſtis defuit, quæ irrigaret agros: ſed pluuialis in ciſternis collecta, quæ hominum, ac pecorum ſitim expleret. Vndè premente ſiti homines ad alienas ciſternas pergebant: neque tantum illis à Ciuitate compluta aquæ propinabatur, quantum erat ad ſitim extinguendam ſufficiens. Neque tamen cum iſtæ tam grauiter vrgerent incommoda, ad me rediiſtis.* Hinc collegerim, omnia, queis Chriſticolæ premuntur, incommoda, bella, famem peſtem, paupertatem nobis à Dei miſeratione prouenire, vt ad ſe nos alliciat, qui ſolus poteſt his ægritudinibus mederi.]

Labores Deus nobis immittit, vt ad ſe alliciat, qui ſolus poteſt nos ab eis liberare.

Verſ. 9. 10. Percuſſi vos in vento vrenti, &c. At ſi acceperunt agri ſerotinæ pluuiæ beneficium, frugeſque ad culmum adductæ fuerunt: feci, vt ventus perflaret vrens, qui aurigine, ſeu vredine feſtinantes iam ad maturitatem fructus excoqueret, & agricolarum expectationem eluderet. Neque hoſtis, ac vineis ſua calamitas defuit. Miſi enim erucam, quæ hortos corroderet, quæ vineas, olivеta, ficetaque veſtra perderet. Neque tamen tot affecti malis, inſania idololatriæ damnata, ad me rediiſtis. *Miſi in vos mortem in via Ægypti, &c.* Poſt ingentem illam cladem, qua cæſus fuit à Syris totus Iſraëlitarum exercitus (4. *Reg.* 13.) aër cadauerum putredine infectus peſtem ſuperſtitibus afflauit, *ſicut in via Ægypti*, id eſt, iuxta modum, quo in Ægypto contigit, vbi, agente Moyſe, peſtis exarſit tam grauis, vt ea extincti fuerint non ſolùm homines, ſed & equi, aſini, cameli, reliquaque Ægypti animantia. Qui itaque inter vos pollebant robore, confecti ſunt gladio, capti ſunt, ac interfecti equi, & teterrimus ex putridis cadaueribus odor veſtras nares affluit. Neque tamen hæc grauiſſima plaga perfecit, vt ad me quærendum, gradum reuocaretis.

Verſ. 11. 12. 13. Subuerti vos, ſicut ſubuertit Deus Sodomam, &c. Demum ſic eſtis à me iactati, atque ſubuerſi, quam Sodoma olim ſubuerſa fuit: neque aliam ſpeciem à dita vexatione retuliſtis, quam habet lignum, quod à flamma vſtulatum eripitur. Neque tamen tam ignominioſa plaga vos ad patriam religionem reduxit. *Quapropter hac faciam tibi, Iſrael, &c.* Siquidem ſuperiores hæ plagæ non te adduxerunt, vt fidem reſumeres, illaque tibi iam anteà minatus ſum ſæpè, ſupplicia experieris. Attamen non adeò te procul à me abiiciam ô Iſraël, vt non etiam te ſerio pœnitentem benignus amplectar. Quare poſtquam te duris hiſce plagis vulnerauerim, præparare, vt mihi iam beneuolo gratus occurras. * Hæc vis ſeriæ eſt pœnitentiæ, vt vel ingratus animos, à quo Deus longiſſimè recedit ingratus ſcilicet huius vitij inimicus, facillimè ad ſe valeat eum reuocare.] *Quia ecce formans montes, & creans ventum, &c.* Præpara, inquam, te ô Iſraël, vt occurras Domino Deo tuo, à quo ſperare potes, quæ deſideres, omnia. Ipſe enim eſt non ſicut idola à te adorata, quæ muta ſunt, in quibus nihil ſpiritus inuenitur: ſed viuus, & potens rerum cunctarum auctor: à quo montium vertices fuere exaltatæ: à quo animantes omnes habent, quod ſint, & viuant: qui ſua conſilia multo ante prænunciat, & illorum fidem rerum ipſorum euentu confirmat: qui nebulam creat, & matutinum rorem; qui quæ in terra excelſa ſunt dominanti greſſu percurrit: ille denique eſt, qui Dominus virtutum, atque exercituum appellatur.

Tanta eſt vis pœnitentiæ, vt vel ingratos ad Deum reconciliet.

CAPVT V.

Extremum, imò æternum Iſraëlitici Regni plangit ob enormia ſcelera excidium. Ad pœnitentiam tamen, vt id auertant, omnes hortatur.

1. AVDITE verbum iſtud, quod ego leuo ſuper vos planctum:
Domus Iſraël cecidit, & non abiiciet vt reſurgat. 2. Vir-
go Iſraël proiecta eſt in terram ſuam, non eſt qui ſuſcitet
eam. 3. Quia hæc dicit Dominus Deus: Vrbs de qua egre-
diebantur mille, relinquentur in ea centum: & de qua egre-
diebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Iſ-
raël. 4. Quia hæc dicit Dominus domui Iſraël: Quærite
me, & viuetis. 5. Et nolite quærere Bethel, & in Galgalam nolite intrare, & in
Berſabee non tranſibitis: quia Galgala captiua ducetur, & Bethel erit inutilis.
6. Quærite Dominum, & viuite: ne forte comburatur vt ignis domus Ioſeph, &
deuorabit, & non erit qui extinguat Bethel. 7. Qui conuertitis in abſynthium
iudicium, & iuſtitiam in terra relinquitis. 8. Facientem Arcturum & Orionem,
& conuertentem in manè tenebras, & diem in noctem mutantem: qui vocat aquas
maris, & effundit eas ſuper faciem terræ: Dominus nomen eſt eius. 9. Qui ſubri-
det vaſtitatem ſuper robuſtum, & depopulationem ſuper potentem affert.
10. Odio habuerunt corripientem in porta: & loquentem perfectè abominati ſunt.
11. Idcircò, pro eo quòd diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab
eo:

eo: domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis
amantiſſimas, & non bibetis vinum earum: 12. Quia cognoui multa ſcelera ve-
ſtra, & fortia peccata veſtra: hoſtes iuſti accipientes munus, & pauperes depri-
mentes in porta: 13. Ideò prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum eſt.
14 Quærite bonum, & non malum, vt viuatis: & erit Dominus Deus exerci-
tuum vobiſcum, ſicut dixiſtis. 15. Odite malum, & diligite bonum, & conſti-
tuite in porta iudicium: ſi fortè miſereatur Dominus Deus exercituum reliquiis
Ioſeph. 16. Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator: in om-
nibus plateis planctus: & in cunctis, quæ foris ſunt, dicetur væ væ: & vocabunt
agricolam ad luctum, & ad planctum eos qui ſciunt plangere. 17. Et in omni-
bus vineis erit planctus, quia pertranſibo in medio tui, dicit Dominus. 18. Væ,
deſiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? dies Domini iſta, tenebræ:
& non lux. 19. Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus,
& ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum
coluber. 20. Numquid non tenebræ dies Domini, & non lux: & caligo, & non
ſplendor in ea? 21. Odi, & proieci feſtiuitates veſtras: & non capiam odorem cœ-
tuum veſtrorum. 22. Quòd ſi obtuleritis mihi holocautomata, & munera veſtra,
non ſuſcipiam: & vota pinguium veſtrorum non reſpiciam. 23. Aufer à me tumul-
tum carminum tuorum: & cantica lyræ tuæ non audiam. 24. Et reuelabitur quaſi
aqua iudicium & iuſtitia quaſi torrens fortis. 25. Numquid hoſtias & ſacrificium
obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis, domus Iſrael? 26. Et portaſtis ta-
bernaculum Moloch veſtro, & imaginem idolorum veſtrorum, ſidus dei veſtri, quæ
feciſtis vobis. 27. Et migrare vos faciam trans Damaſcum, dicit Dominus, Deus
exercituum nomen eius.

COMMENTARII.

1. *Extremum Iſraeliticæ Regni plangit excidium.*

VERS. 1. 2. 3. 4. *Audite verbum iſtud, quod ego leuo ſuper vos planctum, &c.* O Iſraelitæ lugubre hoc carmen, quod ſumo de vobis, (ſic Tigurina) erit ſepulcri Regni veſtri epitaphium. Decem Tribuum Regnum exciſum ab Aſſyriis, nunquam reſurget. Semel enim Iſraëlitæ in Aſſyriam abducti, & per vicinam Mediam, & Armeniam diſperſi, nunqoam vlterius in vnam Rempublicam coaluere, nec in patriam fuere reuerſi, niſi pauci, qui ſe Tribui Iudæ inſeruerant. * Nam felicitatis, aut infelicitatis particeps fit, qui bonis, aut prauis ſociis hæreſcit.] *Virgo Iſrael proiecta eſt in terram ſuam, non eſt, qui ſuſcitet eam.* Talem aſpicio Regnum Iſraël in terra ſua, qualis eſt puella, quæ recens à puerperio in materni ſanguinis relicta eſt volutabro: neque adeſt vllus, qui illam breui in illo ſtatu perituram è terra eleuare feſtinet. *Quia hæc dicit Dominus Deus: Vrbs, de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum, &c.* Quia, vt à Domino accepi, ſic Iſraëliticum attereretur Imperium, vt in Ciuitatibus ſingulis tantum decimus quiſque relinquatur: vbi ſcilicet, mille, centum: & vbi centum, ibi decem futori ſint reliqui. * Quod quidem ad ſalutis æternæ negotium ſi accommodare lubeat, ex mille hominibus bis centum: ex centum autem bis decem liberos ab æterno exitio reperies. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.*] *Quia hæc dicit Dominus domui Iſrael: Quærite me, & viuetis:* Verumtamen ô Iſraëlitæ, vale dicite inſano idolorum cultui, & me quærite: vobis non inuitus, ſed volens, ſed inſtar benigniſſimi patris, placidus vo-

Fit particeps felicitatis, aut infelicitatis, qui probis, aut prauis sociis hæreſcit.

Quàm pauci ſaluantur, ſi eos cum damnandorū turba referas.

R.P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. to. VII. p. I.

bis obuiam procedam: & vitam, cui iam ſupremus dies imminet, aſſeruabitis. * Verè etenim pœnitenti faciliimus eſt ad Deum & ad vitam recurſus.]

Pœnitenti facilis eſt ad Deum, & ad vitam recurſus.

Verſ. 5. 6. 7. Et nolite quærere Bethel, &c. Si ſapitis, non accederis ad Bethel, ad Galgalam, ad Berſabee, vt iſtic idola colatis. Galgala enim etſi Tribus, ac ſortis Iuda, tamen propter viciniam decem Tribuum idolis adhæſit: & ſic diuina prouidentia etiam cum decem Tribubus erit excindenda. * O quàm noxia eſt iuſtis impiorum ſocietas!) Et Bethel, quæ Domum Dei ſignificat, erit *in Auen* (ſic Hebr.) id eſt, erit nihili, erit domus inutilis, vacua & inanis. * Non dixit: Ne colatis idola in Bethel, & in Galgalis, ſed, *Nolite quærere Bethel, & in Galgalam nolite intrare.* Quia loca ipſa, vbi adeſt delinquendi periculum cordato ſunt, fugienda.] *Quærite Dominum, & viuite, &c.* Vitam ageris vere vitalem, ſi requiratis Deum: cum itaque quærite: nè ſi aliud vobis patrocinium ambieritis, domus Ioſeph, id eſt, decem Tribuum: graſſante incendio, in fauillam auolet: quia ignem à Deo immiſſum, nulla vis humana reſtinguet. *Qui conuertitis in abſynthium iudicium) &c.* Nec mirum ſi vobis excidiunt intentem, cum multò aliter viuatis, quàm officij, aut iudicij ratio requirit. Nam pro ſanctitate imperatam diligitis, & iniuſtitiam, quæ vobis inſtar erunt abſynthij, dum me in caput veſtrum durum eſſe, & amarum efficient. Iniuſtitia igitur *abſynthium* apellant appoſitè. Omnia enim iniquitas, quæ dulcia apparet delinquenti, vere amaritudinem auri operculo continet.]

Noxia eſt admodū iuſti impiorū ſocietas.

Loca, vbi adeſt peccandi periculum, fugienda.

Omnē peccatorum amaritudinē auri operculo cōtinet.

Verſ. 8. 9. 10. Facientem Arcturum, & Orionem, &c. Cur quæritis ô filij Iſraël idola vacua, & inutilia prorſus: & relinquitis illum, à cuius omnipotenti manu rerum vniuerſitas fuit excitata. Ab illo Arcturus & Orion habent,

quod in cælis ſplendeant. A quo fieri poteſt, vt matutina lux vertatur in noctem, & nox in matutinam lucem conuerſa, repentè refulgeat. Qui à mari aquas amaras euocat, redditque dulces, eaſque ad terræ effundit fœcunditatem. Cui *Dominus* eſt nomen. *Qui ſubridet vaſtitatem ſuper robuſtum, &c.* Cui ea eſt fortitudo, quaſi ludens in orbe terrarum, Ciuitates euertat, quas robuſtorum hominum præſidia tuentur: neque maiori labore virum potentem, qui ſe ab aliis haud ſuperari poſſe putabat, deiiciet, & euertet. *Odio habuerunt corripientem in porta &c.* Nec immeritò quaſi ludens & ridens potentes illorum comminui: quia hi non ſolum ludibriu habuerunt, ſed & odio proſequuti ſunt tam Prophetas, quàm alios, qui legitimè prauos mores ipſorum in porta, vbi frequentes hominum ad iudicia conuentus, corripiebant. * Ad Iudices enim attinet publicos ciuium exceſſus corrigere.]

Officium Iudicũ eſt publica peccata corripere.

Verſ. 11. 12. *Idcirco pro eo, quod diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo, &c.* Quapropter vos, qui quod ſuo labore parauit inops, ad vſus veſtros per vim, & calumniam auertiſtis: ædificabitis domos quadrato lapide ad firmitatem inſtructas: nec tamen vobis habitaculum exhibebunt, quia hoſtium cedent poteſtati. Neque ex vineis quas nobili ſurculo plantaſtis, vinum exprimetis: & ſi quod forſitam fuerit expreſſum, haurient alieni. * Ex opibus expilatione pauperum acquiſitis nullus fructus, infallibile damnum.] *Quia cognoui multa ſcelera veſtra, & fortia peccata veſtra, &c.* Perſpexi (ad Magiſtratus, & Iudices ait Dominus) ſcelera veſtra numero plurima, grauiſſima genere, qualia ab illis, qui robuſti ſunt in peccando, aſſolent perpetrari. Sic enim eſtis in pauperes ac iuſtos animati, quaſi vobis cum illis eſſet hoſtile diſſidium: qui largitionibus iudicia corrumpitis, & in publico portæ iudiciariæ conſeſſu inopem venali ſententia condemnatis.

Ex opibus pauperũ expilatione acquiſitis, nullus fructus.

Verſ. 13. 14. *Ideò prudens in tempore ille tacebit, &c.* Idcircò Prophetæ prudenter agent, ſi cum videant tempus inſtare malum, & exitium ab hoſte, neque ab obſtinatis animis aliquid mentis melioris poſſe ſperari: ſilentium in eo rerum articulo teneant; ne ſine vllo laboris pretio verba ſacra diſperdant. * Profectò extremũ peccatrici Vrbi inſtabit ſupplicium, cum tempus acciderit, in quo prudenter ſe gerant Concionatores, omninò tacendo: cum à Paulo didicerint: *Inſta opportunè, importunè argue, increpa.* Et à Propheta. *Clama, ne ceſſes.*] *Quærite bonum, &c.* O viri Iſraëlitæ mala declinate, amplectimini recta: & tunc vobis talis vitæ modus obtinget, qualis à prudente poteſt expeti. Tunc Deus vobiſcum erit, *ſicut dixiſtis,* Chald. *ſicut optaſtis.* Vel ſicut dixiſtis ſæpè Deum fore ſemper vobiſcum, quia filij Abrahæ eſtis.

Extremum exitium Vrbi paratur, cum Cõcionatores Dei moniti, aut inſtinctu tacent, nec ſcelera corripiunt.

2. *Verſ.* 15. 16. 17. *Odite malum, & diligite bonum, & conſtituite in porta iudicium, &c.* Ad honeſtatem animus à vitiis conuertite: iudicatiis portis æquitatem quæ diu exularat, reſtituite. Fortè miſerebitur Dominus Ioſephi filiis, qui ex tot hoſtium plagis fuere ſuperſtites. *Proptereà hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator, &c.* Luctus erit vobis (ait iratus Dominus omnium rerum moderator excelſus) in breui in omnium Vrbium veſtrarum plateis: & etiam in vicis, & villis, quæ foris adſunt. Nam etiam agricolas euocabunt ad luctum, & quotquot ſciunt, ſeu poſſunt plangere. Ac ſi diceret: Vniuerſalis erit clades, & omnes plangent, & à minimo ad maximum væ væ proferentes, vlulabunt. * Itaque illud. *Qui ſciunt plangere,* idem eſt, quod omnes ciues. Omnes enim Adæ filij plangere ſcimus in lacrymarum valle degentes.] *Et in omnibus vineis erit planctus, &c.* Neque ſolùm in locis frequentibus erit planctus: ſed etiam extra ciuitatem in vineis: quia in illis quoque hoſtilis graſſabitur furor, quem Dominus ipſe belli Dux, & auctor inducet. * An hoſtes materialiter ad deſtruendas vineas irrumpent? Crediderim, non ſic excidendas ab hoſte: ſed quia impendia ad bellum neceſſaria ſpeciatim ab agricolis exiguntur: vnde non habentes quid cultui vinearum impendant, eas omninò ſinunt exiccari, & deſtrui.]

Ut auertat Iſraël ſupplicium, eum ad pœnitentiam hortatur.

Omnes homines plangere ſcimus, in lacrymarum valle viuentes.

Nimia Tributorum exactio agricolarum vineas, meſſeſque deperdit.

Verſ. 18. 19. 20. *Væ deſiderantibus diem Domini, &c.* Væ illis, qui expetere ſe iactant diem Domini, quem horribilem clamant fore Prophetæ: quaſi eorum minæ aliquid ſit inane, ac nugatorium. Porrò non eſt, cur diem illum tantopere aduentare cupiant, cum nihil ab ea habituri ſint amplius, quàm horrorem, & tenebras. * Qui verè iuſtus eſt, horret quidem cum illius diei, in quo rationem eſt de rectè aut prauè geſtis Deo redditurus, recordatur. Tunc enim D. Thoma aſſerente *iuſtus vix erit ſecurus.*] *Quomodò ſi fugiat vir a facie leonis, & occurrat ei vrſus, &c.* Hic quocumque ſe animo vertat, nihil à periculo vacuum inueniet: & cum vnum velit declinare malum, aliud incurret. Quomodò ſi aliquis effugere leonem velit, quem frementem audit, & in vrſum incurrat: & vrſum declinans, currat ad domum: & dum parietem apprehendit, quem ſaltu ſuperet, ibi mordeatur ab aſpide, quæ in cauerna maceriæ latitabat. En ſucceſſum eorum, qui diem Domini expetere ſe iactitant. *Numquid non tenebræ dies Domini, & non lux, &c.* Numquid non verum exiſtimabitis, quod nuper accepiſtis: ſtatum veſtrum miſerum appellari poſſe caliginem, in quo nullibi aliquid occurrit non obſcurum, non amarum, non horribile? * Et quomodo in ſtatu peccati poterat aliquid eſſe iucundum?]

Iuſtus pauet cum iudicij diei recordatur.

In ſtatu peccati nihil poteſt eſſe iucundum.

Verſ. 21. 22. *Odi, & proieci feſtiuitates veſtras, &c.* Neque eſt, cur propter feſtiuitates veſtras, aut victimarum ſeu aromatum frequentiam, aliquid lucis expectetis: iam enim hæc abominatus ſum, & tanquam aliquid tetrum, & moleſtum abieci: ſolemnitates veſtras minimè probo, & ſuffimenta, quæ in cœtibus adoletis, grauem mihi halitum aſpirant. *Quod ſi obtuleritis mihi holocauſtomata, & munera veſtra, &c.* Quod ſi vel in altaribus, quæ extra Templum in finibus veſtris extruxiſtis, vel in ipſo Solymitano Templo obtuleritis holocauſta, propitius non admittam: neque reſpiciam ſacrificia veſtra, quantumcumque pinguia ſint, & ſacris obeundis idonea.

Verſ. 23. 24. *Aufer à me tumultum carminum tuorum, &c.* Quos tu cantus numeroſos eſſe putas ac dulces, ego pugnantium, vel rixantium tumultus interpretor: vnde nec cantico aures exhibebo, nec citharæ aut lyræ ſonitum

Preces illius, qui tenaciter crimini adhæret, Dei auribus iniucundè ſonant.

percipi

percipiam. Preces enim eorum, qui tenaciter ſceleri adhærent, Dei auribus iniucundè perſonant.] *Et reuelabitur quaſi aqua iudicium, & iuſtitia quaſi torrens fortis.* Cito comparebit, & deuoluetur ſuper capita veſtra iudicium meum, & ex iudicio emanans ſupplicium: ſicut emanat, & prorumpit ingens vis aquæ è fonte prius occluſo, & obturato, vel ex aggeribus ante coarcto torrente. * Iræ enim diuinæ torrens, quem Dei diù patientia repreſſit, vberiori demum aquarum vi obruit peccatorem.]

Poſt diuturnam Dei patientiam grauius ſupplicium peccatori paratur.

Verſ. 25. Numquid hoſtias, & ſacrificium obtuliſtis mihi, &c. Nec puteris me veſtris ſacrificiis indigere, cùm quadraginta annis illis caruerim peregrinantibus vobis in deſerto. Nulla enim vnquam die poſt dedicatum in Sinaï tabernaculum certi erant Iſraëlitæ de ſtabili aliqua manſione in deſerto: ſed omni hora ad motum columnæ nubis parati eſſe debebant ad mouenda caſtra. Vndè non integrum eis erat pro decentia vel victimas parare, vel ad ſacrificandum concurrere. * Vt ediſcas, quam indecenter ad offerendum verum Agnum in Euchariſtico ſacrificio non prius aptè præparatus accedat: ſi ad typicam victimarum oblationem auſi non fuere Hebræi ſine diuturna præparatione, qua carebant, ſe in deſerto accingere!]

Indecenter ad Euchariſtiæ ſacrificiũ ſine diuturna præparatione acceditur.

Verſ. 26. 27. Et portaſtis tabernaculum Moloch veſtro, &c. Interim tamèn ſat ſpatij, ſat otij, ſat animi vobis erat, ad portandum tabernaculum Moloch, victimaſque illi litandum. Hoc quidem Scriptura ibi non commemorat: ex hoc tamen loco, & ex S. Stephani narratione *Act.* 7. cui ex maiorum traditione, vel ex diuina reuelatione id innotuit, certiſſimum eſt, ita accidiſſe. Deportaſtis item alia plurima inanium deorum ſimulacra: & ſidus *Rephan*, quæ omnia ſuis ſibi manibus veſtri maiores fabricarunt. Exiſtimo ex Hebræorum mente hunc *Rephan* fuiſſe Veneris ſtellam, quæ manè præiens ſolem *Lucifer*, veſpere ſequens *Heſperus* vocitarunt. Quæ quidem ab Ægyptiis, Phœnicibus, Aſſyriis, & Syris deorum numero erat adſcripta. Vndè & ab Hebræis ex Ægypto procedentibus Lucifer fuit in deſerto cultus, quaſi dux itineris in terram promiſſam idque in columnæ ignis, ac nubis deſpectum. *Et migrare vos faciam trans Damaſcum, &c.* Quare cum neque veſtra, neque parentum merita aut leniant offenſionem, aut iram retardent: vltra Damaſcum in terras longiſſimè diſſitas captiuos abducam. Hæc quidem ſunt verba, Domini, qui Deus vocatur exercituum, cuius potentiæ nemo valet obſiſtere.

CAPVT VI.

Inuehitur in Iſraëlis optimates ex rapinis diuites. Vndè iurat, illos funditus euertendos.

1\. VÆ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Sa-
mariæ: optimates capita populorum, ingredientes pom-
paticè domum Iſrael. 2. Tranſite in Chalane, & videte,
& ite inde in Emath magnam, & deſcendite in Geth Palæ-
ſtinorum, & ad optima quæque regna horum: ſi latior
terminus eorum termino veſtro eſt. 3. Qui ſeparati eſtis in
diem malum: & appropinquatis ſolio iniquitatis. 4. Qui
dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris: qui comeditis agnum de
grege, & vitulos de medio armenti. 5. Qui canitis ad vocem pſalterij: ſicut
Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici. 6. Bibentes vinum in phialis, & op-
timo vnguento delibuti: & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph. 7. Qua-
propter nunc migrabunt in capite tranſmigrantium: & auferetur factio laſci-
uientium. 8. Iurauit Dominus Deus in anima ſua, dicit Dominus Deus exer-
cituum: Deteſtor ego ſuperbiam Iacob, & domos eius odi, & tradam ciuitatem
cum habitatoribus ſuis. 9. Quòd ſi reliqui fuerint decem viri in domo vna, &
ipſi morientur. 10. Et tollet eum propinquus ſuus, & comburet eum; vt efferat
oſſa de domo: & dicet ei, qui in penetralibus domus eſt: Numquid adhuc eſt pe-
nes te? 11. Et reſpondebit Finis eſt. Et dicet ei: Tace, & non recorderis nomi-
ni. 12. Quia ecce Dominus mandabit, & percutiet domum maiorem ruinis, &
domum minorem ſciſſionibus. 13. Numquid currere queunt in petris equi, aut
arari poteſt in bubalis, quoniam conuertiſtis in amaritudinem iudicium, & fru-
ctum iuſtitiæ in abſynthium? 14. Qui lætamini in nihilo: qui dicitis: Numquid
non in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua? 15. Ecce enim ſuſcitabo
ſuper vos domus Iſraël, dicit Dominus Deus exercituum, gentem: & conteret vos
ab introitu Emath, vſque ad torrentem deſerti.

COMMENTARII.

1. *In Optimates Iſraëlis inuehitur.*

VERS. 1. *Væ qui opulenti eſtis in Sion, &c.* Væ vobis, qui affluentes opibus delicate ac molliter viuitis in Sion, quæ duarum Tribuum caput eſt, & præſidium. Væ item vobis, quibus Samariæ montes ſpiritus addunt, & audaciam, quaſi nunquam eo aduerſaria potentia valeat aſpirare. Qui tanquam populorum Principes cum ambitioſo faſtu inter Iſraëlitas, ſuperbum aliquid ſpirantes, inceditis. * Hebræum vocabulum השאננים *haſſcaananim* non ſolum ſignificat *opulentos* ſed etiam *ſecuros* indéque *inſolentes*. Influunt enim opes animo diuitum diuturnæ vitæ ſecuritatem, & conſequenter inſolentiam morum. Obliuio enim mortis facit homines inſoleſcere, & opibus vti ad aliorum deſpectum, & ad captandas vel difficiles voluptates.]

Mortis obliuio influit diuitibus animorum inſolentiam.

Verſ. 2. 3. Tranſite in Chalane, & videte, &c. Et vt agnoſcatis non ſolum vos ingratos eſſe largitori, ſed ſtupidos, luſtrate alias regiones, quæ ab hominibus habentur illuſtres: & videte, an aliqua earum cum veſtra vobis à me dedita valeat aut amplitudine, aut vbertate, aut ſpecie comparari. Tranſite ad Chalanè, quæ in tractu Babyloniæ eſt nobiliſſima inde ad Emath, quæ terram veſtram à plaga Aquilonari definit: tandem ad Geth, quæ in campo Paleſtinæ eſt illuſtriſſima: & quanto ſit nobilior regio, quam meo beneficio poſſidetis, expendite. *Qui ſeparati eſtis in diem malum, &c.* At ea eſt vitæ veſtræ peruerſitas, vt vobis hæc tot nominibus commendata regio ſit deſerenda. Dum enim eius deliciis, ac commodis abuſi, cupiditati veſtræ intemperanter indulgetis, id eſtis mercedis conſecuti, vt in diem malum, nempè in direptionem, exilium, & ferrum ſeparemini, tanquam victimæ è grege cultro deſtinatæ. Et tamen adhuc portas frequentatis, & in ſolio ſedetis: vnde iniquè iudicando, id ſcelerum contraxiſtis, quod vaſtitatem vobis, exiliumque peperit. *. Annotans Deum Iſraëlitis exprobrare, quod optima in regione nati, ſe largitori prauè viuendo ingratos ſe oſtendant, recognoſco, haud vulgare Dei eſſe beneficium ab illuſtri, aut nobili regione ortum habere. Quod quidem beneficium video à cunctis agnoſci, ſed à paucis gratias cœleſti largitori referri.]

Gratos ſe oſtēdāt Deo, qui ex nobili regione ortum ducunt.

Verſ. 4. 5. 6. Qui dormitis in lectis eburneis, &c. Cubatis in lectis ebore, alioque ſuperbo, ac ſuperfluo ornatu decoratis: & in tricliniis menſalibus omni genere pretioſorum ſtragulorum inſtratis gulæ ac laſciuiæ indulgetis, ex rapinis, & ſanguine pauperum ſplendidè conuiuantes: menſæ enim de agricolarum pauperum grege agnum pinguem, & de armento vitulum adhibetis. *Qui canitis ad vocem pſalterij, &c.* Quibus ſatis non eſt, exquiſitis cibis gulam explere, ſed prurientes etiam aures carmine mulcetis, & cum citharæ numeroſo cantu humanam quoque vocem ſociatis. Et quidem iſti ſibi ſtulta cogitatione blandiuntur, & licere ſibi putant, inter pocula muſicorum organa adhibere: quia in Dauide audiunt, illud eſſe commentatum. Cum tamen Dauid id gereret, ad diuinas laudes celebrandas: hi verò inter dapes, & pocula in media ebrioſorum turba ad animos laſciuientes oblectandum. * Inter dapes taxabilis muſica, quæ ſolùm diuinis celebrandis laudibus ſacrari deberet: præcipue cum ſacerrimum Euchariſtiæ epulum fidelibus exponitur.] *Bibentes vinum in phialis, &c.* Ne vllus ſenſus à ſua voluptate vacaret, ad vinum in phialis largè diffuſum gratiſſimus vnguentorum odor accedebat, quibus conuiuæ inungebantur. Nec ad eorum mentem occurrebat, quid intereà incommodi, famis, ac egentiæ Ioſeph, id eſt, decem Tribus paterentur, quæ partim iam dudum vexatæ fuerant, partim eadem incommoda ab hoſte vicino poterant formidare. * Hinc ſubtaxantur diuitum crudelitas qui abundantia potiti, inopum miſeriæ non recordantur.]

Profana in menſa muſica reprehenditur in Euchariſtico epulo commendatur.

Diuites in abundantia propriâ minimè recordantur egeſtatis.

Verſ. 7. 8. 9. Quapropter nunc migrabunt in 2.
capite tranſmigrantium, &c. Ideò hi, qui primi ſunt opibus, omnium primi captiuitatis ſubibunt incommoda & qui in captandis deliciis in vnum conſilium conſpirarunt, pariter in exilium abducentur: vt quorum vna fuit intemperantia, vna ſit pœna. * Haud aliter ad tartarum raptores cum raptoribus laſciui cum laſciuis, &c. redacti ad faſciculos immittentur.] *Iurauit Dominus Deus in anima ſua, &c.* Hoc ipſum Deus iuramento per animam ſuam, ſeu per ſe ipſum interpoſito: dicens, abominationi ſibi eſſe ſuperbos Iſraëlitarum, ambitioſoſque faſtus, & domos ad ſtultam gloriam, ac laſciuiam exædificatas. Vndè concludit Ciuitatem inſanis ædificiorum molibus inſolentem cum ſuis habitatoribus inimicorum manibus eſſe tradendam. * Et quando ſuperbiam ſecuta deiectio non fuit?] *Quod ſi reliqui fuerint decem viri in domo vna, & ij ſi morientur.* Si contigerit autem, ex vna cognatione ſeu familia decem inimicorum ferrum effugere; haud ipſi diu ſuperſtites erunt; aut enim fames, aut peſtis, aut dirior aliqua calamitas illos extinguet.

Exitium diuitibus hic prædicit.

Raptores cum raptoribus, laſciui cum laſciuis redacti in faſciculos emittentur ad tartarum.

Superbiam nunquam nō deiectio ſequitur.

Verſ. 10. 11. Et tollet eum propinquus ſuus, &c. Tunc propinquus illius veniet, vt cadaueri impendat extremum funeris honorem: & igne comburat, vt cineres in honeſto loco ſepeliat. Hic dicet illi, qui fortè in interiori domo eſt, an aliquid præterea ſuperſit, quo foras exerat, vt id ſimili funeris pietate proſequatur. *Et reſpondebit: Finis eſt, &c.* Cumque ille reſponderit, ſupereſſe neminem aut mortuum, qui producat, & cremet, aut viuum, qui in illis latebris mortem effugiat: iubebit illi rurſus propinquus, cum ex mœrore, & indignatione aliquid impium in Deum tantæ cladis auctorem dicturus videretur, vt ſileat: neque contra Deum impiam linguam exerat. * Taxentur hinc, qui morte filij, aut ex ſimili tribulatione affecti mœrore ſtulto contra Deum audent ineptas querelas excitare.]

Taxentur, qui aliqua affecti tribulatione contrà Deum ſtultas excitant querelas.

Verſ. 12. 13. Quia ecce Dominus mandauit, &c. Porrò ſi contra Deum aliquid indecorum, aut blaſphemum quis audeat iactare: à maledica lingua Deus prouocatus, ſic delebit Ciuitatem, vt domum aut amplam, aut humilem non relinquat, quin omninò ſternat. * Ob vnum ciuem blaſphemum Deus toti Vrbi minatur excidium. Vt ediſcas, ſingularia cuiuſuis ſcelera communitati eſſe exitialia.] *Numquid currere queunt in petris equi, &c.* Præpoſteræ laboratis

Ob ſingulare vnius ciuis crimen. Deus communitatem totā ſæpè percutit.

boratis ô Iſraëlitæ, cum ex cultu idolorum, ex rapinis paupero, quos in iudicio amaritudine afficitis, ex aliiſque ſceletibus vos, veſtramque Rempublicam augere, & ſtabilire conamini. Perinde enim agitis, ac ſi in præruptam rupem aut equum ad curſum, aut ad arandum boues incitaretis: quod non modo inutile, ſed & noxium omninò fore quis non videat? Credant Principes, eorumque conſiliarij, ſe Regno exitium præparare, quoties ex Eccleſiæ, vel pauperum bonis intendunt aut bellorum ſumptibus ſuccurrere, aut aliis Regni incommodis ſubuenire.]

Regnorum exitium parat, qui curat bonis Eccleſiæ, aut pauperum belli ſumptibus prouidere.

Verſ. 14. 15. *Qui lætamini in nihilo, &c.* Ad veſtram iniquitatem accedit, quod idolis diuinos honores impenditis, & in eorum locis ac delubris feſtiuos dies ducitis. Quod denique potentiam vobis arrogatis: & quod intolerabilioris eſt inſolentiæ, non ab alio eam, quam à vobis ipſis & habuiſſe quondam, & nunc habere libere prædicetis. *Ecce enim ſuſcitabo ſuper vos, domus Iſrael, &c.* Vt igitur tot hæc ſcelera puniam, & experiamini à vobis nihil vobis ineſſe potentiæ: Excitabo (ait Dominus exercituum) aduerſum vos inimicam gentem, quæ tanquam imbelles conterat: & quidquid veſtris viribus acquiſitum ſuperbè iactabatis ab vltimis vſque finibus eripiat, ab ingreſſu Emath vſque ad torrentem Ægypti, qui terram promiſſionis ab Aquilonari ac Auſtrali plaga definiunt, id eſt, ab vna extremitate patriæ veſtræ vſque ad alteram, vos Deus per Chaldæos & Aſſyrios comminuet. Porrò Emath *magna* (dicitur ſic *verſ.* 2. ad diſtinctionem Emath minoris, quæ alio nomine Reblatha dicebatur.) eſt Antiochia caput Syriæ. Quæ olim ab Antiocho eius inſtauratore ſic fuit nominata, cum anteà Emath, ſeu (vt in Hebræo eſt) *Chammat* diceretur, id eſt *Sol*, quod Solis inſtar, inter cunctas Orientis Vrbes effulgeret: tam vaſta, vt ab aliquibus Tetrapolis vocitetur, quod ambitu ſuo quatuor Ciuitates complecteretur, quarum vnam multitudo incolarum conſtruxerat, alteram Antigonus primus ab Alexandro magno Aſiæ Minoris Rex, tertiam Seleucus Callinicus, quartam Antiochus Epiphanes, à quo etiam Epiphaniæ nomen fuit ſortita.

CAPVT VII.

Amos precibus ſuis locuſtæ & ignis plagam ab Iſraële auertit, qui tamen ob replicata ſcelera in interitum ruit. Amaſias Pſeudoſacerdos conatur impedire Amos, ne in Bethel prophetet. Sed Amos illi multiplicem prædicit calamitatem: Iſraëlique captiuitatem, & excidium.

1. HÆc oſtendit mihi Dominus Deus: & ecce fictor locuſtæ
in principio germinantium ſerotini imbris, & ecce ſeroti-
nus poſt tonſionem regis. 2. Et factum eſt: cùm conſum-
maſſet comedere herbam terræ, dixi: Domine Deus propi-
tius eſto, obſecro: quis ſuſcitabit Iacob, quia paruulus
eſt? 3. Miſertus eſt Dominus ſuper hoc: Non erit, dixit
Dominus. 4. Hæc oſtendit mihi Dominus Deus: & ecce
vocabat iudicium ad ignem Dominus Deus: & deuorauit abyſſum multam, & co-
medit ſimul partem. 5. Et dixi: Domine Deus quieſce, obſecro: quis ſuſcitabit
Iacob, quia paruulus eſt? 6. Miſertus eſt Dominus ſuper hoc: Sed & iſtud non
erit, dixit Dominus Deus. 7. Hæc oſtendit mihi Dominus: & ecce Dominus
ſtans ſuper murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij. 8. Et dixit Dominus
ad me: Quid tu vides Amos? Et dixi: Trullam cæmentarij. Et dixit Dominus:
Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Iſraël: non adiiciam vltrà ſuperindu-
cere eum. 9. Et demolientur excelſa idoli, & ſanctificationes Iſrael deſolabuntur:
& conſurgam ſuper domum Ieroboam in gladio 10. Et miſit Amaſias ſacerdos
Bethel ad Ieroboam regem Iſraël, dicens: Rebellauit contra te Amos in medio do-
mus Iſraël: non poterit terra ſuſtinere vniuerſos ſermones eius. 11. Hæc enim
dicit Amos: in gladio morietur Ieroboam, & Iſraël captiuus migrabit de terra ſua.
12. Et dixit Amaſias ad Amos: Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda: & come-
de ibi panem, & prophetabis ibi. 13. Et in Bethel non adiicies vltrà vt prophe-
tes: quia ſanctificatio regis eſt, & domus regni eſt. 14. Reſponditque Amos, & di-
xit ad Amaſiam: Non ſum propheta, & non ſum filius prophetæ: ſed armentarius
ego ſum vellicans ſycomoros. 15. Et tulit me Dominus cùm ſequerer gregem: &
dixit Dominus ad me: Vade propheta ad populum meum Iſrael. 16. Et nunc au-
di verbum Domini: Tu dicis: Non prophetabis ſuper Iſrael, & non ſtillabis ſuper
domum idoli. 14. Propter hoc hæc dicit Dominus: Vxor tua in ciuitate fornica-
bitur: & filij tui & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur: & tu
in terra polluta morieris, & Iſraël captiuus migrabit de terra ſua.

COMMENTARII.

1.
A locuſta & igne metaphorica plaga Amos oratio liberat.

VERS. 1. *Hæc oſtendit mihi Dominus Deus, &c.* Cogitationi meæ Dominus ſpeciem hominis obiecit, qui fingebat locuſtarum agmina eo tempore, in quo ab imbre ſerotino terra rigatur, & fruges ſub vernum tempus: calamo germinante luxuriant. Poſtquam Aſſyriorum Rex rem Iſraëliticam magnis incommodis contudiſſet. Nempè floreſcente, & quaſi repullulante per Ieroboamum Iſraëlitarum Republica, quam variis irruptionibus detonderat, & demeſſuerat Rex Syriæ Benadad, & Hazael, infudit ſe in eam ingens exercitus. Aſſyriorum, ductore Phulbelocbo.

Verſ. 2. 3. Et factum eſt, cum conſummaſſet comedere herbam terræ, &c. Cum verò in oblato illo ſpectro conſpicerem, in fruges germinantes inuolaſſe locuſtarum agmen, & omnem regionis herbam peſtilenti morſu corroſiſſe, indolui, & haſce ad Deum ſupplex preces effudi. Miſerere, Domine, precor, & à plaga vltricem manum cohibe. Si enim tu exhauſtum iam populum durius vulneraueris, quis illum inſtaurare poterit? *Miſertus eſt Dominus ſuper hoc. Non erit, dixit Dominus.* Quod optabam, Dominus meis precibus largitus eſt, manumque ab illa plaga, quæ iam iam impendere videbatur, aliquandiu ſuſpendit. Id eſt, cladem, quam Aſſyriorum exercitus inferre feſtinabat, ad preces Amos Deus auertit, redempta per Manahem mille talentorum argenti pretio vexatione 4. *Reg.* 15. 19. * Iuſti enim ſupplex oratio vltricem Dei manum ſuſpendit, ne ad vulnerandos ſceleſtos homines excitetur.]

Oratio iuſtorum Dei irā cohibet, ne ſceleſtos percutiat.

Verſ. 4. 5. 6. Hæc oſtendit mihi Dominus Deus, &c. Alia deinde mihi fuit ſpecies oblata. Videbar enim videre Dominum, qui ad iudicium de Iſraël ignem aduocabat, cui permiſit, vt in gentem illam peccatricem graſſaretur. Qui quidem ignis abyſſum & fontes exiccauit, quibus ſors Iſraëlitica irrigabatur, & florebat: & ipſa pars fœcunda humore deficiente deficiet, & areſcet ab illa horribili flamma conſumpta. Profectò ignis lictor huius condemnationis fuit Theglatphalaſſar, qui ignis inſtar, ingenti ardore, celeritate, ac ferocia maximam populi turbam deuorauit, ſeu attriuit, puta, Tribum Ruben, Gad, & dimidiam partem Tribus Manaſſe trans Iordanem humili loco velut in abyſſo ſitas. Et ſimul comedit partem alteram inſignem Iſraëlis cis Iordanem, puta Tribum Nephthalim, Aſſer, & Zabulon. *Et dixi: Domine Deus, quieſce obſecro, &c.* Ego quidem ad ſubitum illud incendium totus cohorrui, & in hæc verba ſupplex oraui: cohibe precor ô Domine, vindices ab incendio flammas: quis enim, te infenſo, exigui huius & exhauſti populi poterit ruinas inſtaurare? *Miſertus eſt Dominus ſuper hoc, &c.* Ad preces meas Dominus aſpiciens, & miſeratus populi calamitatem, incendium, quod iam iam graſſaturum videbatur, ſuſpendit. Abſumpſiſſet profectò flamma etiam reliquas omnes Tribus, ni Deus flexus precibus Amos ardorem tyranni Aſſyrij inhibuiſſet.

Verſ. 7. 8. 9. Hæc oſtendit mihi Dominus, &c. Alia inſuper mihi fuit ſpecies oblata, Videbatur mihi aſpicere Dominum præ ſe ferentem cæmentarij habitum cum trulla ſuæ artis inſtrumento ſuper murum, quem prius incruſtarat, ſolidaratque tectorio, quo firmior paries redderetur ad ferendum hoſtium impulſus. *Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides, Amos, &c.* Rogatus à Domino, quid viderem: videre me reſpondi fabri murarij trullam. Tunc autem Dominus, quid illa portenderet, aperuit. En ego (ait) trullam ſubmoueo à murorum fabrica, populique cuſtodia, & in populi medium cum faſtidio proiicio. Haud amplius trulla vtar ad tectorium inducendum, aut muros inſtaurandos; quia iam Ciuitas ruinæ eſt deſtinata. * Hæc quidem meo calamo materiam dedere in die, quo ſocietas noſtra renouationem ſpiritus celebrauit. Qua veluti ſuæ prudentiæ ac prouidentiæ trulla D. Ignatius calcem adiicit noſtri ſpiritus muro, vt eum muniat, firmet, & exornet.] *Et demolientur excelſa idoli, &c.* Luci, in quibus idolorum aræ viſebantur, euertentur: cuncta nefariæ religionis funditus ſacraria corruent: & ſuper domum Ieroboami, Regnumque Iſraëliticum armatam manum iratus extendam. * Loco verbi illius, *Demolientur excelſa idoli*, in Hebræo habetur, *excelſa Iſaac*, id eſt, *excelſa riſus*, vt vertunt LXX. ſeu altaria idolorum verè ridicula, & riſu explodenda. Et quidem omnia, quibus diabolus curat nos à Deo ſeparare, ſcilicet vanitas, diuitiæ, voluptates (quæ idolorum ſeruitus) ridicula procul dubio ſunt.]

Renouatio ſpiritus Ieſuitis præſcripta, murum perfectionis roborat.

Ridicula planè ſunt omnia idola, ſeu illectamenta, queis diabolus nos à Deo ſeparare curat.

2.
Amaſias curat, ne Amos prophetet. At & contra illum vaticinatur.

Verſ. 10. 11. Et miſit Amaſias Sacerdos Bethel ad Ieroboam Regem Iſrael, dicens, &c. Profectò cum Amaſias Sacerdos Bethel hoſce ſermones minaces audiiſſet, timeretque, ne ſi quod moliebatur obtineret Propheta, lucrum periret, quod ex vitulorum ſacrificiis capiebat: adij Ieroboamum Regem Iſraël, & Amos incuſauit, quod in ipſius Regno contra Regem moueret ſeditionem, & talia loqueretur audax, qualia populus haud poſſet ſuſtinere. * Sæpè videris prauum Sacerdotem auaritiæ morbo laborare.] *Hæc enim dicit Amos, &c.* Hæc ô Rex, de te, ac de populo tuo ſeditioſus Amos profatur: Ferro Ieroboamus occumbet, & populus, deſerto patrio ſolo, in peregrinam regionem abducetur. * O tempora, quando Concionator, qui veritatem Principibus profert, contra eos *rebellare dicitur*. LXX. verbum, *contra te rebellauit*, ſic vertunt, *Congregationes, & coniurationes contra te ô Rex, facit.* Vndè tanquam rebellis & coniurator exilio punitur!] Non autem credidit Rex Pſeudopontificis contra Prophetam Dei calumniam. * Vt vel ex impio pij Reges ediſcant, non facilè credendum delationibus.]

Prauus Sacerdos plerumque auaritiæ morbo laborat.

Concionator, qui veritatem Principi prodit, rebellare eū, ita eum ab impiis dicitur.

Rex delationibus nō facilè credat.

Verſ. 12. 13. Et dixit Amaſias ad Amos, &c. Cum Amaſias nihil contra Amos obtinuiſſet à Rege, ipſe Prophetam adiit, & pro ſua auctoritate edicit, vt prophetare deſinat, aut alio detorqueat vaticinium, ſi ſuo capiti velit eſſe conſultum. Si Propheta es, (ait) ô Amos, & eo miniſterio tibi alimoniam paras, hinc quamprimum te nobis aufer, & in terram Iuda pro-

ſciſcere : ibi quæſtiariam hanc artem immunis profiteberis : quo tibi victum & neceſſaria vitæ ſubſidia acquirere poteris. *Et in Bethel non adiicies vltra, &c.* Porrò ſi in Bethel vaticinia edere inſtes, tibi exitium parabis, dum contra vitulos aureos protendis ſermonem. Bethel enim eſt locus ſacer à Rege Iſraëlis ad vitulorum cultum ſpecialiter deſignatus in decem Tribuum ſorte, ſicut Ieroſolyma in ſorte duarum Tribuum ad publicum Dei cultum eſt conſecrata. Præterea Rex Iſrael in Bethel ſuum palatium habet, in quo frequens degit. Vndè metuendum eſt, ne te publicum vitulorum ſuorum hoſtem capiat, ac interfici imperet.

Verſ. 14. 15. Reſponditque Amos, & dixit ad Amaſiam, &c. Ad Amaſiæ adhortationem ſic Amos. Ex primaria mea profeſſione Propheta non ſum, nec patrem Prophetam habui : Ordinarium enim officium meum eſt paſcere armenta. Vndè propheticum, quem à Deo accepi, ſpiritum venalem non habeo, vt ex eo victum acquiram. Neque mihi de victu admodùm eſt curandum, cum vltrò in ſyluis, & montibus occurrat : vitam namque meam vellicatis ſycomoris vtcumque ſuſtento. Hanc arborem vellicabat Amos, quia frondes in paſtum pecorum decerpebat, fructus verò immaturos ferreis vnguibus incidebat, vt matureſcebant, maturos ſuos colligebat in vſus. Sycomora enim quià dura, & amara, incidi ſolent, vt à ſole penetrentur, ac matura dulceſcant. Dixit itaque Amos : Ego non propheto ſpe lucri, vt tu facis ò Amaſia, ſed ſycomoris agreſtibus contentus victito. [O quàm male olet à Concionatoribus temporariam expectari mercedem, & immenſi valoris Dei verbum pro viliſſimo pretio commutari!] *Et tulit me Dominus, cum ſequerer gregem, &c.* Cum autem paſcendis gregibus ruſticam nauarem operam, aduocauit me Deus, & iuſſit, vt indè profectus, in Iſraëliticis finibus prophetarem.

Taxantur Concionatores qui pro miniſterio ſuo temporariã mercedem ambiunt.

Verſ. 16. 17. Et nunc audi verbum Domini, Et tu, ô Amaſia, qui obiectis terroribus linguam meam cohibere conaris à prophetando contrà idolorum domicilium, durum ad te pertinens vaticinium exaudi. *Propter hoc hæc dicit Dominus : Vxor tua in Ciuitate fornicabitur, &c.* Vxor tua vim patietur à petulante ac luxurioſa hoſtium turba : filios ac filias tuas mucro hoſtilis configet : agros tuos hoſtes inter ſe metatrice regula, ac funiculo diſtribuent : & tu in aliena ac polluta terra, in Gentilico ſcilicet ſolo morieris : & totus denique Iſraël captiuus ad alienos abducetur.

CAPVT VIII.

Iſraëlitas ab Aſſyriis in exilium agendos, vncino quo poma ex arbore decerpuntur, Amos præſignat : eiſdemque prædicit ſaccum caluitium, extremámque omnium rerum inopiam eſſe ſubeundam.

1. HÆc oſtendit mihi Dominus Deus : & ecce vncinus pomo-
rum. 2. Et dixit : Quid tu vides Amos ? Et dixi : Vncinum
pomorum. Et dixit Dominus ad me : Venit finis ſuper po-
pulum meum Iſraël : non adiciam vltrà vt pertranſeam
eum. 3. Et ſtridebunt cardines templi in die illa, dicit
Dominus Deus : multi morientur : in omni loco proiicietur
ſilentium. 4. Audite hoc qui conteritis pauperem, & de-
ficere facitis egenos terræ, 5. dicentes : Quando tranſibit menſis, & venumda-
bimus merces : & Sabbatum, & aperiemus frumentum : vt imminuamus menſu-
ram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas, 6. vt poſſideamus
in argento egenos & pauperes pro calceamentis, & quiſquilias frumenti venda-
mus ? 7. Iurauit Dominus in ſuperbiam Iacob : Si oblitus fuero vſque ad finem
omnia opera eorum. 8. Numquid ſuper iſto non commouebitur terra, & lugebit
omnis habitator eius : & aſcendet quaſi fluuius vniuerſus, & eiicietur, & defluet
quaſi riuus Ægypti ? 9. Et erit in die illa, dicit Dominus Deus : occidet ſol in
meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis : 10. & conuertam feſtiui-
tates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum : & inducam ſuper
omne dorſum veſtrum ſaccum, & ſuper omne caput caluitium : & ponam eam
quaſi luctum vnigeniti, & nouiſſima eius quaſi diem amarum. 11. Ecce dies ve-
niunt, dicit Dominus : & mittam famem in terram : non famem panis : neque ſitim
aquæ, ſed audiendi verbum Domini. 12. Et commouebuntur à Mari vſque ad
mare, & ab Aquilone vſque ad Orientem : circuibunt quærentes verbum Domini,
& non inuenient. 13. In die illa deficient virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti.
14. Qui iurant in delicto Samariæ, & dicunt : Viuit Deus tuus Dan, & viuit via
Berſabee : & cadent, & non reſurgent vltrà.

COMMEN

COMMENTARII.

1. *Vnci ſymbolo deſignatur, Iſraëlitas ab Aſſyrijs in exilium agedos.*

VERS. 1. *Hæc oſtendit mihi Dominus Deus: & ecce vncinus pomorum.* Aliud rurſus mihi fuit ſpectrum oblatum. Videbam enim perticam præferratam vnco, qualem ſolent habere qui colligendis fructibus dant operam: vt quos nequeunt ramos manu contingere, eos ad ſe hamata virga deprimant. Pagninus vertit, *Ecce corbem æſtatis*, in quem ſcilicet colliguntur æſtiui fructus. Sed Hebræum כלוב *kelub* propriè ſignificat inſtrumentum attractorium, quale eſt *vncinus.*

Mors eſt vncus fructus quantumcũque remotiſſimos decerpens.

* Alicui vncinus hic mors eſt (ſymbolicè) quæ attrahit ramos pomis graues, id eſt familias copioſas, è quibus etiam robuſtiſſima capita decerpit, & quæ à morte eſſe remotiſſima videbantur.]

Verſ. 2.3. *Et dixit: Quid tu vides Amos, &c.* Interrogatus à Deo, quid viderem, aſpectare me dixi vncinatam virgam, qua ab arboratio poma decerpuntur. Et iterum ad me Dominus: Vncinus iſte adueniſſe iam tempus præſignat, in quo Iſraëlis Imperium eſt periturum. Satis iam diù manum à vindicta cohibui: laxabo furoris impetum antè repreſſum. Patientiæ meæ venit, & Iſraëlis finis. *Et ſtridebunt cardines Templi in die illa, &c.* Delubrorum, in quibus ab Iſraële idola colebantur, cardines concrepabunt, quia multitudo hoſtium ardens per illos irrumpet. Magna erit tunc hominum ſtrages, magnum vbique ſilentium, quia terra ab habitatoribus vacua manebit.

Verſ 4.5.6. *Audite hoc, qui conteritis pauperem, &c.* Audite ô viri potentes, & immites, qui pauperes opprimitis, & eorum exugitis ſanguinem, eóque eos adigitis, vt exangues deficiant omnino, aut vitam non vitalem agere cogantur. *Dicentes: Quando tranſibit menſis, &c.* Quando tandem (inquitis) finietur menſis ſeptimus Tiſri, quo iubemur toto octiduo, imò toto ferè menſe feriari? Quando tranſibit longum illud, & mercatoribus incommodum Sabbatum, quo poſſimus, minuente iam annonæ copia, noſtri frumenti oſtia reſerare, & carius populo eſurienti diuendere? Nec contenti pretium auxiſſe, etiam fraudes adhibeamus: minuamus menſuram, qua frumentum emptoribus tradimus: & è contrario cum nos aliquid ab aliis ememus, augeamus *ſiclum* (Hebraïcè *pondus*) id eſt, pecuniæ pondus; & merces doloſa ponamus ſtatera: quæ dum eminus leuitatis plus: dum vendimus plus æquo grauitatis habeat.

Taxantur mercatores & artifices, qui violant feſtorum immunitatem.

* Video mercatores illos plenos dolo, & iniquitate Sabbato tamen reuerentiam exhibere, quia in illo nundinari nefas. Vndè non poſſum non Chriſticolas mercatores, & artifices ſubtaxare, quod facillimè Sabbati ſacratioris, ſeu feſtorum Eccleſiæ religionem audeant violare.] *Vt poſſideamus in argento egenos, &c.* Eo artificio pauperes ipſos quaſi ememus, & voluntati noſtræ perpetuo nexu alligabimus, cum æs ea pactione contractum ſoluere non poſſint. Quare illos pro vſurario argento, aut pro venditis rebus etiam viliſſimis, qualia ſunt calceamenta, ſeruos poſſidebimus. Neque petibunt nobis pargamenta frumenti, aut areæ quiſquiliæ, ex quibus, quaſi res foret ventilata, & pura, pecunia redigetur.

Non ſolùm bona pauperum, ſed ipſi pauperes ab exactione poſſidentur.

* Pondera verbum illud: *Vt poſſideamus in argento egenos.* En noſtrorum peruerſitas temporum, quando tanta eſt tributorum exactio, tanta caritas mercium, vt pauperum ciuium non ſolùm bona, ſed & ipſos videamus iam ab exactione à neceſſitate poſſideri.]

Verſ. 7.8. *Iurauit Dominus in ſuperbiam Iacob, &c.* Quamobrem, iuramento interpoſito, decem Tribubus minatus eſt Deus, quarum ſuperbiam, & auaritiã deteſtatur, ſe futurum ſemper memorem operum, quæ ſceleratè commiſerunt, neque relicturum impunita. *Numquid ſuper iſto non commouebitur terra, &c.* Huiuſmodi ſunt Iſraëlitarum horumce opera, vt propter illa terra commoueri, dehiſcere, & illius habitatores vlulare debeant. Vndè aſcendet contra illos Aſſyriorum exercitus quaſi fluuius *vniuerſus*, id eſt, inſtar Nili totam terram inundabit Iſraëliticam, nec prius defluet, quam omnia euerterit, & abſumpſerit.

Inde ſupplicium, vnde prodit iniquitas.

* Vtitur comparatione Nili potius quam alterius fluminis, quia auari illi & iniuſti mercatores ex Ægypto (vtpotè totius Orientis horreo) vim magnam frumenti ſolebant arceſſere, quod deinde doloſis menſuris pauperibus diuendebant. Vt vnde materiam ſcelerum acquirebant, inde inſtauratis ſupplicij ſimilitudo duceretur. Vndè iniquitas, inde prodit ſupplicium.]

2. *Multa ſubituram Iſraelem prædicit incommoda.*

Verſ. 9. 10. *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus, &c.* Eo autem tempore ſic Iſraëlitarum auaritiam puniam, vt in ipſa abundantia, quam furtis & dolis comparauere, penuria premantur. Quod perinde erit, atque ſi in meridiano ſplendore ſolis denſis tenebris offundantur: & illis ſit nox triſtis qui cunctis dies eſt claritate conſpicuus.

In mediis diuitiis ſemper auarus indiget.

* In mediis diuitiis ſemper eget auarus.] *Et conuertam feſtiuitates veſtras in luctum, &c.* Indulſiſtis choris ad idolorum aras? Ego efficiam, vt luci, & delubra eadem, vbi dies geniales agebantur, & læti, perſonent vlulatu: & pro amictu molli ſaccum ex cilicino textum induent: & caput cincinnata cæſarie illuſtre (vt putatis inaniter) caluitio deformi faciam horrere. Et nulla pars erit regionis veſtræ, in qua lugubre lamentum non audiatur, quaſi vbiuis Vnigeniti funus procederet.

Quàm crudelis fuit Deiparæ dies, in quo IESV Vnigeniti mortem deplorauit.

* Si mors vnigeniti tam amara eſt parentibus, vt dies obitus eius dies *malus* per antonomaſiam appelletur: ediſce quàm amarus Deiparæ extiterit dies ille, in quo Chriſtum Dominum Patris ac Matris Vnigenitum crudeliſſimè extinctum, vitam vtrique mortuam deplorauit.]

Verſ. 11.12. *Ecce dies veniunt. dicit Dominus, &c.* Deſpexiſtis, cum faſtidioque verbum meum in Prophetarum ore, tanquam quid nugatorium abieciſtis? Aderit ideò tempus quo illud expectabis, non aliter quam panem famelicus, & ſitiens aquam aſſolet concupiſcere. Nempè cum maximè egebunt Prophetarum oraculis ad conſilia capienda, quomodò poſſis hoſtibus obſiſti, iis deſtituentur, & ita inopes mentis, & conſilij in interitum irruent.

Reges inconſulto precibus Deo, belli non decernant inſtantias.

* Monentur hinc Reges circa belli adminiſtrationem non ſolùm debere à regiis conſiliariis ſententiam audire, ſed ſimul & præcipuè à Deo ſacrificiis, & precibus profuſis, conſilium capere: qui quidem regij Senatus iudicia ad vtiliorem inclinabit euentum.] *Et commouebuntur*

tur à mari vſque ad mare, &c. Tunc autem temporis etiamſi ab omnibus terrarum angulis totum orbem oberrent, & luſtrent quærendi Prophetarum oracula, ſtudio minimè inuenient, quia nunc ea hoſtiliter auerſantur. * Reſpuit peccator quæ nunc paſſim ſalutis remedia ei obiiciuntur? aderit hora nouiſſima, in qua fortè ei ad pœnitudinem nec inſtans temporis permittatur.]

Non eſt cõuerſio ad Deũ differenda.

Verſ. 13.14. In die illa deficient virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti. In illis rerum anguſtiis non modo ſenes & Infantes, quibus minus eſt virium ſiti deficient: ſed etiam qui in ſexu vtroque fortiores exiſtunt, quales ſunt adoleſcentes & virgines, quibus cum pulchritudine, & ſpecie firmitas etiam acceſſit, &, ad incommoda perferenda, conſtantia. *Qui iurant in delicto Samariæ, & dicunt: Viuit Deus tuus Dan, &c.* Porrò malorum, quæ Iſraël patietur cauſa impietas eſt. Iurant enim per vitulum quem Ieroboamus & ſecuti eum Reges ſummo ſcelere delègerunt toti Regno Samariæ, ſeu Iſraëlis in Deum. Imo iurant, & vniuerſaliter colunt, honorant non ſolùm vitulum; ſed & viam, qua ad vitulum itur, dicentes: Floreat, frequentetur aſſiduò tam nobilis via, qua peregrini pergunt à Dan vſque Berſabee, id eſt, ab vno extremo terræ ſanctæ vſque ad alterum. Vt igitur viri pij iurant, Viuit Deus, impij Iſraëlitæ iurabãt: Viuit vitulus, viuit via, qua ad vitulum proceditur. Quare ſic Iſraëlitæ cadent, vt ſpes ſit nulla reſurgendi. Ideò autem per viam ſolitos iurare crediderim, quia erant multa per viam illam erecta ſacella, aræque idolis (quaſi in memoriam peregrinantium iſtic olim Abrahæ, Iſaacci, & Iacobi.) quæ poſteà Ioſias profanauit, atque deſtruxit. 4. *Reg.* 23.8. * Prætextu igitur reuerentiæ ſanctis illis Abrahæ Iſaacci & Iacobi debitæ, aræ idolis erigebantur in via. Vereor nè in via, quæ ad remotiora Templa deducit, quandoque non erigatur aliquod Baccho, aut Veneri ſacellum. Huiuſmodi enim peregrinationes, præſertim cum viri & fœminæ pariter incedunt, ab huiuſmodi obſtaculis vacare non aſſolent.]

Periculoſa eſt peregrinatio, dum viri ac fœminæ pariter incedunt.

CAPVT IX.

Iſraëlitas Deus ob horrenda crimina Gentilibus populis comparat: vnde dicit illis ſimul in ſupplicio adæquandos. Per Meſſiam autem eis iam repurgatis inſtaurationem bonorúmque omnium affluentiam promittit.

1. VIDI Dominum ſtantem ſuper altare, & dixit: Percute cardinem, & commoueantur ſuperliminaria; auaritia enim in
capite omnium, & nouiſſimum eorum in gladio interficiam: non erit fuga eis. Fugient, & non ſaluabitur ex eis
qui fugerit. 2. Si deſcenderint vſque ad infernum, inde manus mea educet eos: & ſi aſcenderint vſque in cælum, inde
detraham eos. 3. Et ſi abſconditi fuerint in vertice Carmeli, inde ſcrutans auferam eos: & ſi celauerint ſe ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo ſerpenti, & mordebit eos. 4. Et ſi abierint in captiuitatem
coram inimicis ſuis, ibi mandabo gladio, & occidet eos: & ponam oculos meos
ſuper eos in malum, & non in bonum. 5. Et Dominus Deus exercituum, qui
tangit terram, & tabeſcet: & lugebunt omnes habitantes in ea: & aſcendet ſicut
riuus omnis, & defluet ſicut fluuius Ægypti. 6. Qui ædificat in cælo aſcenſionem
ſuam, & faſciculum ſuum ſuper terram fundauit: qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ, Dominus nomen eius. 7. Numquid non vt filij Æthio-
pum vos eſtis mihi, filij Iſraël, ait Dominus? numquid non Iſraël, aſcendere feci
de terra Ægypti: & Palæſthinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene? 8. Ecce
oculi Domini Dei ſuper regnum peccans, & conteram illud à facie terræ: Verumtamen conterens non conteram domum Iacob, dicit Dominus. 9. Ecce enim
mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael, ſicut concutitur
triticum in cribro: & non cadet lapillus ſuper terram. 10. In gladio morientur omnes peccatores populi mei: qui dicunt: Non appropinquabit, & non veniet ſuper
nos malum. 11. In die illa ſuſcitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit: & reædificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant inſtaurabo: & reædificabo
illud ſicut in diebus antiquis. 12. Vt poſſideant reliquias Idumææ, & omnes nationes, eò quod inuocatum ſit nomen meum ſuper eos: dicit Dominus faciens hæc
13. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & comprehẽdet arator meſſorem, & calcator

vuæ mittentem ſemen: & ſtillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. 14. Et conuertam captiuitatem populi mei Iſrael: & ædificabunt ciuitates deſertas, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & bibent vinum earum: & facient hortos, & comedent fructus eorum. 15. Et plantabo eos ſuper humum ſuam: & non euellam eos vltra de terra ſua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.

COMMENTARII.

VERS. 1. *Vidi Dominum ſtantem ſuper altare, &c.* Vidi Deum ſuper altari, quod in Bethel erat vitulo conſecratum, qui dixit mihi: Indica populo Iſraëlitico percutiendos eſſe cardines profani delubri, & eius concuſſu ſuperliminaria conuellenda. Quia nullus eſt inter Iſraëlitas, qui auaritiæ ſtudio non ſeruiat. Quare omnes gladio: percutiam: neque vllus erit, qui quantumcumque viribus contendat: impendens ſibi exitium effugiat. Hoc ſymbolo præſignauit Deus, ab Aſſyriis Templum, religionem, Regnum, Rempublicam Iſraëlitarum à cardine, & ab imis fundamentis eſſe conuellenda. * Cur verò totius Regni ſtragem Templi Ieroſolymitani (de qua D. Hyeronimus hîc agi ſignificat, & ſubuerſione ſignificat, non ſpeciatim ipſius Regni annotat excidium: Crediderim, quia ex Templi, ſeu religionis ſtabilimento tota Regni ſtabilitas pendet: quæ quidem corruit, cum veræ religionis cultus deperit. * Multa erant Iſraëlitarum ſcelera. Cur ergò de ſola auaritia agit Deus mentionem? An quia auarus vt ei cupiditati ſeruiat nullum præceptum non tranſgreditur, nullam non admittit iniquitatem? Ita planè. Quare Deus omnia Iſraëlitarum inſinuat ſcelera cum ſolius auaritiæ agit memoriam.] Certè agi hîc de Templo non Ieroſolymitano, ſed de Iſraëlitico in Bethel patet ex *verſ. 7. & 14.*

Dùm religio ſtat, Regna conſeruãtur: religione corruente, corruunt & Regna.

In vno auaritiæ vitio quaſi omnia ſcelera continentur.

Verſ. 2. 3. 4. Si deſcenderint vſque ad infernum, &c. Si ferarum, ac ſerpentum inſtar, confugiant ad latebras, & ad profundos hiatus, ad ipſaque terræ præcordia deſcendant, inde extraham illos. Si volucrum in morem ſupra nubes ſe ſublimes attollant, vt aucupis laqueos euitare valeant, inde illos ad laqueos abducam. *Et ſi abſconditi fuerint in vertice Carmeli, &c.* Si ſpeluncas ſubeant, quæ in Carmeli vertice ſunt miſerorum perfugia, ſcrutabor illos, & extraham inde. * Iam ſæpè audiſti, & legiſti Virginem Deiparam Carmelo comparari. Quid ergo ô Domine, ſi ad Mariæ pietatem peccatores aufugiant? Num à Carmelo auferes eos? Minimè.] * Sed *ſcrutans* videbo, an prauo affectu ad Matris meæ patrocinium accurrant, nempè vt ſecurius poſſint vitiis indulgere. Tunc enim inſtar leonis à Carmelo eos auferam, & diriter comminuam. Si verò pœnitudinis affectu ad interceſſionem Mariæ aduolent peccatores, poſt ſtudioſam *ſcrutationem* eos ad ſupplicium non inueniam. Ipſa enim illos ab irato Numine abſcondi.] Etſi, vt oculos meos lateant, ad maris profunda vſque deſcenderint, ibi draconem inuenient marinum, cui ego imperabo pelagi Dominus, vt illos morſu laceret. *Etſi abierint in captiuitatem coram inimicis ſuis, &c.* Si ad captiuitatem abducti, ſe iam euaſiſſe gladium putent, quem ſubiere ſocij cum hoſte congreſſi: ibi extra belli diſcrimina gladium inuenient, dominorum vulnerati tyrannide. Vbicumque terrarum extiterint, in eos non beneuolos, vt ſaluem: ſed vt perdam, infenſos intendam. Id eſt, infligam illis omne genus afflictionis, ſine admiſtione ſolatij, aut alterius boni. * Hinc peccator perpendat, quot, quantiſque ſe exponat incommodis, cum delinquit, ſiquidem certum eſt, benigniſſimos Dei oculos in exitiales, culpa ab homine admiſſa, conuerti.]

Deipara ſecurũ eſt peccatorum perfugium.

Si ad Mariam Carmelum accurrãt peccatores pœnitudinis affecta, Deus vel *ſcrutans*, eos ad ſupplicium non inuenict.

Peccatori benigniſſimi Dei oculi in exitiales conuertuntur.

Verſ. 5. 6. 7. Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, & tabeſcet, &c. Hæ minæ ſunt à Domino exercituum, cuius ea eſt potentia, vt ſi ei libeat, leui quodam terram attactu diſſoluet. Ille ergo ad eam deſtructionem Iſraëliticam terram adiget, vt in nihilum videatur exceſſiſſe. Vnde vlulabunt miſeri, qui illam felices incolebant: & quemadmodum fluuius Ægypti, qui aquarum vi videtur omnium riuorum, ac fluminum eſſe colligationem, in mare dilabitur à fonte ſuo: ſic Iſraëlitæ à patriis ſedibus in peregrinas terras abducentur. *Qui ædificat in cælo aſcenſionem ſuam, &c.* Hæ, inquam, Dei ſunt minæ, qui thronum ſuum in cælo, & ſcabellum pedum ſuorum in terra locauit. Qui euocat à mari ſalſas vndas, eaſque attenuatas, ac dulces ad terræ fœcunditatem profundit: cuius nomen eſt Dominus. *Numquid non vt filij Iſraël, &c.* Sanctorum parentum filij eſtis ô Iſraëlitæ: ſed quia animos ducitis ab illorum pietate degeneres: eo vos habeo numero, quos ex Æthyopico ſanguine progenitos aſpicio. Neque quia vos de Ægypto euocaui, & terræ Iſraëlitidis donaui poſſeſſione, exiſtimetis, æternam vobis delinquentibus eſſe futuram. Simile enim nationes aliæ à me beneficium accepere, & tamen non eſt à me illis æterna conceſſa poſſeſſio. Videtis enim Paleſtinos de Capadocia, & de Cyrene Syros in regiones veſtræ vicinas à me fuiſſe tranſlatos.

Verſ. 8. 9. 10. Ecce oculi Domini Dei ſuper Regnum peccans, & conteram illum à facie terræ: veruntamen conterens non conteram domum Iacob, dicit Dominus. Sicut ergo cecidi millionem Ethyopum ſub Rege Aſa (2. *Paral.* 14. 9.) & tot Philiſthæorum falanges ſub Ioſue (*Ioſ.* 11. 22.) Samuele (1. *Reg.* 7. 10.) & Dauide (1. *Reg.* 17. 40.) & Regem Regnúmque Syrorum breui per Teglatphalaſſar exſcindam (4. *Reg.* 16. 9) ita & vos, Regnumque veſtrum per eundem Teglatphalaſſar, eiuſque ſucceſſorum Salmanaſſar deſtruam. Iuſtus enim ſum Iudex pœnas pro meritis ſuper omne Regnum peccans decernens. Non tamen Iſraëlis domum funditus exſcindam, ſed reliquias ex ea mihi adſeruabo. * *Non conteram* (inquit) *domum Iacob.* Quaſi memor ſancti parentis Iacobi ingratos filios noluit omninò deleri. Sæpè enim Deus ob iuſtitiam

Ob iuſtum parentẽ Deus ſæpè iniquũ filium non tã ſeuerè punit.

ſtitiam parentum iniquos filios ad frugem meliorem adducit: vel non ita grauitet io eorum ſlagitia deſæuit.] *Ecce enim mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael, &c.* Concutiam Iſraëlem per Aſſyrios, diſpergamque per omnes gentes; non tamen vt ſordes, quæ prorſus abiciuntur: ſed vt frumentum, quod in vanno non in alium finem concutitur, quam vt à palleis, aliiſque ſordibus ſecernatur, & purgetur, & purum in horreo recondatur: nec ſinitur vel *lapillus*, id eſt, *granum* (ſic alij) duritie ac forma ſua lapillum referens in terram decidere. Sic nec ego ſinam ſpiritualiter perire quemquam Iſraëlitarum inſtorum, etſi eodem cribro afflictionum corporalium cribrandi ſint vna cum impiis. * Hac enim cribratione puriores euadent.] *In gladio morientur omnes peccatores populi mei, &c.* Peribunt peccatores qui in Iſraëlis domo non erant grana, ſed ſtipulæ, ac ſtramenta paluſtria. Hi ſunt quidem, qui Prophetarum minas nihili faciunt, neque futurum putant, vt aliquando malum, quod ipſis deonnciatur, adueniat.

Cribratione tribulationis puriorum redde iuſtorum conditionem.

2\. *Verſ. 11. 12. In die illa ſuſcitabo tabernaculum David, &c.* Poſt ea autem Euangelij tempore, aduocatis Gentilibus, (qui eo quod mores exprimant iuſti iam Iſraëlis, Iſraëlitæ vocari, & Abrahami filij iuſtè poterunt) inſtaurabo tabernaculum Dauidis & quidquid in eo hians videbatur, ac debile, confirmabo, complebo: & ad præclaram illam ſpeciem reſtituam, qua pollebat antiquitus. Porrò Regnum Dauidis tam ſpirituale quam materiale, quod variis ſciſſuris paulatim per Ieroboamum, per Syros, per Ægyptios, per Aſſyrios, per Chaldæos, per Aſiaticos, per Romanos attritum, tandem omninò corruit ſub Herode tyranno, qui quidquid erat reliquum regiæ ſtirpis exſcidit: excíſum ſuſcitabo rurſus per Meſſiam, cur reddam ſedem regiam Dauid patris eius, & regnabit per ſe & per Vicarios ſuos Pontifices & Reges in tota domo Iacob, non vno, vel altero ſæculo, ſed io æternum, *& Regni eius non erit finis.* (*Luc. 1.32.*) *Vt poſſideant reliquias Idumææ, &c.* Eo tempore nationes cunctæ animò prius ac religione alienæ, imò ipſi Idumæi Iſraëlitici nominis infeſtiſſimi hoſtes ad Dauidis tabernaculum, id eſt, ad Chriſti ſeruatoris Eccleſiam accedent: quia & latas à Chriſto leges accipient, & ab illius nomine compellationem aſſument. Hoc dicit Dominus, cuius proprium hoc eius erit opus.

Per Meſſiam omnium malorum ablationem, & bonorum ſpiritualium abundantiam promittit.

Verſ. 13. 14. 15. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, &c. Dies venient in quibus tanta erit frugum & vini abundantia, vt meſſis duratura ſit vſque ad arandi tempus, & vindemia vſque ad tempus ſeminandi. Scio, hoc ab aliquibus ad reduces è Babylonia Iudæos accommodari non aptè; quia tunc potius inopia frumenti, & vini, Iudæi laborarunt. Aggæo teſte. *capit.* 1.6. Per hanc quidem meſſis, & vindemiæ abundantiam deſignatur, tantam fore in Eccleſia Chriſti conuertendarum & excolendarum animarum copiam, vt nullum permittant agricolis, ſeu paſtoribus tempus quietis. * Patuit hoc in D. Paulo, Antonio Paduenſi, & in noſtro Franciſcò Xauerio, & tot aliis ſacri verbi præconibus tantùm non obrutis laborum multitudine & aſſiduitate. Annumera, ſi potes, quos meus Xauerius Gentiles ſacra vnda diluit, & comperies, de ipſo verificari poſſe: Comprehendet arator meſſorem, &c.] *Et conuertam captiuitatem populi mei Iſrael, &c.* Tunc ſpiritualis Iſraël, de peccati, ac diaboli captiuitate in gratiæ procedet, me duce, libertatem. Templa per orbem extruent, vineas ſacramentorum excolent, maximè Euchariſtiæ frequentiam, & Dominici ſanguinis nectare potabuntur. Degentque in pace, & omnium bonorum cæleſtium abundantia potientur. *Et plantabo eos ſuper humum ſuam, &c.* Sicut arbores in terra fœcunda, ſic veros ſe ſpirituales illos Iſraëlitas io Eccleſia mea, quaſi in ſua iam regione plantabo: neque inde auellam, ſicut Iſraëlitidem gentem totam eradicaui, & in regionem peregrinam abduxi. Hæc verba Dei ſunt, cuius neque fallax eſt fides, nec infirma manus ad promiſſa effectui dedenda.

Meſſis ac vindemiæ Euangelicæ abundantia ex Franciſco Xauerio.

LIBER TERTIVS.
COMMENTARII LITERALES, ET Morales.

ABDIAS, IONAS, MICHÆAS.

PROLVSIO.

Maria quæ ſe ancillam profitetur, tam ſublimis eſt, vt nulla creatura ſic Dei magnitudinem in ſe repræſentet.

Cum tres hoſce nominaui Prophetas, non potui non Dominæ meæ, cuius ope ad eorum expoſitionem egeo, recordari. Si enim *Abdias* idem eſt ac *Dei ſeruus*. Chriſtum, qui *ſeruus Dei* dictus fuit *Iſa.* 42. 1. repræſentat, filium vtique illius, quæ cùm Domina ab Angelo vocaretur, ſeſe ſine ſimulatione, ſed ſeriò (vti annotauit Hugo Card. *Luc.* 1.) appellauit ancillam. *Ecce ancilla Domini.* Si *Ionas* idem eſt ac *Columba*, Mariam refert Spiritus ſancti ſponſam, quam ipſe ſæpè ſuam columbam appellauit omnis ſinceritatis, ac puritatis epilogum. Si denique *Michæas* idem ſonat, ac *Quis ſicut Deus?* Nulla poterit creatura ſic Dei magnitudinem explicare, ac illa, cui Dei omnipotentia *magna fecit.* Ex iis nempe miraculis, virtutibus, perfectionibus, quæ in Mariam Deus colligauit, poteſt ipſa experimento edocta clamare, *Quis ſicut Deus?*

ABDIAS.

CAPVT VNICVM.

Idumæis propter inhumanitatem in fratres ſuos Iudæos excidium prædicit. Iudæis è contrario poſt reditum è Chaldæa felicia omnia promittit.

1. VISIO Abdiæ. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom: Au-
ditum audiuimus à Domino, & legatum ad gentes mi-
ſit: Surgite, & conſurgamus aduerſus eum in prælium.
2. Ecce paruulum dedi te in Gentibus: contemptibilis
tu es valdè. 3. Superbia cordis tui extulit te, habitantem
in ſciſſuris petrarum, exaltantem ſolium tuum: qui dicis
in corde tuo: Quis detrahet me in terram? 4. Si exaltatus
fueris vt aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Do-
minus. 5. Si fures introiſſent ad te, ſi latrones per noctem, quomodo conticuiſ-
ſes; nónne furati eſſent ſufficientia ſibi; ſi vindemiatores introiſſent ad te, num-
quid ſaltem racemum reliquiſſent tibi? 6. Quomodo ſcrutati ſunt Eſaü, inueſti-
gauerunt

gauerunt abſcondita eius? 7. Vſque ad terminum emiſerunt te: omnes viri fœ-
deris tui illuſerunt tibi: inualuerunt aduerſum te viri pacis tuæ: qui comedunt te-
cum: ponent inſidias ſubter te: non eſt prudentia in eo. 8. Numquid non in die
illa, dicit Dominus, perdam Sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Eſau?
9. Et timebunt fortes tui à Meridie, vt intereat vir de monte Eſau. 10. Propter
interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confuſio,
& peribis in æternum. 11. In die cùm ſtares aduerſus eum, quando capiebant
alieni exercitum eius, & extranei ingrediebantur portas eius, & ſuper Ieruſalem
mittebant ſortem: tu quoque eras quaſi vnus ex eis. 12. Et non deſpicies in die
fratris tui, in die peregrinationis eius: & non lætaberis ſuper filios Iuda in die perdi-
tionis eorum: & non magnificabis os tuum in die anguſtiæ. 13. Neque ingredie-
ris portam populi mei in die ruinæ eorum: neque deſpicies & tu in malis eius in die
vaſtitatis illius: & non emitteris aduerſus exercitum eius in die vaſtitatis illius,
14. Neque ſtabis in exitibus vt interficias eos qui fugerint & non concludes reli-
quos eius in die tribulationis. 15. Quoniam iuxta eſt dies Domini ſuper omnes
gentes: ſicut feciſti fiet tibi: retributionem tuam conuertet in caput tuum. 16. Quo-
modo enim bibiſtis ſuper montem ſanctum meum, bibent omnes Gentes iugiter: &
bibent, & abſorbebunt, & erunt quaſi non ſint. 17. Et in monte Sion erit ſalua-
tio, & erit ſanctus: & poſſidebit domus Iacob eos qui ſe poſſederant. 18. Et erit
domus Iacob ignis & domus Ioſeph flamma, & domus Eſau ſtipula: & ſuccenden-
tur in eis, & deuorabunt eos: & non erunt reliquiæ domus Eſau, quia Dominus lo-
cutus eſt. 19. Et hereditabunt hi qui ad Auſtrum ſunt, montem Eſau, & qui in
campeſtribus Philiſtiim: & poſſidebunt regionem Ephraim, & regionem Samariæ: &
Beniamin poſſidebit Galaad. 20. Et transmigratio exercitus huius filiorum Iſraël,
omnia loca Chananæorum vſque ad Sarephtam: & transmigratio Ieruſalem, quæ in
Boſphoro eſt, poſſidebit ciuitates Auſtri. 21. Et aſcendent ſaluatores in montem
Sion iudicare montem Eſau: & erit Domino regnum.

COMMENTARII.

1. *Idumæos prædicit excidiũ ob inhumanitatem in fratres ſuos Iudæos.*

VERS 1. *Viſio Abdiæ, &c.* Hæc eſt Abdiæ Prophetia, & hoc vaticinium Dei contra Idumæos. Hoc audiuimus non ſolum ego, ſed & Iſaias, Ieremias, Ioël, aliique Prophetæ, quibus ſua Deus conſilia aperuit: & quæ per legatum ſuum iuſſit Gentibus, quas ad Idumæorum armauit interitum, denunciari. Hæc quidem erat legati vox, & ad arma capienda adhortatio: Agitedùm, contra Idumæos ad certamina ſurgite: ego enim vobis adero, ac ſimul vobiſcum cum hoſte congrediar. * Nullus Princeps deberet ad bellum ſurgere, niſi certus omninò eſſet, quod Deus ſimul cum eo ad campum proficiſcitur: hoc eſt, niſi certa admodum ſit belli iuſtitia. Tunc enim Deus & cum fideli Principe pergit, & cum hoſte congreditur.]

Cum bellum eſt iuſtum. Deus cũ Rege pugnaturo pugnaturus ſimul pergit ad campum,

Verſ. 2. 3. *Ecce paruulum dedi te in Gentibus, &c.* Ecce ô Eſaü, à quo genus ſuum Idumæi ducunt, ſedes tuas anguſtis occluſi finibus: vndè neceſſe fuit, vt eſſes paruulus. Et cum in cauernis habites petrarum, locisque ſubterraneis, non potes eſſe non abiectus, ac ſordidus vehementer in opinione hominum. * Qui quidem omnium merita ex apparatu metiuntur externo. Nobilis pauper ſemper *paruulus*: ignobilis diues ſemper magnus ab hominibus reputatur.] *Superbia cordis tui extollit te. &c.* Arrogantia tua fecit, vt de te magnificè ſentires. Nam cum belluarum more in terræ voraginibus habites, ſic te inſolenter habes, ſic te inſolenter efferſ, vt putes tibi ſupremum deberi faſtigium: & tacitus tibi meditaris, ac dictitas: Ecquis erit, qui me in terram ex hoc ſcopulari throno deturbet? * Magnum virum ſe efferre, malum eſt, ſed non mirum, At ſe efferre paruulum, intolerabilis eſt ſuperbia.]

Homines ex apparatu externo omniũ merita metiuntur.

Intolerabilis ſuperbia eſt paruulum ſe efferre.

Verſ. 4. 5. 6. Si exaltatus fueris vt aquila, &c. Si tuam ſedem tibi ea in præcelſa rupe ſtatueris, vbi aquila ſuum ſibi nidum extruere aſſolet: imò ſi nubes transgreſſus, ad ipſa etiam ſidera liceat remeare: non tamen aſſequi poteris, vt graues meas manus effugias: indè enim te ad ima vſque terræ deturbabo. *Si fures introiſſent ad te, &c.* Si fures nocturni, te præ metu prorſus conticeſcente, domum tuam ſpoliarent, pro libito auferentes quantum ſufficere ſibi putarent: non ità tamen omnia exhaurirent, & expilarent, ac exhaurient te, & expilabunt Chaldæi mox à me ſubmittendi. Quin neque vindemiatores etſi pretio ad id à te conducti racemos ad vnum omnes decerpunt. At Chaldæi tibi omnia decerpent, quantumcumque abſcondita. *Quomodo ſcrutati ſunt Eſau, &c.* Quid igitur facies, cum Chaldæi latebras omnes ſcrutentur, vbi tuas opes condidiſti, & nec, fures, vnum obolum in arca, nec vindemiatores racemum vnicum in vinea relinquant? Accidit ita anno quinto poſt ſciſſam Ieroſolymam Nabuchodonoſore Regni ſui vigeſimo ſecundo anno inuadente, & vaſtante Idumæam.

Verſ. 7. 8. 9. Vſque ad terminum emiſerunt te, &c. Gentes tibi confœderatæ, & vt videri volunt, amicæ, nempè Ammonitæ, Moabitæ, & alij vicini populi illudentes tibi, & Chaldæis ſe adhærentes eliminarunt te deditione tua, & extra proprios fines expulerunt, nullibi paſſi te ſubſiſtere. Non eſt prudentia in populo Idu-

mææ, qua poſſit fidos ab infidis diſcernete. * Imprudens admodum eſt,qui facilè ſe vel vicinis fidit, & non prius curat variis experimentis eorum ingenia,ac fidem explorate.] *Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam Sapientes de Idumaa, &c.* Eripiam ait Dominus in illa die, quæ Idumæis infelix & extrema accidet,à ſenibus conſilium, & prudentiam ab illis,qui Idumæam adminiſtrare Sapienter poſſe videbantur, Prudentes erant valde Idumæi, vt patet ex Iobo, eiuſque amicis, qui omnes erant Idumæi. * At Deus cum deſtinauit Rempublicam euertere,à Magiſtratibus prudentiam aufert, vt inſipientibus conſiliis in ipſa ſecuritate impingant. *Et timebunt fortes tui à Meridie, &c.* Fortes bellatores tui, nempè Themanitæ, qui tibi ſunt ad Meridiem dextrum regionis tuæ latus claudentes, hucuſque toti formidabiles orbi, Chaldæis ab Aquilone aduentantibus, ſui obliti roboris, timebunt ad primos eorum ingreſſus. Si ergo Themanitæ, qui à Chaldæa maximè diſtant, animo erunt pauido: quid ſperandum de illis erit, qui magis vicini Chaldæis, cum ille ingruerit rerum articulus, in quo Idumæis omnibus ſit pereundum?

Imprudens eſt,qui etiam vicinis facilè ſe fidit.

CũDeus vult Regnum aliquod euertere, aufert à Magiſtratibus prudentiam.

Verſ.10.11.12. Propter interfectionem,& propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confuſio, & peribis in æternum. Hæ quidem ſtrages tibi ô Idumæa,accident,quia iniquus fuiſti, & vſque ad interfectionem crudelis in populum Iſraëliticum: in gentem ſcilicet tibi ſanguinis propinquitate coniunctam. Alludit ad Eſau ergà fratrem Iacob maleuolentiam. Cuius memores Idumæi filij Eſau Iudæo Iacobi filios iurato odio proſequebantur. * O quam inuiſi Deo, grauiſſimoque digni ſupplicio, qui odia parentum mente ac manu (id eſt,affectu prauo, & iniuſtis operibus) quaſi hæreditario iure acquiſita conſeruant.] *In die cum ſtares aduerſus eum,&c.* Cuius crudelitatis in Iudæos fratrea documentum exhibuiſti,quando armatus ſteriſti contrà Ieroſolymam & exercitum, ſeu præſidium eius militare: cum extranei, ſeu Chaldæi,Ammonitæ, Moabitæ, captâ iam Vrbe Ieroſolyma, ſortes,mittebant ſuper ſpoliis,& captiuis, tu quoque pari modo illam inuadebas, ſpoliabas,deuaſtabas:quin & alios ad eam funditus excindendam incitabas. *Eſdra.4.45.* dicitur Templum Ieroſolymitanum ab Idumæis fuiſſe incenſum. Iuſtè ergò plectam te pœna talionis: etiam tu per eoſdem Chaldæos exſciaderis, Solet Deus peccatoribus ſupplicium ad ſceleris normam adaptare.] *Et non deſpicies in die fratris tui,&c.* Cum tamen illius tantæ cladis die, & cum frater tuus peregrinus à patria abduceretur,non debuiſſes illum deſpicere; neque exultare, cum filij Iuda ſpoliati bonis, extremam fortunam paterentur. Neque cum illi priuatam, ac publicam calamitatem deplorarent, non debuiſſea, illorum ſortem crudeliter inſectari, inſolenter prædicans tuam tanquam ſuperiorem & fortunæ ludibriis, & inimicorum armis. * Porrò crudelis eſt animi, in fratris, ſeu proximi afflictionibus non condolere.]

Taxãtur qui parentũ odia in alios quaſi hæreditario, iure conſeruant.

Aptat Deus ſuppliciũ ad normã ſceleris.

Crudelis animi eſt, cũ afflicto non affligi.

Verſ.13.14. Neque ingrederis portam populi mei in die ruina eorum, &c. Nec debuiſti cum hoſtibus ingredi Ciuitatem, & ad caſum iam pronam impellere, vt rueret omninò; ſed potius aut labentem ſuſtentare, aut iacentem erigere. Verùm nec humanitas,nec generis communio patiebatur, vt cum populus ille incommodis diris afficeretur, illum negligeres. Et multo minus, vt armatus in illum inueheteris, aut emiſſus ab hoſte Babylonico, cui operam nauabas militarem, illum fugientem inſequereris. *Neque ſtabis in exitibus, vt interficeres eos, &c.* Denique impium, & inhumanum fuit, omnes viarum exitus occupare cuſtodia: ne cui illorum facilis eſſet, aut impunita fuga: & omnes, qui à fuga trepidi abſtinuiſſent,ſic vndique intra mœnia anguſte concludere, vt nullus ſe eis ad fugam aditus aperiret.

Verſ. 15. 16., Quoniam iuxta eſt dies Domini ſuper omnes gentes, &c. Id eſt, iam dies Domini ditus contra omnes gentes, quæ manus armatas contra Dei populum aliquando intulere. E quarum ô Eſau tu es primus: eadem patieris, quæ aliis incommoda intuliſti: & quæ in alienum caput molitus es, eadem in tuum viciſſim conuertentur. *Quomodò enim bibiſtis ſuper montem ſanctum meum, &c.* Quomodò vos ô Idumæi,cum diriperetur Ieroſolyma genialea duxiſtis dies, & ſplendidas appoſuiſtis menſas: ſic etiam Gentes, cum veſtras diripient opes, & patriam euertent, poculis ſe frequentibus, & menſis ſplendidis oblectabunt. Neque tamen illis erit diuturna hæc lætitia: nam ab hoſte potentiori ſic concidentur,vt videri poſſint nunquam fuiſſe. * Punit enim Deus peccatores aliorum tyrannide tanquam flagello: attamen vulneris illius inſtrumentum omninò comminuit.

Deus peccatores punit aliorũ tyrannida,ſed vulneris inſtrumentum poſteà comminuit.

Verſ.17.18. Et in monte Sion erit ſaluatio, & erit ſanctus: & poſſidebit domus Iacob eos, qui ſe poſſederant. Filij verò Iacob, qui Chaldæorum armis ſubiecti fuerant, ab exilio erepti, & Sioni reſtituti, (in qua iterum *Sanctus*, id eſt, Templum,in quo Deus tanquam in proprio domicilio habitet, inſtaurabitur) poſſidebunt eos, à quibus in aduerſa fortuna fuerant poſſeſſi. *Et erit domus Iacob ignis, &c.* Neque aliter domus Iacob (ſiue Iudæi) perdet domum Eſau (ſiue Idumæos) quàm flamma ſtipulam, ſeu aridam materiam, quam apprehenderit. Inuadent enim Idumæos Iudæi,illoſque conficient, neque plures ex Idumæa reliquiæ ex incendio ſupererunt quam ex igne conſumpta ſuperſunt ſtipula. Porrò hæc verba ſuo pondere non carebunt, quia ex Deo ſunt auctore profectæ.

2.

Iudæis è contrario ſoluta omnia fore promittit.

Verſ.19.20.21. Et hereditabunt hi,qui ad Auſtrum ſunt, &c. Et Iudæi illi, qui eam partem Iudææ incolunt,quæ magis vergit ad Auſtrum, hereditabunt montem Eſau, id eſt,Idumæos ſibi conterminos poſſidebunt. Et qui eam partem Iudææ habitant, quæ Sepheta dicitur, & campeſtris ac plana eſt, poſſidebunt Vrbes,& agros Philiſthinorum ſibi viciniores, puta Gazam, Aſcalonem, Geth, &c. imò Tribum Ephraim, & reliquam Samariam, quæ illis ab Oriente vicina exponuntur. Et Tribus Beniamin Galaaditem ſibi vicinam obtinebit. *Et tranſmigratio exercitus huius filiorum Iſrael, &c.* Qui verò ex decem Tribubus Iſraëlitæ in peregrinas ſedes tranſmigrarunt, ad ſuas reſtituti Chanaanitidem terram vſque ad Sareptam Sidoniorum Vrbem obtinebunt. Qui verò, ex duabus Tribubus, Iudæi Solymitanum

tantum ſolum reliquere, reuerſi in Auſtralem plagam, quam poſſederant ante, ex quocumque loco, ad quem fuerint ab hoſte abducti, Auſtrales Ciuitates, à quibus exciderant, recuperabunt. Quid verò de *Boſphoro?* Profectò hîc de duabus Tribubus eſt ſermo, quæ à Boſphoro, hoc eſt, ab vltimis vſque terræ finibus vbicumque peregrinari, aut exulare contigerit, ad Ciuitates Auſtri, id eſt, ad Iudæam, & Ieroſolymam, quæ ad partem Auſtralem promiſſæ terræ pertinent, aliquando remigrabunt. Ita D. Hieronymus docet, qui pro Hebræos ספרד *Sepharad* vertit *Boſphorum*, in quo prouerbiali forma intelligit quamcumque regionem, quæ longè diſſita eſt, ſicut Boſphorus procul à terra promiſſionis aberat: aut quæ regionem aliquam definit, vltra quam non eſt, quo progreſſum extendas. *Et aſcendent Saluatores in montem Sion*, Ex monte autem Sion, ad quem exules reuocati rurſus aſcendent, egredientur viri robuſti, qui patriam ſeruent, & amplificent: & ſubacto monte Eſau, rem ita conſtituant, vt Dominus, ſicut prioribus ſæculis, in antiqua ſua regnet hæreditate. Non me latet ab aliquibus bonæ notæ auctoribus hoc vaticinium de Hiſpanis intelligi, Qui felici nauigatione Euangelicam lucem in tranſmarinas intulere regiones. Putant hi vocem *Sepharad*, pro qua Vulgatus reddidit *Boſphorum*. Significare Hiſpaniam, vnde egreſſi, qui *verſ. 21.* dicuntur *Saluatores*. Hi occupabunt (inquiunt) Ciuitates Auſtri, id eſt, quæ trans Oceanum ſunt, ad eam regionem, quæ ad polum pertinet Auſtralem. Horum ſtudium laudo, & ſi ſpiritualem, ſeu accommodatitium ſenſum ſequi lubeat, eis me ob gloriam Hiſpaniæ Saluatores ad Indos immittentis, aſſeclam conſtituo.

Ex Hiſpania ad Indos Saluatores ſunt profecti.

IONAS.

CAPVT PRIMVM.

Ionas in Niniuem à Deo immiſſus in Tharſis fugit. Sorte deprehenſus cauſa eſſe tempeſtatis volens in mare mittitur, & vnde ſedantur.

1. ET factum eſt verbum Domini ad Ionam filium Amathi, di-
cens: 2. Surge, & vade in Niniuen ciuitatem grandem, &
prædica in ea: quia aſcendit malitia eius coram me. 3. Et
ſurrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis à facie Domini, & de-
ſcendit in Ioppen, inuenit nauim euntem in Tharſis: &
dedit naulum eius, & deſcendit in eam vt iret cum eis in
Tharſis à facie Domini. 4. Dominus autem miſit ventum
magnum in mare: & facta eſt tempeſtas magna in mari, & nauis periclitabatur
conteri. 5. Et timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad deum ſuum: & miſerunt
vaſa, quæ erant in naui, in mare, vt alleuiaretur ab eis: & Ionas deſcendit ad interio-
ra nauis, & dormiebat ſopore graui. 6. Et acceſſit ad eum gubernator, & dixit ei:
Quid tu ſopore deprimeris? Surge, inuoca Deum tuum, ſi fortè recogitet Deus
de nobis, & non pereamus. 7. Et dixit vir ad collegam ſuum: Venite, & mitta-
mus ſortes, & ſciamus quare hoc malum ſit nobis. Et miſerunt ſortes: & cecidit
ſors ſuper Ionam. 8. Et dixerunt ad eum: Indica nobis cuius cauſa malum iſtud
ſit nobis: quod eſt opus tuum? quæ terra tua, & quò vadis; vel ex quo populo es
tu? 9. Et dixit ad eos: Hebræus ego ſum, & Dominum Deum cæli ego ti-
meo, qui fecit mare & aridam. 10. Et timuerunt viri timore magno, & di-
xerunt ad eum: Quid hoc feciſti? (cognouerunt enim viri quòd à facie Domini
fugeret, quia indicauerat eis.) 11. Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi, &
ceſſabit mare à nobis quia mare ibat, & intumeſcebat. 12. Et dixit ad eos: Tol-
lite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis: ſcio enim ego quoniam pro-
pter me tempeſtas hæc grandis venit ſuper vos. 13. Et remigabant viri vt reuerte-
rentur ad aridam, & non valebant: quia mare ibat, & intumeſcebat ſuper eos.
14. Et clamauerunt ad Dominum, & dixerunt: Quæſumus Domine, ne perea-
mus in anima viri iſtius, & ne des ſuper nos ſanguinem innocentem: quia tu Do-
mine, ſicut voluiſti, feciſti. 15. Et tulerunt Ionam, & miſerunt in mare: & ſtetit
mare à feruore ſuo. 16. Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immola-
uerunt hoſtias Domino, & vouerunt vota.

COMMENTARII.

1\.
Fugit in Tharſis Ionas.

VERS. 1. 2. *Et factum eſt verbum Domini ad Ionam, &c.* Ionas filius Amathi accepit à Domino vaticinium in hanc ſententiam: Refello hinc Hebreos, qui aſſerunt Ionam fuiſſe Abdiæ Prophetæ filium mariti, vt aiunt, Viduæ Sareptanæ. Quod fieri non potuit; quia Ionas non erat Sareptanus, ſed Gethæus: & à morte Achab (quo tempore Ellias filium viduæ illius à morte excitauit) vſque ad mortem Ieroboami ſecundi Regis Iſraël (quo tempore prophetauit Ionas) centum ſupra decem & ſex anni interceſſere. Agedum (inquit Deus) ô Iona proficiſcere in Niniuem Vrbem latam ſpatiis, & ciuium multitudine copioſam: & (quod prophetici miniſterij eſt) meum circa eius excidium decretum annuncia. Neque enim iàm amplius differri poteſt, quod iam pridem ab illis ſuſpendo ſupplicium: cum illorum malitia iam apud me clamet, & meam in illos iram inſtimulet. Porrò *Niniue* eſt *Ninaue*, Hebraicè, id eſt, *Nini habitatio, vel Nini pulchritudo*, à radice נוה *naue*, quæ & pulchritudinem, & habitationem ſignificat. Erat enim pulcherrima Monarchiæ Aſſyriorum habitatio, & ſedes regia: non ad Eufratem ſita, vt aliqui volunt: ſed ad Tigrim, vt alij veriùs exiſtimant. Prædicare iubetur in ea Propheta non pœnitentiam, vt putat Arias; ſed ſubuerſionem, & excidium: eo quod malitia nimis exorbitans vindictam inclamabat. * Qualia fuerint hæc ſcelera facile aſſequetur, qui ſordidiſſimos Sardanapali tunc illis imperantis mores ex Tulio 5. *Tuſc.* & Iuuen. *Sat.* 5. perſpectos habuerit. Nam ad exemplum Regis totius Regni ſubditorum actiones componuntur.]

Ad Regis exemplū totū Regnum cōponitur.

Verſ. 3. 4. Et ſurrexit Ionas, vt fugeret Tharſis à facie Domini, &c. ſurrexit autem Ionas non Niniuem verſus, vt diuinum præſcriptum impleret. Sed quam longiſſimè aliorum à Niniue, vt datum ſibi negotium declinaret. Fugit igitur non à Dei oculis (quo videbat eſſe impoſſibile) ſed à Dei voluntate: conceſſit in Ioppem, vbi nauem reperit, quæ ſuum in Tharſis curſum deſtinarat: ſolutóque vecturæ pretio, nauem conſcendit, vt ſimul cum conuectoribus aliis ad deſignatam animo prouinciam appelleret. Tharſis ſeu Tharſus eſt primaria Siliciæ Vrbs remotiſſima quidem à Niniue. Sperabat enim ex tam remotis regionibus ſe à Deo non reuocatum, nec remiſſum iri in Niniuam. Deſcendit (ait) in Ioppen portum celebrem in Iudæa hodie Iaffa appellatum à Iaphet Noë filio Vrbs primùm condita, ſita ad mare in edito promontorio, ex quo poteſt Ieroſolyma aſpectari.

2\.
Tempeſtas excitatur in pelago.

Verſ. 4. 5. Dominus autem miſit ventum magnum in mare, &c. Tunc verò Deus, vt fugientem detineret Ionam, ventum euocauit, qui vehementem tempeſtatem excitauit in pelago, quæ ſic nauem afflixit, vt parum abfuerit, quin abſorberetur fluctibus, aut illliſa ſcopulis frangeretur. * Si cum à Deo per peccatum excedere ſtudens tribulationis fluctibus fueris agitatus, frænū illā eſſe crede, quo benigniſſimus Deus te detinere curat, ne ab illo fug ẽs miſere pereas.]

Tribulatio eſt, frænum, quo Deus fugientem peccatorem detinet.

Et timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad Deum ſuum, &c. Ingens tunc horror nautas inuaſit. Quare ſuorum quiſque deorum patrocinium implorat; & quo nauis leuior ſæuientem tempeſtatem ſufferret facilius omnia, quæ oneri eſſe poterant, In mare proiiciunt. Interim autem dum alij de naui vitaque ſoliciti omnia adhibent artis adiumenta, Ionas in ima naui, ad quam ante deſcenderat, alto ſopore correptus tenebatur. * O quam ſtultè audet peccator ſomno indulgere neſciens ſcilicet, an intereà ab irato Numine contra eius vitam ſit exitialis tempeſtas excitanda.]

Non audeat peccator ſōno indulgere, neſciens an interim exitialis tēpeſtas ſit ei excitanda.

Verſ. 6. 7. Et acceſſit ad eum gubernator, &c. Porrò gubernator, cuius fidei, & arti omnium ſalus & nauis commiſſa fuerat cuſtodia, ad Ionam ſubiratus ait: Quid tu in hoc rerum articulo tam profundè dormis, tam ſecurus ſtertis? Surge, & ſicut alij ſuos, ſic tu Deum tuum precibus allicere cura, vt miſeris ferat opem. Fieri enim poteſt, vt mitioribus nos oculis aſpiciat, & ab eo periculo, in quod ſalus noſtra deducitur benignus expediat. *Et dixit vir ad collegam ſuum: Venite, & mittamus ſortes, &c.* Cum proieciſſent in mare merces, & omnia, quæ ei eſſe oneri poterant: nec tamen è periculo liberari: collegerunt, non naturæ vi, ſed cæleſti furore rem propter alicuius crimina regi. * Et quidem nauis periclitabatur ſubmergi ex peccati Prophetæ onere: vnde poſt immiſſas ad mare merces nauis non leuabatur.] Quare omnibus viſum eſt oportere, vt illius immania tempeſtatis cauſam ſortibus explorandam committerent. Cum autem omnia legitimè fierent, ac ritè ex ethnica diſciplina, exit ſors, quæ Ionam vnum ex omnibus tempeſtatis auctorem expoſuit. Porrò nautæ ſatis periti videbant ſubitam illam ex tranquillo æquore tempeſtatem naturalem non eſſe, ſed ſine præuiis ſignis, & præter curſum ventorum, ſiderum, aliarumque cauſarum ſecundarum, repentè cælitus immiſſam. Quo caſu decebat, vt quiſque conſcientiam ſuam conſuleret: conſuleret & alios, num quis aliquem, vel aliquid noſſet tanti mali cauſam. Sortes diuinatorias mittere (ſine ſpeciali iuſſu, vel inſpiratione Dei) prorſus eſt illicitum, propter commercium ſortitioni incluſum cum dæmone, qui iſtic quaſi doctor conſulitur. Certè chartula nomine Ionæ inſcripta primo loco educta fuit ex vrna Deo ſortem, licet malam ac ſuperſtitioſam, ob maius bonum, quod inde elicitum voluit, ſic temperante: vel per dæmonem dirigi permittente, vt Ionas reus deprehenderetur. * Agnatum quidem dæmoni officium peccata hominum publicare.]

3\.
Sorte deprehēditur Ionas cauſa eſſe tempeſtatis.

peccati grauiſſimū onus.

Agnatū dæmoni officiū peccata hominum publicare.

Verſ. 8. 9. Et dixerunt ad eum: Indica nobis, cuius cauſa malum iſtud ſit nobis, &c. Vbi autem ſors ſceleris reum prodidit, ab illo omnes exquirunt ecquid admiſerit, propter quod omnes tam dira iactatione diuexentur: quod illi miniſterium, aut vitæ modus, ex qua gente ortus, quo iter inſtitueret, ex quo populo aut natus, aut profectus. * Vides, ob vnius peccatum omnes ſocios iactari, vt fugias, cum impio ſocietatem inire.] *Et dixit ad eos: Hebræus ego ſum, & Dominum Deum cæli ego timeo, &c.* Ad hæc Ionas, ex Hebræorum gente ſe natum eſſe dixit, nec alium à ſe Deum agnoſci ac coli,

Ob vnum peccatorem multi ſocij diuexantur.

præter

præter illum, qui terræ, ex qua proximè ſoluerant: & maris, in quo variis tunc afflictabantur fluctibus, conditor eſt.

Verſ. 10. 11. 12. *Et timuerunt viri timore magno, &c.* Audito Dei nomine, quem Ionas grauiter offendiſſe, deprehenſus fuerat, magno perturbationis æſtu concuſſi ſunt nautæ: & cauſam rogarunt, cur indignum illud facinus eſſet aggreſſus; iam enim ab illo didicerant, fuga ſe a Domino ſubducere voluiſſe. *Et dixerunt ad eum. Quid faciemus tibi, & ceſſabit mare à nobis, &c.* At cum adhuc æquor magis ac magis intumeſceret ab ipſo Iona (vt qui melius noſſet, quomodò Hebræorum Deus eſſet placandus) rogitant, quid factu eſſet opus, vt Deo iam propitio, illa maris tempeſtas ſedaretur.

In mare proiicitur, & ſedatur tempeſtas.

4. *Verſ.* 12. 13. *Et dixit ad eos: Tollite me, & mittite in mare, &c.* Ad quos ille: Hinc me quamprimùm ſublatum accipite, & proiicite in mare: neque amplius erit vobis à tempeſtate metuendum. Mihi enim compertum eſt, hos tantos motus mea cauſa fuiſſe concitatos. Ex inſtinctu diuino ſciebat, velle Deum, vt quaſi in piaculum & luſtramentum immitteretur in ſinum irati pelagi. Alioquin rem ſuaſiſſet illicitam. * Aquam luſtralem, innui fuiſſe Ionæ ſubmerſionem ad peccatum quodammodo obruendum, Tribulatio enim eſt reliquiarum ſceleris lauacrum, poſtquam per pœnitentiam (quam iam egiſſe Ionam actu contritionis elicito cum nonnullis probabile putarim) fuit culpa remiſſa.] *Remigabant viri, vt reuerterentur ad aridam, &c.* Remigabant interim nautæ, vt ad terram alicubi appellerent, & Ionam in littus exponerent. Certabat enim pietas nautarum cum charitate, ac magnanimitate Ionæ: cupiebantque non minus ipſi conſultum, quam ſibi. Irrito planè id geſſere conatu, quia mare ſæuiebat magis, atquè magis, ità vt abſorbendi viderentur à gurgite.

Labores aqua luſtralis ſunt, peccati abluens reliquias.

Verſ. 14. 15. 16. *Et clamauerunt ad Dominum, & dixerunt: Quæſumus Domine, ne pereamus in anima viri iſtius, &c.* Cum autem nihil conatu illo pio proficerent, iam de proiiciendo Propheta certi, prius tamen vt omne à ſuo capite ſcelus, ac periculum auerterent, in hunc modum precantur: Quæſumus Domine, ne hominis huius interitum noſtro exitio luamus, neque ſanguinem huius, à quo nihil mali accepimus, in noſtrum caput conuertas. Scimus enim, te facilè gerere poſſe, quodcumque animo collibuerit. *Et tulerunt Ionam, & miſerunt in mare: & ſtetit mare à feruore ſuo.* Cum igitur viderent ſe nulla via poſſe eluctari, ea oratione præmiſſa, ſatius arbitrati vnum petere, quàm omnes, Prophetam in mare emiſerunt, quo facto ceſſauit ab æſtu, tumore, & furore: iam enim optatum pignus viſceribus ſuis stringebat, quid vltra iraſceretur. R. Eleazarus addit, nautas Ionam funibus alligatum in mare ſæpius collotenus immerſiſſe, rurſúmque eductum recepiſſe in nauim: ſed quoties demitteretur, mare conquieuiſſe; iterum verò infremuiſſe, quoties reciperetur. Eoque ſigno certiores factos diuinæ voluntatis, tandem penitus pelago permiſiſſe. * Vel à barbaris edocemur ingenioſam admodum eſſe charitatem in proximos: pluraque gerenda eſſe, priuſquam eis incommodum aliquod intentemus.] *Et timuerunt viri timore magno Dominum.* Ex illa tanta, ac tam ſubita rerum mutatione, dignouere nautæ, verum eſſe Deum, cui venti, mareque paruerant. Quarè præcipuâ quadam religionis obſeruantia immolauerunt hoſtias, & in reliquum, quod facere aſſolent nauigantes, cum in portum emerſerunt incolumes, vota nuncuparunt. Credunt aliqui, eos etiam Iudaicis ſacris initiatos, & proſelytos effectos. Egregium enim charitatis facinus vel in Gentili, Dei excitat pietatem, vt benignus accurrat, eumque à via praua abducens, ad rectam adducere dignetur.]

Charitas ingenioſa admodum ad proximũ liberandum à quocumque incommodo.

Egregia charitatis actio vel in Gentili, Deum allicit, vt illum ad rectitudinis viam adducat.

CAPVT II.

Ionas à ceto abſorbetur, & Deum eius in ventre laudans, die tertia in aridam euomitur.

1. ET præparauit Dominus piſcem grandem vt deglutiret Io-
nam: & erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus
noctibus. 2. Et orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de
ventre piſcis. 3. Et dixit: Clamaui de tribulatione mea ad
Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi clamaui, &
exaudiſti vocem meam. 4. Et proieciſti me in profundum
in corde maris, & flumen circumdedit me: omnes gurgites
tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt. 5. Et ego dixi: Abiectus ſum à conſpectu
oculorum tuorum: verumtamen rurſus videbo templum ſanctum tuum. 6. Cir-
cumdederunt me aquæ vſque ad animam: abyſſus vallauit me, pelagus operuit ca-
put meum. 7. Ad extrema montium deſcendi: terræ vectes concluſerunt me in
æternum: & ſubleuabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus. 8. Cùm
anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum: vt veniat ad te oratio
mea ad templum ſanctum tuum. 9. Qui cuſtodiunt vanitates fruſtrà, miſericor-
diam ſuam derelinquunt. 10. Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæ-
cumque voui, reddam pro ſalute Domino. 11. Et dixit Dominus piſci: & euo-
muit Ionam in aridam.

COMMENTARII.

1\. *Abſorbetur Ionas à piſce, in cuius ventre Deum laudat.*

VERS. 1. *Et præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam, &c.* Præparauerat autem Deus piſcem grandem ſiue cetum, qui eiectum ex naui Ionam deuoraret: in cuius ſtomacho tribus diebus, totidemque noctibus delituit. LXX. *Præcepit Deus ceto magno.* Hebræi enim omnem ordinationem, ſeu prouidentiam Dei *præceptum*, vocitant.

Prius quàm inſtet tribulatio, Deus ab ea euaſionem præparat.

* Diuinæ prouidentiæ erga eos, qui labores ſuſtinent pulchritudinem annota. Prius enim, quam inſtet tribulatio, ab ea præparat euaſionem.] Cetum hunc balænam fuiſſe communiter exiſtimant expoſitores. Aſt ego non capio, tantam balenæ gutturis, ac ventriculi ineſſe vacuitatem, vt hominem integrum atque illæſum deglutire, ac continere poſſet: vnde exiſtimo hunc Ionæ piſcem fuiſſe, quem Theophraſtus vocitat *carchariam*, ſeu *lamiam*, nec niſi generali nomine cetum vocari, quomodo quiſque magnus piſcis vulgò cetus ſolet appellari. Patebat itaque rictus huius monſtri inſtar apertæ ianuæ, per quam in ventrem quaſi in ſpelũcam ingreſſus Prophetæ dab tur. Porrò hîc multa agnoſco miracula. Primum, quod venter calidiſſimus vt alios cibos Ionam non abſumpſerit. Secundum, quod reſpirationem, & aëris frigidi attractionem permiſerit. Tertium, quod fœtore ſuo hominem non exanimarit. Quartum, quod non vitæ tantùm, ſed & mentis compotem reliquerit.

Verſ. 2. 3. Et orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum ex ventre piſcis. In illo autem anguſto, obſcœno, & horribili ventris receſſu ad Dñm Ionas orauit.

Oratio præſentiſſimum in tribulatione remedium.

*Oratio enim eſt præſtantiſſimum in omni labore, ac tribulatione remedium.] *Et dixit: Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, &c.* Narrauit autem Ionas, poſtquam à vomente bellua fuit in littore expoſitus: quid ſibi tam in ceti ventre, quam ante, quando exturbatus è nauigio, à fluctibus iactatus, ad imum vſque gurgitem eſt demerſus. Et prius illa commemorans, quæ paſſus eſt in pelago, in hunc modum ait: Cum in eam tribulationem eſſem deductus, vt iam actum eſſe de me exiſtimarem: cum in ceti ſtomacho non aliter quam in ſepulchro iacerem: clamaui ad te Domine, & preces meas ad aures, & ad animum tuum propitius admiſiſti.

Tribulato nos edocet affectuosè orare.

* Orans in tribulatione illicò à Domino exauditur, quia tribulatio nos edocet elata voce, ardenti ſcilicet affectu exorare.]

Verſ. 4. 5. Et proieciſti me in profundum in corde maris, &c. Proieciſti me in aquarum abyſſum, ita vt vndècumque immenſa aquarum moles circumfunderet. Omnes fluctus occultique gurgites æſtuantis æquoris in caput meum tumentes induxiſti. *Et ego dixi. Abiectus ſum à conſpectu oculorum tuorum, &c.* Cum ex illa pelagi voragine nullum viderem ad ſalutem effugium pareſcere: mecum ipſe dicebam. Auertit iam à me Deus miſericordes oculos, paternam de me ſolitudinem abiecit. Poſt verò cum diutius traherem anhelantem ſpiritum, confirmaui me, ac dixi, adeundum eſſe iterum Templum Domini, vbi gratias pro liberatione debitas agerem, & concepta pro ſalute vota perſoluerem.

Labores patienter tolerati etiam temporalem vitam ſolent producere.

* Vnde nam precor Ionas tanta actus calamitate ſperauit fore, vt rurſus Dei templum videret? Certè quia labores patienter tolerati non ſolùm æternam felicem adſtruunt vitam, ſed & temporalem producere aſſolent.]

Poſt beneficium acceptum, prima tua actio ſit, Deo gratias referre.

* Nihil prius cogitat è tribulatione emerſurus Ionas, quam Templum inire, vt de beneficio Deo gratias referat, vt edoceamur, primam actionem poſt beneficium acceptum ad gratos nos largitori oſtendendos, dirigi debere.]

Verſ. 6. 7. 8. Circumdederunt me aquæ vſque ad animam, &c. Iam actum eſſe de mea vita putabam, cum eo me fluctus adegiſſent, vt reſpirandi facultas tolleretur, & iam propè eſſem, vt exhallarem animam: circumuallabat namque me immenſa gurgitis altitudo, in caput meum penitus pelagus incumbebat. *Ad extrema montium deſcendi, &c.* LXX. Ad *fiſſuras*, vel *inciſuras*, ſeu ad fines, ad extremitates, vbi montes terminantur. In promontoriis enim, vbi (quæ mox *vectes terræ vocat*, quia illis quaſi vectibus terra concluditur, & inacceſſa redditur) ſolent eſſe horrendæ fiſſuræ, & cauernæ, quibus quaſi cubilibus ceti recipiuntur. Ab hoc (inquit itaque) ceto deuectus ſum in montoſa ſaxoſa, & ſcopuloſa loca, è quibus in æternum non emerſiſſem abſque diuinæ potentiæ tuæ ſingulari ope. *Cum anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum, &c.* Cum autem in illo marinæ belluæ ſordido ac viuo hoſpitio diuerſarer, Dei ſum recordatus.

Labores nos faciunt Deũ traditũ obliuioni ad memoriam referre.

* Labores enim faciunt peccatorem ſomno correptum, inuigilare, vt Deum obliuioni iam traditum referat ad memoriam.] Vndè ſperaui fore, (idque ipſum à te Domine precatus ſum) mihi vt liceret tuum inire Templum, & tuam ibi potentiam agnoſcere, & orando eximiam potentiam commendare.

Verſ. 9. 10. 11. Qui cuſtodiunt vanitates fruſtrà, miſericordiam ſuam derelinquunt. Qui diis ſupplicant peregrinis, & fruſtrà poſt religiones vanas abducuntur: quod à tua benignitate acceperint neque curant, neque recordantur. *Ego autem in voce laudis immolabo tibi, &c.* Ego verò acceptæ à te vitæ memoriam non deponam: ſed lubens & gratus alacriter immolabo, ac ſoluam, quæ tibi pro ſalute mea vota nuncupaui. *Et dixit Dominus piſci: & euomuit Ionam in aridam.* 2.

In aridam Ionas euomitur.

Cum illa Ionas maris, & ceti ſubiiſſet incommoda, & feruens oraſſet: præcepit Dominus piſci, vt creditum ſibi depoſitum integrum redderet. Ille verò nihil cunctatus, ex pelago in aridam ripam euomuit incolumem. In quam quæſierim ripam? An in maris Rubri litus? An in Ponti Euxini arenam? An in Niniuæ littora? Affirmant id alij. Aſt ego crediderim, eiectum Ionam non procul à Ioppe, vnde ſoluerat; indeque aſcendiſſe Ieroſolymam, quæ in vicino eſt, & ibi gratias Deo, & vota illi facta perſoluiſſe.

Vota Deo emiſſa illicò implenda.

Docens quidem, promiſſiones, & vota emiſſa illicò impleri debere.]

Chriſtum & ſimul cum eo omnes quos abſorpſerãt, mors & infernus euomuere.

* Vox illa *euomuit* innuit, Ionam ita grauaſſe, & afflixiſſe ventrem ceti, vt coëgerit eum euomere. Haud aliter Chriſtus antitypus Ionæ deſcendens in mortem, & infernum, ita afflixit illa, vt cogerentur euomere non modo Chriſtum, ſed & ſanctos omnes, quos antè abſorpſerant.]

CAPVT

CAPVT III.

Excidium poſt dies quadraginta Ionas prædicit. Niniuitæ cum ſuo Regè pœnitentiam agunt. A Deo illis parcitur.

1. ET factum eſt verbum Domini ad Ionam ſecundò, dicens:
2. Surge: & vade in Niniuem ciuitatem magnam: & præ-
dica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te. 3. Et
ſurrexit Ionas, & abiit in Niniuem iuxta verbum Domini:
& Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum. 4. Et
cœpit Ionas introire in ciuitatem itinere diei vnius: & cla-
mauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies: & Niniue ſubuer-
tetur. 5. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum; & prædicauerunt ieiunium, &
veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſque ad minorem. 6. Et peruenit verbum ad regem
Niniue: & ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt
ſacco, & ſedit in cinere. 7. Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis & princi-
pum eius, dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non guſtent quidquam:
nec paſcantur, & aquam non bibant. 8. Et operiantur ſaccis homines, & iumen-
ta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via ſua mala, &
ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum. 9. Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat
Deus: & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus? 10. Et vidit Deus opera
eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala: & miſertus eſt Deus ſuper malitiam,
quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.

COMMENTARII.

1. Excidium Niniue prædicit.

VERS. 1.2. *Et factum eſt verbum Domini ad Ionam, dicens, &c.* Secundò Dominus locutus fuit Ionæ, illique dixit: Age ô Iona, & in Niniuem Ciuitatem magnam, copioſam ſcilicet, & lautam proficiſcere: & ei denuncia quodcumque à me verbum, & mandatum acceperis.

Taxantur Concionatores, qui prædicationem non prædicant, ſed verba inania.

* *Et prædica*, inquit, *prædicationem*, vt decet Concionatorem à Deo immiſſum. Multi enim prædicant non *prædicationem*, ſed vanis, ſed futilibus clauſulis ſtudent emulcere aures, non corda auditorum ad virtutem allicere.

Verſ. 3. Et ſurrexit Ionas, & abiit in Niniuem iuxta verbum Domini, &c. Paruit Propheta ſtatim Dei præſcripto.

Incommoda quæ ex inobedientia ſubiit, facit ſubditum promptè obedire.

* Memoria enim incommodi, quod ex inobedientia ſubiit, facit ſubditum properè, & alacriter præceptis obedire.] Erat autem Niniue Ciuitas ampliſſima, quanta non minus triduano itinere ab altero in alterum extremum poſſet perorari. Porrò cum Ciuitas hæc primo à Nino conderetur, habebat in circuitu ſtadia 480. ſeu milliaria 60. id eſt, Hiſpanicas & Gallicas leucas viginti teſte Diodoro Siculo *lib. 3. cap. 1.* Quanta autem incrementa exiſtimas tredecim ſæculorum ſpatio illi acceſſiſſe Vrbi, in qua totius ferè orbis Monarchæ reſidebant. Ptolemæus aſſerit Niniuem non ſolum fuiſſe Babylone maiorem, ſed & aliis omnibus Vrbibus, quæ vel antè, vel poſt eam conditæ fuere. Quod ergò hîc de Niniue dicitur fuiſſe *magnam itinere trium dierum,*

R.P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. to. VII. p. I.

non accipio de ambitu Vrbis vt nonnulli volunt multo minus de plateis ſimul omnibus, & vicis ac mæandris (vt alij exiſtimant; ſed accipio de ſolo Vrbis diametro: nempè vt ad eam ab vno extremo ad aliud directa via peruadendam, tridui totius opus eſſet itinere.

Cuncta temporalia admodum caduca.

* Vt hinc perpendas quàm omnia temporalia caduca, cum ex tàm ingenti Vrbe vix pro monumento nuda ſit appellatio relicta.]

Verſ. 4. Et cœpit Ionas introire in Ciuitatem, &c. Ionas ergo primam Ciuitatis partem peruadit, quæ erat tertia diametri pars, clamans vbique, & omnium auribus intonans: exactis quadraginta diebus, impendere Ciuitati extremum excidium. Ionam non deterret à dato ſibi negotio, neque quod homo eſſet peregrinus, & ignobilis, neque quod ſibi cum ingeniis duris confligendum eſſet: & quæ iampridem molliores blanditiæ ad omnem morum intemperantiam eneruaſſent: quod denique nuncium allaturus eſſet, ex quo ſperare nihil poterat, niſi ſannas, plagas, & mortem. Sed norat iam magno ſuo periculo, omnia ſubeſſe Deo, nec ſibi quidquam, niſi permittente Deo, ab humana potentia fore metuendum.

Nihil timeant Concionatores cum Dei cauſam agunt.

Ideò audacter inclamat: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Edocens Concionatores, audacter ſcelera carpere, nec vllum periculum, cum Dei cauſam agunt, eſſe timendum.]

Verſ. 5.6. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, &c. Tunc vero concionante Propheta, & Dei nomine cæleſte ſupplicium denunciante: conterriti Niniuitæ in Deum credidere, & præconis voce publicum ciuibus indixere ieiunium. Qui mandatum illud lubentes amplexi à maximo ad minimum induti Sacco acce-

ptum à Senatu ieiunandi præceptum obiecrunt. * Cum publicam pietatis actionem proceres Vrbis agere incipiunt facillimè populus eorum exemplum æmulantur.] * Portò Senatus ad compunctionem ciuium appoſitè ieiunium indixit. Vt enim peccator à culpa ieiunet, optimaeſt ieiunium præparatio.] *Et peruenit verbum ad Regem Niniue, &c.* Minaces illæ Ionæ voces ad aures vſque regias peruenerunt, poſtquam indictum eſſet ieiunium, & populus erat formidine affectus. * Serò enim veritas ſolet ad Regum aures peruenire.] Rex quidem confeſtim deſiliit è ſolio, & inſigni regio, molliquc veſtimento abiecto, aſperum induit ſaccum, & pauimentum, in quo iaceret, cinere conſtrauit. Tunc temporis erat Niniuæ Rex Sardanapalus Hic enim tempore Ieroboami ſecundi Regis Iſraël, & initio Azariæ ſeu Oziæ Regis Iuda erat Aſſyriorum Monarcha. Qui etſi perditiſſimis eſſet moribus, totuſque luxu diffllueret, auditis tamen Prophetæ minis, compertoque ex nautis & vectoribus miraculo eductionis Ionæ è ventre ceti, quod iam toto oriente celebrabatur, compunctus, & conuerſus eſt, egitque cum omnibus ſuis Niniuitis pœnitentiam. * Potentia tanta eſt in ſacro verbu à feruenti prolato Concionatore.] Imui verò ex variis Doctoribus ad Regis aures perueniſſe miraculum eductionis Ionæ è ventre piſcis poſtquam ad tempeſtatem ſedandam à nautis fuit in mare proiectus: ex qua quidem hiſtoria Rex ad meliorem ſe frugem recepit. * Vndè colligo exempla, quæ de more à Ieſuiſtis quadrageſimali tempore narrantur appoſita admodum eſſe ad peccatorum conuerſionem.]

Piam actionē publicā procerum facilè populus imitatur.

Ieiunium ad compunctionē diſponit.

Veritas ſero peruenit ad Regū aures.

Verbum ſacrum à feruēti Concionatore prolatū, eſt potentiſſimum.

Exēpla, quæ à Ieſuitis de more narrātur quadragesimæ tempore, valdè conferunt ad peccatorum cōuerſionē.

Verſ. 7. 8. Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore Regis, &c. Tum etiam ex ſuo Principumque nomine publicè præconis voce edixit, vt neque homines quidquam eſculentum, aut poculentum deguſtent: & omnes pecudes atque armenta à pabulo ac potu prorſus arceantur. *Et operiantur ſaccis homines, &c.* Nec tantum hominibus & armentis abſtinendum indicit: ſed etiam addit, vt iumenta muta, ſicuti homines, ſaccis cilicinis operiantur: vt omnes meliorem vitæ modum amplexari, antiquum deteſtentur, & à vi, atque rapina rapaces manus ac violentas abſtineant. Quorſum animantibus culpæ expertibus ieiunium & ſaccus indicitur? Certè cum Rex ac Senatus cognoſcerent, ciuitatem ita eſſe contaminatam, vt vix, imò nec fortaſse vllus à culpa eſſet immunis: prudenter intento in ſe furori diuino animantium ieiunium, & afflictionem opponunt: quæ cum nihil vnquam in Deum peccaſſent, illius iram auerterent, & in homines ſcelerum reos diuinam miſericordiam prouocarent. Quomodo enim, cum præ fame ac ſiti balantes pecudes, mugientes boues, & ſua cuiuſque natura ferebat gementes animantes audiret, non alliceretur ad miſericordiam, qui omne animal benedictione implet. Tanta eſt vis communis clamoris ad Deum placandum, vt vel irrationabilium clamores eum quodammodò ad pietatem alliciant.]

Magna eſt vis cōmunis clamoris ad Deum placādum.

Verſ. 9. 10. Quis ſcit. Si conuertatur, &c. Sperabat Rex fore, vt Deus in tot gemitus, ac lacrymas intentus, mutaret animum, & ignoſceret illis, & ab intentato ſupplicio liberaret, quos tam dura comminatione concuſſerat. *Quis ſcit*, inquiunt, *ſi ignoſcat Deus.* Non dubitant de remiſſione culpæ, ſed ſolius pœnæ. Nemo enim quantumuis iuſtus poteſt de condigno ſatisfacere pro pœna accidentali temporanea, & extraordinaria, qualis hîc erat Niniuæ euerſio: ſed neque poteſt aliquid facere, quod infallibiliter de congruo talis pœnæ remiſſionem conſequatur. Vti ex his ac ſimilibus locis docet Suarius (*to. 4. de pœnit. diſp. 37. ſect. 9.*) *Et vidit Deus opera eorum, &c.* Cum autem Deus videret illorum opera, quæ à delicatis, & mollibus extorſiſſet aut ſupplicij metus, aut conceptus ex peccati turpitudine dolor: quodque mores abieciſſent antiquos, & de meliore viuendi more cogitarent: miſertus eſt illorum; & ab inferendo ſupplicio, quod minatus fuerat, manum abſtinuit. Vera fuit Niniuitarum pœnitentia, de qua nec antiqui Patres, nec quiſquam ſanus ac pius poteſt dubitare, cum Chriſtus Dominus, qui non ſimulatam ſed veram pœnitentiam probat, hanc Niniuitarum *Mat. 12. 41.* commendauit. Pro verbo illo, *Miſertus eſt.* Hebræus poſuit, וינחם *vaiinachem*, quod idem valet, ac *Deum pœnituit*. Quaſi Niniuitarum Dei quoque pœnitentia reſpondeat. Si te de peccato pœniteat, Deum etiam de ſupplicio, quod inferre parabat, pœnitebit.] Deus itaque tunc illis pepercit, paulo autem poſt relapſis omnibus in priſtina vitia, & Rex, & regia Vrbs, & omnis regia ſtirps per Babylonios, ac Medos fuit exciſa.

Si te de peccato pœniteat, Deū de ſupplicio inferendo pœnitebit.

CAPVT IV.

Quod Deus Niniuitis parcat, ægrè fert Ionas. Quem Deus per vmbram hederæ vermemque illam corrodentem corrigit.

1\. ET afflictus eſt Ionas afflictione magna, & iratus eſt: 2. &
orauit ad Dominum, & dixit: Obſecro Domine, numquid
non eſt hoc verbum meum, cùm adhuc eſſem in terra mea?
propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharſis: ſcio enim
quia tu Deus clemens & miſericors es, patiens & multæ
miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia. 3. Et nunc
Domine tolle quæſo animam meam à me: quia melior eſt
mihi mors, quàm vita. 4. Et dixit Dominus: Putáſne benè iraſceris tu?

5\. Et

5. Et egreſſus eſt Ionas de ciuitate, & ſedit contra Orientem ciuitatis: & fecit ſi-
bimet vmbraculum ibi, & ſedebat ſubter illud in vmbra, donec videret quid acci-
deret ciuitati. 6. Et præparauit Dominus Deus hederam, & aſcendit ſuper ca-
put Ionæ, vt eſſet vmbra ſuper caput eius, & protegeret eum (laborauerat enim) &
lætatus eſt Ionas ſuper hedera, lætitia magna 7. Et parauit Deus vermen aſcenſu
diluculi in craſtinum: & percuſſit hederam, & exaruit. 8. Et cùm ortus fuiſſet ſol,
præcepit Dominus vento calido & vrenti: & percuſſit ſol ſuper caput Ionæ, & æſtua-
bat: & petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & dixit: Melius eſt mihi mori, quàm viue-
re. 9. Et dixit Dominus ad Ionam: Putáſne benè iraſceris tu ſuper hedera? Et
dixit: Benè iraſcor ego vſque ad mortem. 10. Et dixit Dominus: Tu doles ſuper
hederam, in qua non laboraſti, neque feciſti vt creſceret, quæ ſub vna nocte nata eſt,
& ſub vna nocte periit. 11. Et ego non parcam Niniuæ ciuitati magnæ, in qua ſunt
pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram &
ſiniſtram ſuam, & iumenta multa?

COMMENTARII.

VERS. 1. *Et afflictus eſt Ionas afflictione magna, & iratus eſt.* Cum videret Ionas in Ciuitate nouam illam pœnitentiæ formam, ſerique ſuſpicaretur, vt miſertus Deus ſupplicium iudictum aut temperaret, aut omitteret: timerétque, nè ipſe ideò nugator haberetur, & fallax: afflictus eſt vehementer, & graui quadam indignatione condoluit. * Diſco ex his, quanto clementior ſit Deus homine etiam ſancto. Si Ionas in hac cauſa Iudex ſediſſet, in omnes Niniuitas etſi pœnitentes, ſententiam mortis ob præcedentia ſcelera tuliſſet. At Deus ob pœnitentiam omnes vt à culpa, ſic & à pœna abſoluit. *Melius ergò eſt incidere in manus Dei, quam in manus hominum.* 2. Reg. 24. 14. Peccauitnè Ionas? Non peccauit lethaliter, quia optauit rem iuſtam, nempè vt Niniuitæ ob peccata prælapſa temporali pœna punirentur: & ſententia Dei ſemel in eos lata non reuocaretur, eſto pœniterent. Sic Iudex latronem ſuſpendit, eſto pœniteat. Quia tamen Ionas id zelo indiſcreto exoptat, & vano fine, nempè vt ſuo honori conſular, cum tanto Niniuitarum incommodo, ſaltem venialiter deliquit.

Melius incidere in Dei quàm in hominis ſancti manus.

Verſ. 2. 3. Et orauit ad Dominum, &c. Tunc verò conuerſus ad Dominum in hunc modum orauit: Obſecro Domine, liceat mihi de te paulis perqueri. Numquid non prudenter fugiendum mihi putatam in Tharſis, vt declinarem ignominiam, quam antè præuideram? Sciebam enim te Deum eſſe miſericordem, qui neque feſtinus es, neque præceps in ſumendo ſupplicio: ſed peccatorum pœnitentiam patienter expectas: cuius pietatem nulla vincet criminum multitudo, nulla ſcelerum exhauriet immanitas. * Amicus Dei Ionas, cui diuinum ingenium erat manifeſtum, ſcire ſe dicit, tantam eſſe Dei pietatem, vt nullatenus ſibi perſuadere poſſet comminatoriam illam ſententiam effectum habituram. Quaſi Dominus minas ſciret portendere, non tamen ſortiri minarum effectum.] *Et nunc Domine, &c.* Et nunc, Domine, quandò ita de meo nomine, & de Niniuitarum ſalute ſtatuiſti: quam illis minatus es mortem in me conuerte. Optabilius enim mihi eſt mortem oppetere, quàm plenam ignominiæ vitam ſuſtinere. * Quænam, precor, tanta ignominia illa Prophetæ, cuius maior ſit, quam mortis horror? Certè à Niniuiis haberi mendacem. Et quidem viro ingenuo inter ſuprema opprobria poreſt annumerari, quod mendax habeatur.]

Deus ſcit minas portendere, quodammodò verò neſcit ſuppliciũ inducere.

Viro ingenuo opprobriũ eſt morte dirius, quod mendax habeatur.

Verſ. 4. 5. Et dixit Dominus: Putáſne bene iraſceris tu? Ad Ionam Dominus: Numquid, iuſtam tibi iraſcendi cauſam ineſſe? Iniuſtam eſſe omninò ego tibi euidenter oſtendam: *Et egreſſus eſt Ionas de Ciuitate, &c.* Cogitabat hæc Ionas, quærebaturque eum adhuc eſſer in Vrbe, & præſens Niniuitarum pœnitentiam aſpiceret. Egreſſus autem, indè in Ciuitatis regione conſedit, quæ ſolem Orientem ſpectabat. Ibi raptim ſibi conſtruxit vmbraculum, vbi in opaco loco vmbram captaret, & quaſi in ſpecula, quid eueniret denique Ciuitati proſpiceret.

Verſ. 6. 7. Et præparauit Dominus Deus hederam. Tunc autem fecit Dominus, vt ſubitò naſceretur, & creſceret hedera, quæ illud operiret vmbraculum, & Ionæ caput à caloris inclementia defenderet: laborauerat enim dum feruidæ prædicationi dedit opus: & tunc ex præcedentis laboris æſtu defatigabatur. Ex quo quidem tam inſperato atque opportuno ſubſidio magnam Propheta cepit voluptatem. * Illa rurſum verba reſume: *Laborauerat enim,* prædicando. Cui Deus opportunè, & iuſtè prouidit refrigerium. Hi enim, qui tàm laborioſo concionandi miniſterio ſtudent, meritò debent aliquo temporario refrigerio ſubleuari.] *Et parauit Deus vermem, &c.* Cum verò Ionas gaudio ingenti exultaret, iam Dominus præparauerat vermem ſubmatutinum crepuſculum, qui arroſa radice, fecit, vt hedera repentè exareſceret, & tota illa viriditas ambitioſa deflueret. Ne nimium exultent illi, quos mundi viriditas luxurioſa delectat. Eodem enim tempore, quo proſperitas naſcitur, aſſolet & vermis mortis oriri, qui pulchram exſiccet viriditatem.

Qui laborioſo concionãdi miniſterio ſtudent, aliquo vel temporali ſubſidio leuari debent.

Dũ homini naſcitur proſperitatis viriditas, ſolet ſimul vermis mortis oriri.

Verſ. 8. 9. Et cum ortus fuiſſet Sol, &c. Cum Sole autem Oriente excitatus eſt ventus vehementer calidus, quem Deus contrà Prophetam euocauit: cui cum ſe Solis acer calor adiungeret, & vterque ſimul Ionæ caput percuteret vehementi moleſtia ille afflictabatur, neque vim caloris poterat ſuſtinere. Vndè mortem iterum optat, dixitque doloris impatiens: Melius eſt mihi animam agere, quàm ſpiritum ſic

Æternæ flammæ horribilitas.

laborantem ducere. * Deſcende hinc mente quæſo ad æternam illam qua damnati flamma intolerabili carpuntur: & ex momentaneo quo Ionas adeò afflictus afficitur æſtu, qui eum cogit potius mortem oppetere, quàm illum ſuſtinere: collige æterni illius miſerrimi ſtatus deſperationem, cum mors in affectu ſemper, nunquam aderit in affectu.] *Et dixit Dominus ad Ionam &c.* Ad Ionam Dominus: Iuſtamne cauſam babere te exiſtimas vt propter hederam tibi ita efferueſcat? Propheta reſpondit: Iuſtiſſimam omninò me cauſam habere puto, & adeò grauem, vt ad mortis vſque deſiderium me æſtus adigat impatientem.

Verſ. 10. 11. *Et dixit Dominus: Tu doles ſuper hederam, &c.* Rurſus ad Ionam Dominus: Tu doles propter hederam, quæ neque à te plantata eſt, neque tua, vti vides, induſtria creuit: quæ vſque adeò eſt futilis, vt vna nocte ſit nata, & eadem viriditatem, & vitam amiſit. Et ego non doleam de tantæ Vrbis interitu? Non parcam Niniuæ antiquiſſimo, ampliſſimoque populo, in quo, vt aliam innumerabilem hominum omittam multitudinem, plura ſunt, quam centum ac viginti paruulorum millia, qui nibil, quo debeant deperire, admiſerunt: quique adeò rerum ſunt ignari, vt nullum noſcant dexteræ ac ſiniſtræ diſcrimen: multa denique iumenta, quibus Vrbe cadente, ſimul eſſet cum hominibus pereundum? * Ob innocentiam ſacta vnda minime dilutorum infantium Deus tot hominibus ſceleratiſſimis ignouit: & non indulgentiorem ſeſe præſtabit Chriſtiano populo, in quo quamuis in multis (heu) ſcelera vigeant, tanta eſt in infantibus baptiſmo dilutis innocentia gratior, & in adultis tanta ſanctitas floreſcit?] Profectò Niniuitarum pœnitentia, licet, ſeria, diuturna non fuit; nam paulo poſt in antiqua relapſi ſcelera fuére. * Praua etenim conſuetudo facilè homines ad prælapſas abducit voluptates.] Ideò irato Domino nono anno Oziæ ſeu Azariæ Regis Iuda à Phul Babyloniorum Præfecto & ab Arbace Medo validiſſimis exercitibus cincti expugnati, ac ſubiugati ſunt, Sardanapalo Rege, nè ſuis hoſtibus eſſet ludibrio, in medio Vrbis in pyra excelſa ſe, ſuaſque concubinas ac theſauros omnes flammis abſumente. * Qui à Deo miſericorditer exceptus ſceleribus nuncium remiſit, caueat, nè rurſum ad crimina dilabatur. Ingratos enim poſt ſantum beneficium acrius Deus aſſolet vulnerare. Porrò Ionas vnus ex omnibus Prophetis miſſus eſt ad Gentes, in quo typus fuit Chriſti Domini, vti in reditu ſuo die tertia ex ventre ceti: *Math.* 12. 40. Vitæ ſanctitate illuſtris, catalogo ſanctorum adſeriptus eſt in Martyrologio die 21. Septembris. Sepulchrum eius oſtenditur in Geth viculo haud grandi, ſecundo a Sephorim (nune Diocæſarea euntibus Tyberiadem milliario. Plura de Iona omitto.

Ob innocentes Deus communitati peccatrici ignoſcit, eam ad pœnitentiam alliciens.

MICHÆAS.

CAPVT PRIMVM.

Prædicit excidium Samariæ, quia prior idololatriæ dedit ſtudium. Et Tribui Iuda, quia Samariæ in eadem idololatria æmulatrix adhæſit.

1. VERBVM Domini, quod factum eſt ad Michæam Mora-
ſthitem, in diebus Ioathan, Achaz, & Ezechiæ, regum Iuda:
quod vidit ſuper Samariam, & Ieruſalem. 2. Audite po-
puli omnes, & attendat terra, & plenitudo eius, & ſit Domi-
nus Deus vobis in teſtem, Dominus de templo ſancto ſuo.
3. Quia ecce Dominus egredietur de loco ſuo; & deſcendit,
& calcabit ſuper excelſa terræ. 4. Et conſumentur montes
ſubtus eum: & valles ſcindentur ſicut cera à facie ignis, & ſicut aquæ, quæ decur-
runt in præceps. 5. In ſcelere Iacob omne iſtud, & in peccatis domus Iſraël, quod
ſcelus Iacob? nónne Samaria? & quæ excelſa Iudæ? nónne Ieruſalem? 6. & po-
nam Samariam quaſi aceruum lapidum in agro cùm plantatur vinea: & detraham
in vallem lapides eius, & fundamenta eius reuelabo. 7. Et omnia ſcultilia eius
concidentur, & omnes mercedes eius comburentur igne, & omnia idola eius po-
nam in perditionem· quia de mercedibus meretricis congregata ſunt, & vſque ad
mercedem meretricis reuertentur. 8. Super hoc plangam, & vlulabo: vadam
ſpoliatus, & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthio-
num. 9. Quia deſperata eſt plaga eius, quia venit vſque ad Iudam, tetigit por-
tam populi mei vſque ad Ieruſalem. 10. In Geth nolite annunciare, lacrymis ne
ploretis, in domo Pulueris puluere vos conſpergite. 11. Et tranſite vobis habi-

tatio

tatio Pulchra, confuſa ignominia : non eſt egreſſa quæ habitat in exitu : planctum
Domus vicina accipiet ex vobis, quæ ſtetit ſibimet. 12. Quia infirmata eſt in
bonum, quæ habitat in amaritudinibus : quia deſcendit malum à Domino in por-
tam Ieruſalem. 13. Tumultus quadrigæ ſtuporis habitanti Lachis : principium pec-
cati eſt filiæ Sion, quia in te inuenta ſunt ſcelera Iſraël. 14. Propterea dabit emiſ-
ſarios ſuper hereditatem Geth : domus mendacij in deceptionem regibus Iſraël.
15. Adhuc heredem adducam tibi quæ habitas in Mareſa : vſque ad Odollam ve-
nient gloria Iſraël. 16. Decaluare, & tondere ſuper filios deliciarum tuarum : dilata
caluitium tuum ſicut aquila : quoniam captiui ducti ſunt ex te.

COMMENTARII.

1. Excidium Samariæ.

VERS. 1. *Verbum Domini, quod factum eſt ad Michæam, &c.* Hoc verbum à Domino Michæas Moraſthites contra Samariam, & Ieroſolymam accepit, id eſt, contra duodecim Tribus, in duos populos ordineſque diſtinctas, quo tempore Iudaicarum rerum Ioathan, Achaz, & Ezechias arbitrio potiebantur. Moraſthis viculus erat Tribus Iuda iuxtà Eleutheropolim. Nonnulli Doctores hunc Michæam cum altero Michæa confundunt, qui non ex Iuda, ſed ex Ephraïm fuit ortus : nec vixit ſub Ioathan, Achaz, & Ezechia, ſed centum quinquaginta antè annis ſub Achab, & Ioſaphat. 3. *Reg.* 22.14.

Verſ. 2.3.4. *Audite populi omnes, &c.* Incolæ omnes terræ ſanctæ audite latam cælitus de ſceleribus veſtris plectendis ſententiam. Et Deus de cælo, in quo tanquam in Templo ſuo, & palatio regali glorioſus reſidet, ſit vobis mihique teſtis, quod muneri mihi commiſſo ſum fideliter functus, vos monendo, corripiendo, & imminentes capitibus veſtris tribulationes annunciando. * Hoc quidem eſt Concionatoris Euangelici officium, auditores monere, peccata corripere ſupplicia impiis præparata prænunciare : non aures adulatoriis verbis demulcere. An verò fideliter ſuo officio fungantur, Deus è Templo muneratutis zelum, deſidiam punitutus, teſtis & Iudex adſtat.] *Quia ecce Dominus egredietur de loco ſuo, &c.* Quia Deus noua expeditione ſuſcepta, è cæleſti throno deſcendet iratus, & conteret, exſcindet etiam Principes terræ quantumcumque potentes. * Imò primum videtur excelſis terræ exſcidium minitari quia ex illorum prauo exemplo reliqui deteriores exiſtunt.] *Et conſumentur montes ſubtus eum, &c.* Principes itaque, qui in montibus ſignantur, & inferior alia multitudo, quæ in vallibus exprimitur ; ſic tabeſcent, cum Deus vltor deſcenderit, ſicut cera ſolet ab incendio diffluere. Nec plus firmitatis habebunt, quàm aqua, quæ in decliui ſtare neſcit, ſed præcipiti impetu ad inferiora delabitur.

Concionatoris officiũ eſt auditores monere, vitia carpere ; nõ aures demulcere verbis adulatoriis.

Primò Deus oſtendit, ſe iratũ in Principes, quia eorum prauum exemplum inferiores imitantur.

Verſ. 5. 6. *In ſcelere Iacob omne iſtud, &c.* Omne terræ ſanctæ excidium quonam, quæſo profluit ex fonte ? Certè ex ſcelere poſterorum Iacob, & ex horrendis peccatis totius domus Iſraël. * Omnia enim mala, omnis ſtrages, queis populus affligitur, ex peccato procedunt.] Quis ais, cauſa fuit tranſgreſſionis Iacob ? Certe Reges Samariæ, ſeu decem Tribuum, qui acceptos à Ieroboamo primo vitulos aureos, cultu perpetuo proſecuti ſunt, aliiſque, vt proſequerentur, auctores, & impulſores fuerunt. Nam & Tribus Iuda, quæ huſque penè inuicta permanſerat, nunc ſimilibus tota ſordibus inficiatur ſub impio Rege Achaz, quo imperante excelſa idolis per totam Iudeam ſunt erecta. 4. *Reg.* 16.3. Quænam itaquo cauſa, quiſnam auctor, vel vnde excelſa iſta Iudæ anteà iſtic incognita ? Nonne ex Ieruſalem ? nonne à ſacrilego Rege Achaz, qui in ipſo quoque Dei Templo ſtatuas idolorum, & aras erexit, & hoc exemplo ſuo peſtem hanc inuexit in Regnum ? * Grauiſſimum fuit Ieroboami ſcelus idololatriæ Iſraelis inuentoris. Duci enim, & inuentori alicuius criminis tota morum ruina tribuitur eorum, qui impietatem ab illo edocentur.] * Nec minus graue fuit peccatum Achaz, qui Templum Domini auſus eſt profanare aras idolis erigens. Hunc æmulantur, qui ſacerrimo loco ad libidinem ſectandam vtuntur : Veneris enim inibi erigunt ſimulacrum.] *Et ponam Samariam, &c.* Samaria ergo vt princeps, & origo huius mali primo loco plectenda. Per Aſſyrios enim in puluerem redigam muros eius, templa, & palatia : vt ex iis nihil præter aceruum lapidum ſuperſit, reliqua Vrbe ſolum vineis plantandis, & conſerendis agris deſeruitura.

Omnia mala, quibus affligimur, ex peccato profluunt.

Inuentores ſceleris alicuius grauiſſimè delinquunt, eiſque tribuitur omnis populi perditio.

Qui Templo ad libidinem vtuntur, Veneris in eo erigunt ſimulacrum.

Verſ. 7.8. *Et omnia ſculptilia eius concidentur, &c.* Omnia ſimulacra, quæ in idolorum cultum Samaria conflauit, conterentur : & donaria omnia, quæ ad illorum ornatum luxurioſè contulit, tradentur incendio. Idola quoque cuncta diſperdam, quæ ex meretricio quæſtu fabrefecit execranda idololatriæ luxuries. Et dona, quæ diis à Samaria fabrefactis erepta fuerint ab Aſſyriis, illa eadem ad Aſſyrios deos, quaſi ab vno proſtibulo in aliud transferentur. * Illud expende. *Quia de mercedibus meretricis congregata ſunt, & vſque ad mercedes meretricis reuertentur.* Vt Propheta exaggeret ſummam Samariæ imminentem miſeriam, eam mercedi meretricis comparat. Nihil enim meretritia mercede vilius. Quidquid enim quæſtus miſeræ mulieres acquirunt vel in ipſa receptione dilabitur. Vulgariter exponam : *Es entrada por ſalida.*] *Super hoc plangam, & vlulabo, &c.* Cum tot Iſraëli infortunia immineant, plangam, & vlulabo. Quid enim faciam, vbi à barbaris contribulium meorum ſic ſtatus atteritur ? Diſcindam, quod in mœrore aſſolet, veſtimenta, & Ciuitatis plateas nudus obibo. Sic autem vlulabo ſicut draco, quando graui elephantis pondere oppreſſus extinguitur : aut ſicut ſtruthio, cum paratam à venatore cædem filiis ſuis auertere non valet. LXX. pro *ſtruthionibus* vertunt *Sirenes*, alludentes ad meretrices per Sirenes deſignari ſolitas, quæ more præfi-

Viliſſima eſt artis meretricum merces, vel in ipſa receptione dilabitur.

cetum

carum compoſito luctu ac planctu ſolent amaſios ſuos detinere ne ſe deſerant, aut amores inchoatos abrumpant. * Nihil enim fœminæ impudicæ dirior, triſtiorque fortuna, quàm amaſij ab illa receſſus. Liceat vulgari idiomate explicare. *No ay coſa, que mas ſienta, que ſerde Iada.*]

Fœminæ impudicę nihil acerbius, quàm ab amaſio deſeri.

2. *Verſ.9.10.11. Quia deſperata eſt plaga eius, &c.* Plurabo, inquam, quia plagæ, qua ab Aſſyriis Iſraëliticus populus iàm iàm afficietur, inſtaurandæ, nulla ſeſe offert ſpes. Sic latè peſtis illa bellorum graſſabitur, vt ad Iudam, ipſaſque Ieroſolymæ portas perueniat. * Crudelis nimium, imò ſtupidus admodum eſt, qui de communi ſuæ patriæ clade non doleat.] *In Geth nolite annunciare, &c.* Sic vos gerite, ô viri Iſraëlitæ in communi luctu, vt nullus ex Gethæis hoſtibus veſtris veſtrum calleat dolorem. * Nihil enim lætius inimico, quàm eius, quem odio proſequitur, triſtis amaritudo.] Quare cohibete in lacrymando gemitus erumpentes: & ſiquidem pulueris, ac cinetis abundè eſt in patriæ ſiue ruina, ſiue buſto, puluere vos ac cinere conſpergite, ac tacitè regionis veſtræ fortunam deplorate: ſit pro vlulatu eius.

Excidium Iudæ.

Crudelis, & ſtupidus eſt, qui de communi ſuæ patriæ clade nō dolet.

Qui aliquem odio habet eius triſtitia lætatur.

Et tranſite vobis habitatio pulchra, &c. O Samaria Ciuitas vbertatis, ac amœnitaris eximiæ, tranſibis ignominioſè traducta ad Aſſyrios: neque egredietur vicina prouincia Iuda, quæ te videbit à tuis finibus extorrem abduci, vt tecum ſeat, & familiari lamentatione conſoletur: quia ipſa, licet nihil ab hoſte paſſa fuerit, tamen in tuo exitu, ac capite diſcet, quid ſuo capiti ſit timendum. * Cum videris vicinum, aut proximum tuum aliqua tribulatione vexari, recogita, te (homo cum ſis) ſimili calamitati eſſe obnoxium.] Porrò Iuda id timebat, quià ſciebat ſe eadem Iſraëlitatum idololatriæ ægritudine laborare. * Vt cum ſupplicij alicui peccatori inflicti ſis conſcius, eredas, eodem te afficiendum qui eiuſdem criminis reum te eſſe cognoſcis.]

Quocumque homo alius labore affligitur, exiſtima, ſimili te homines poſſe vexari.

Cum videris peccatorem à Deo puniri, time, ne peccati ſimilis reus ſimiliter puniatis.

Verſ. 12.13.14. Quia infirmata eſt in bonum, &c. Non miretis, ſi cognata ac vicina Iuda Iſraëlis lacrymas non comiterur, cum ſortem ſuam, quam adhuc illibatam videt, diù fore incolumem non ſperet. Quarè in angore viuit, dum occurſat ſæpè oculis labentis patriæ ſpecies. Quin malum hoc, quod tibi ab Aſſyriis contigiſſe cernit, ad portas Ieroſolymæ aliquando peruenies. * Fuge impiorum vicinitatem, ne tribulationes agnatæ impietati ad tui etiam incommodum (ſaltem ex compaſſione) deriuentur.] *Tumultus quadrigæ, &c.* Ex Iudæ Ciuitatibus prima omnium ſonitum quadrigarum, & ex eo ſtuporem ab Aſſyriorum exercitu excipiet Lachis, quæ Ephraïmiticos, ſeu Iſraëliticos fines attingit, & quæ ex noxia illa ac peſtilenti vicinitate corruptos Samariæ, & quaſi Gentilicos mores contraxit: vnde ad reliquas Vrbes Iudæ, & ad ipſam filiam Sion, & Ciuitatem ſanctam contagium ſerpit. * O quàm facile praui mores ex impiorum vicinitate contrahuntur!] *Propterea dabit emiſſarios ſuper hæreditatem Geth, &c.* Quoniam à Sennacherib Aſſyriorum Rege, poſt euerſam Samariam capta eſt Lachis, ex ea emiſſarios ſumet, & expeditos milites in hæreditatem ſeu in agros, & vicos hæreditario iure ſubiectos Vrbi, & ſattrapiæ Geth, vt eam depopulentur: eo quod Gethæi, qui ſemper fuerunt domus mendacij, & fefellerunt Reges Iſraël: nunc etiam inſtigarint eoſdem Iſraëlitas, & ciues etiam Lachis Ciuitatis Iudæ, vt Aſſyriis reſiſterent promittentes omnem opem, ſed nullam præſtantes.

Fugienda Impiorum vicinitas.

Facilè praui mores ex vicinitate impiorum contrahuntur.

Verſ.15.16. Adhuc hæredem adducam tibi, &c. Nec propterea ô Mareſa hærede deſtitueris, hæredem enim tibi adducam non Geth, ſed Aſſyriorum Regem, vt ſis deinde iuxta nomen tuum illius *mareſa*, id eſt, *hæreditas.* Et copiis ſuis perueniet vſque ad Odollam, id eſt, ornamentum, ſeu *gloriam* Iſraël. *Odolla* enim, ſeu *Odulla*, iuxta quam Dauid latuit 1. *Reg.*22.1. Vrbs fuit antiqua, ſedeſque regia, potens, & elegans; qua corruente fortitudo, & gloria Iſraël corruere cenſebatur. *Decaluare, & tondere ſuper filios deliciarum tuarum, &c.* Nunc igitur ô Iſraël, abrade tibi, more lugentium, cæſariem è capite: & pro filiis, quos delicate antè nutrieras, indue tibi deforme caluitium. Nec ſatis ſit raſiſſe caput, talem aſſume ſpeciem pilis radicitùs auulſis, qualem aquila, cui ità plumæ toto ex corpore defluxere, vt nulla ſit reliqua radix, ex qua deciduæ plumæ iterum repullulent. Neque multum abs re exegiſſe videor, cum non vnus tibi, ſed omnes filij lugendi ſint, quos captiuos è complexu tuo Aſſyria abducet. * Illud annota: *Dilata caluitium tuum ſicut aquila.* Sub hac aquilæ depilatione videor tacitè promitti nouam Iſraëli glotiam litteraliter per Cyrum, allegoricè & principaliter per Chriſtum Dominum. Et quandò is, qui velut aquila tribulationibus auellentibus plumas, ſeu commoda, decaluatur, qui ſicut eadem aquila pulchriores, ac vegetiores non reſumat.

Ex laboribus deiectus, aliquando felicior aſſurgit.

CAPVT

CAPVT II.

Taxat Iudæos, & Iſraëlitas ob iniuſtas pauperum oppreſſiones, alióſque proximis iniurias illatas. Vndè ipſis comminatur excidium.

1. VÆ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus
veſtris: in luce matutina faciunt illud, quoniam contra
Deum eſt manus eorum. 2. Et concupierunt agros, &
violenter tulerunt, & rapuerunt domos: & calumniabantur
virum, & domum eius; virum, & hereditatem eius. 3. Id-
circò hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito ſuper familiam
iſtam malum: vnde non auferetis colla veſtra, & non
ambulabitis ſuperbi, quoniam tempus peſſimum eſt. 4. In die illa ſumetur ſu-
per vos parabola, & cantabitur canticum cum ſuauitate, dicentium: Depopula-
tione vaſtati ſumus: pars populi mei commutata eſt: quomodo recedet à me,
cùm reuertatur, qui regiones noſtras diuidat? 5. Propter hoc non erit tibi mit-
tens funiculum fortis in cœtu Domini. 6. Ne loquamini loquentes: Non ſtillabit
ſuper iſtos, non comprehendet confuſio. 7. Dicit domus Iacob: Numquid abbre-
uiatus eſt ſpiritus Domini, aut tales ſunt cogitationes eius? Nónne verba mea bona
ſunt cum eo, qui rectè graditur? 8. Et è contrariò populus meus in aduerſarium
conſurrexit: deſuper tunica pallium ſuſtuliſtis: & eos, qui tranſibant ſimpliciter, con-
uertiſtis in bellum. 9. Mulieres populi mei eieciſtis de domo deliciarum ſuarum:
à paruulis earum tuliſtis laudem meam in perpetuum. 10. Surgite, & ite, quia
non habetis hic requiem: propter immunditiam eius corrumpetur putredine peſ-
ſima. 11. Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum, & mendacium potius loquerer:
ſtillabo tibi in vinum, & in ebrietatem: & erit ſuper quem ſtillatur populus iſte.
12. Congregatione congregabo Iacob totum te: in vnum conducam reliquias Iſ-
raël, pariter ponam illum quaſi gregem in ouili, quaſi pecus in medio caularum, tu-
multuabuntur à multitudine hominum. 13. Aſcendet enim pandens iter ante
eos: diuident, & tranſibunt portam, & ingredientur per eam: & tranſibit rex eorum
coram eis, & Dominus in capite eorum.

COMMENTARII.

1. *Taxat Iudæos, & Iſraëlitas ob iniuſtas pauperum oppreſſiones.*

VERS. 1. *Væ qui cogitatis inutile, &c.* Væ vobis, quorum cogitationes ſunt ad omne peccatum intentæ. Qui fraudes inſtiuunt in cubili, & tunc putant noctem præclare eſſe tranſactam, cum longo peruigilio ad iniqua conſilia expeditum aditum aperiunt. Et cum primùm illuxit, quæ architectati fuerant, ſollicitè complent. Quia vt intentus eſt ad malum animus, ſic contra Deum eſt manus armata, & ad omne flagitium expedita.

Quod furto acquiritur, prorſus eſt inutile.

* Illud Hebræum און *auen, malum inutile* Pagninus vertit *rapinam.* Aptè rapina malum, ſeu peccatum inutile vocitatur. Quia quod rapina acquiritur, tam citò euaneſcit, vt nulli commodo valeat deſeruire.] * Loco autem verbi illius. *Quoniam contra Deum eſt manus eorum,* LXX. legerunt: *Quia non leuauerunt ad Dominum manus ſuas.* Neglectus enim orationis eſt impiis tam multiplicium ſcelerum cauſa. Nam qui crebro ad Deum manus in oratione leuat, quomodo poterit eas ad iniquitatem patrandam exerere?]

Neglectus orationis ſcelerū eſt cauſa.

Verſ. 2. 3. Et concupierunt agros, &c. Cum primùm ad alienos agros, auaros oculos adiecerunt, aut ad ſplendidas aliorum domos, in illorum poſſeſſionem inuolarunt ac ſi hæreditario iure à parentibus accepiſſent, aut propria pecunia comparaſſent. Addunt calumnias, queis virum, quem oppugnant, deſtruant: aut hæreditatem, quam ambiunt, acquirant. *Idcircò hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito ſuper familiam iſtam malum, &c.* Quapropter en ego, qui pauperum ſum patronus, & vindex, & ſpiritus ſuperbos humilio, talia in vos, familiamque veſtram cõſilia meditor, qualia vos in aliorum fortunam humilem fuiſtis meditati. Non amplius erigetis ſuperbam ceruicem, ac tumidum collum, quia tempus, quod inducam vobis *peſſimum eſt*, ſeu extremæ calamitatis, quod ſuperbiam & tumorem veſtrum facilè contundet, ac deprimet. * *Ecce* (inquit) *ego cogito ſuper familiam iſtam malum.* Oppreſſor pauperum ſic Deum irritat ad vindictam, eamque ſuprà modum horribilem, vt quaſi ſupplicia iam decreta à Deo non ſufficerent tanto crimi-

Qui pauperē opprimit ſic Deum irritat, vt quaſi nouas pœnas ei inferendas cogitet.

ni torquendo noua quodammodo mala inferenda ei cogitet.]

Verſ.4.5.6. In die illa ſumetur ſuper vos parabola, &c. Eo tempore, quo collum habebitis iugi pondere preſſum, de veſtra ærumna, de vobis ſumetur vulgare illud prouerbium, & occinetur vobis cum irridentium voluptate conuitiale illud canticum per mimeſin in veſtra perſona frequenter iteratum. Audietis vtique ab hoſte victore id, quod vos cum extremam timeretis fortunam vobiſcum dicebatis: actum eſt iam de nobis, quia populi pars magna è ſuis ſedibus captiua migrauit, nec eſt, cur nobis mitiora ſperemus. Heu quomodò noſtra etiam ſors nobis ablata ad Aſſyrios tranſibit, cum repetent iterum Iſraëliticos fines, & ſubactas bello regiones ſortitò diſtribuent! *Propter hoc, &c.* Propter hoc (ſic dicebant ante, cum metu afficerentur, Iſraëlitæ, & hæc eadem oggerent Aſſyrij victores) iam omninò deſpero futurum eſſe funiculum, ac hæreditatem in ea regione, quam Deus electo ſibi populo habitandam attribuit. *Ne loquamini loquentes, &c.* Quarè definite iam, ô viri Iſraëlitæ Pſeudoprophetarum vaticinio deluſi, Prophetarum voces contemnere, quaſi ſomnia forent delirantium, & nullum eſſent pondus habituræ, neque vobis pudorem allaturæ, & ignominiam. Aliter aptius expono verſiculum ex Hebræo; loco enim illius verbi, *Ne loquamini loquentes* ſcribit, *Ne ſtilletis ſtillantes*, id eſt, nolite ô Prophetæ prophetare, nolite loqui tam rebelli, tam incredulo populo: non enim comprehendet eos confuſio, dolor, pœnitentia propter monita veſtra. * Magno ſupplicio Deus veros Concionatores à peccatrice ablegat Ciuitate.]

Magno ſupplicio Deus veros Concionatores à peccatrice Ciuitate retrahit.

Verſ.7.8. Dicit domus Iacob: Numquid abreuiatus eſt ſpiritus Domini, &c. Domus Iacob obſtrepens dicit: An arctatus ac contractus eſt miſericordiæ Dei ſpiritus, vt nolit nos amplius pro populo ſuo agnoſcere, habere, tutari? Num cogitationes Dei tales ſunt quales nobis Prophetæ referunt, triſtes, exitiales?] Porrò potius conſtat nobis, benignas eſſe, ſuaues, ac pacificas iuxta quod ipſemet ait ex Ieremiæ ore: (cap.29. 11.) *Ego cogito ſuper vos cogitationes pacis, & non afflictionis.* * Hæc quidem eſt ſtulta impiorum de infinita Dei miſericordia præſumptiò, qui immemores interim ſunt etiam Dei iuſtitiam eſſe infinitam.] At Dominus obſtrepentibus reſpondet: Reuera miſericors infinite ſum, & oracula ac promiſſa mea ſalutaria ſunt bonis & rectis, qoi recta ſcilicet via mandatorum meorum gradiuntur, mihique obedire, ac placere ſtudent. At hoſtibus meis dura ſunt, triſtia, & plena auſteritate. *Et è contrario populus meus in aduerſarium conſurrexit, &c.* Vos autem populus olim meus hoſtiliter contrà me conſurgitis: & miramini, me durius vobiſcum agere? querimini, me vindicem in homicidas, & raptores inſurgere? *Deſuper*, ſeu præter tunicam etiam pallium ſuſtuliſtis, id eſt, pauperibus omnia, quæ habebant crudeliter eripere non dubitaſtis, tam quæ ad victum domi habebant, quàm quibus in publicum prodibant. * Vereor ne eaſdem poſſit Deus hodiè querelas excitare aduerſus immites tributorum exactores, qui tam crudeliter cum pauperibus ſe gerunt agricolis, *vt deſuper tunica pallium auferat*, nec vlla neceſſaria vitæ ſubſidia relinquant.] Inſuper eos, qui ſimpliciter per viam tranſeunt nullaque re vos lædunt, inermes, nihilque mali metuentes vos *in bellum conuertiſtis*, prouocaſtis ad rixam, vulneribus confeciſtis.

Stulta impiorũ de infinita Dei miſericordia præſumptio, ad delinquẽdum ſpe veniæ.

Crudeles ſunt in miſeros agricolas tributorum exactores.

Verſ.9.10. Mulieres populi mei eieciſtis, &c. Neque his contemti, vt prædia occiſorum, & ædes occuparetis etiam eorum vxores filias populi mei tantopere curæ mihi iam viduas & omni ope deſtitutas tyrannice deieciſtis de domo, quæ ſolebat eis eſſe delicioſiſſima in maritorum, liberorúmque ſocietate. Et earum paruulos eo deduxiſtis, vt ſuperſtitioſam, ac vanam complexi, veram religionem abiiciant, atque à ſuis labiis, ac conuentibus diuinæ laudis officium extermiuent. *Surgite, & ite, &c.* Quare vt debitas iniquitatis veſtræ pœnas exoluatis, hinc vobis procul abeundum eſt in exilium, neque diù in regione veſtra tranqoillum otium ducere permittetur. Illum enim locum quietis veſtræ, quem hactenus poſſediſtis, auferent hoſtes, fœdabúntque ſtratis cadaueribos, ex quibus fœtor erumpet, qui regionem olim floridam & fragrantem fœda exhalatione contaminet.

Verſ.11. Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum, 2.
&c. O viri Iſraëlitæ, non putetis, optare me calamitatem quam denuncio. Optabilius enim mihi eſſet ſpiritu carere prophetico, quàm ab eodem cogi animos veſtros tam duro vaticinio ſauciare. Vtinam quæ vobis nunc à Deo proponuntur oracula, eo ſucceſſu careant, quem deſignant: & dum vobis nihil aduerſi accidat, ego fallax Propheta haberi non recuſarem. Sed heu, nimis vera ſunt mea hæc oracula. Ego enim tibi ô Iſraël, ô Iuda miror à cęleſti Sympoſiarcha miniſter, & velut pincerna. En calicem vobis à Deo ſubmiſſum. Huius iuſſu in populum miſerum inſtillo vinum inebrians, nempè ſtrages, cædes, exilia, excidia prænuncio.

Iuda, ac Iſraëli minatur excidium.

Verſ.12.13. Congregatione congregabo Iacob totum te, &c. Diſperdam te omnino ô Iſraël, neque vllus effugiet horribilem cladem: neque vllas patiar ſupereſſe reliquias. Adigam te quaſi greges ad caulam vbi ſe comprimenr, & tumultuabuntur homines: quia anguſtus erit præ multitudine locus. *Aſcendet enim pandens iter antè eos, &c.* Præcedet Deus tanquam Dux & Imperator Aſſyriorum agmen, quod conſcripſit ad Iſraëlis exitium: illo verò auſpice ac Duce, Aſſyriorum Rex aut primus omnium, aut inter primos per diuiſum murum in Ciuitatem irrumpet. Quod ideò facilè feliciterque præſtabit, quia Deus illius eſt agminis Princeps.

CAPVT

CAPVT III.

Principes iura peruertentes taxat. Pſeudoprophetas fauſta falsò promittentes populo increpat. Ieroſolymæ & Templo comminatur excidium.

1. ET dixi: Audite principes Iacob, & duces domus Iſraël:
Numquid non veſtrum eſt ſcire Iudicium, 2. qui odio
habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter tollitis
pelles eorum deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſi-
bus eorum? 3. Qui comederunt carnem populi mei, &
pellem eorum deſuper excoriauerunt: & oſſa eorum confre-
gerunt; & conciderunt ſicut in lebete, & quaſi carnem in
medio ollæ. 4. Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos: & abſcondet
faciem ſuam ab eis in tempore illo, ſicut nequiter egerunt in adiuuentionibus ſuis.
5. Hæc dicit Dominus ſuper prophetas, qui ſeducunt populum meum: qui mor-
dent dentibus ſuis, & prædicant pacem: & ſi quis non dederit in ore eorum quip-
piam, ſanctificant ſuper eum prælium. 6. Propterea nox vobis pro viſione erit,
& tenebræ vobis pro diuinatione: & occumbet ſol ſuper prophetas, & obtenebra-
bitur ſuper eos dies. 7. Et confundentur qui vident viſiones, & confundentur di-
uini, & operient omnes vultus ſuos, quia non eſt reſponſum Dei. 8. Verumtamen
ego repletus ſum fortitudine ſpiritus Domini, iudicio, & virtute: vt annuntiem
Iacob ſcelus ſuum, & Iſraël peccatum ſuum. 9. Audite hoc principes domus Ia-
cob, & iudices domus Iſraël: quia abominamini iudicium, & omnia recta peruer-
titis. 10. Qui ædificatis Sion in ſanguinibus, & Ieruſalem in iniquitate. 11. Prin-
cipes eius in muneribus iudicabant, & Sacerdotes eius in mercede docebant, & pro-
phetæ eius in pecunia diuinabant, & ſuper Dominum requieſcebant, dicentes:
Numquid non Dominus in medio noſtrum; non venient ſuper nos mala. 12. Pro-
pter hoc, cauſa veſtri, 12. Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem quaſi aceruus
lapidum erit, & mons templi in excelſa ſiluarum.

COMMENTARII.

1. *Principes iura peruertentes taxat.*

VERS. 1.2. *Et dixi: Audite Principes Iacob, & Duces domus Iſraël, &c.* Ad Principes Iſraël hoc à Deo vaticinium accepi: Audite ô Principes Iacob, & vos, qui in Iſraëlitica familia præcelſum locum obtinetis. Numquid non veſtri muneris eſt, noſſe quid iuſtum ſit, & æquum, & ex æquo & iuſto publicum iudicium exercere. * Prima conditio boni Iudicis eſt *ſcire iudicium.* Inſipiens enim Iudex, quomodo quod ſuum eſt cuique attribuere poterit, ſi ignorat quid cuiq; pertineat?] At ſic animos veſtros induxiſtis, eo veſtra videntur intenta iudicia, vt à bono toto cælo abhorreant, & malo totis viribus adhæreant. Quare pro malo ſuſceptum eſt à vobis patrocinium. Ab illis enim, quos fouere debeteris, & regere, ſic ſubſtantiam detrahitis, vt non ſolum pellem ex carne, ſed hanc etiam ex oſſibus detraxiſſe videamini: non aliter ac lanius ouem excoriat, exoſſat, & in fruſta concerpit. * Preme illas particulas *Pelles eorum carnes eorum, carnes eorum, Oſſibus eorum. Eorum.* inquit, nec

Primò requiritur in Iudice ſcientia iuris.

Praui Iudices solùm audere pauperes excoriare, quaſi eſt per ſe notum.

R.P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. to. VII. p. I.

determinat cuinam ſubſtantiuo ſit adiectiuum illud accommodandum. Porrò per ſe notum erat pauperes ſub illo indeterminato nomine *Eorum* eſſe intelligendos. Quos ſolùm praui Iudices opprimere, excoriare, & exoſſare audent.]

Verſ. 3.4. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum, &c. Sic illi crudeles Principes imbellem, atque inopem turbam neceſſariis naturæ commodis ſpoliarunt, vt pellem abſtuliſſe, excuſſiſſe carnes, confregiſſe oſſa, & omnia in fruſta concidiſſe videantur, non aliter, quam à coquo in lebetem & ollam congeri aſſolent. *Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, &c.* Clamabant pauperes cum barbara potentiorum hominum crudelitas vrgebat, neque tamen ab inclemente pectore, extorquebant miſerationem? Sic cum ipſi, vrgentibus vndecumque malis clament ad Dominum, ipſe, qui pauperum eſt patronus, & vindex, parem illis vicem referet. Obſurdeſcet enim ad illorum voces, neque placatam faciem ad illorum preces, lacrymaſque conuerteret. * Deum etenim peccatores modo adhibito ad iniquitatis executionem, quaſi edocem modum inferendi ſupplicium.

Modo adhibito ad peccati executionem quaſi docet peccator Deum inferendi ſupplicij modum.

Verſ. 5.6. Hæc dicit Dominus ſuper Prophe- 2.

 tas,

2. *tas*, *&c.* Hæc autem Deus ad Prophetas, qui fallaci vaticinio populum in exitium abducunt. Qui pacem illis, felicitatemque prænunciant, à quibus aliquid acceperunt in cibum quo veſcantur: illis autem, à quibus nihil acceperunt, aut ſperant, bellum, calamitatemque prædicant. * Hos quidem Pſeudoprophetas aulici nonnulli ex parte æmulantur. Nam quia aliquid ſemper à Regibus ſperant accipere, nihil illi proferunt infauſtum, proſpera ei cuncta promittunt oſſores omnino veritatis.] *Propterea nox vobis pro viſione erit, &c.* Ideò pro viſione, quam accepiſſe à Domino iactabatis, tenebræ vobis erunt. Hoc eſt, loco pacis, loco proſperitatis & gaudij, quæ falſo diuinatis obuentura, obruet vos altiſſima nox, & horribiles calamitatum tenebræ, adeò quidem, vt præ pauore, ac mœrore Sol vobis in meridie occumbere, & dies obtenebrari videatur.

Pſeudoprophetas increpat.

Taxantur aulici, qui Regibus Regnorum calamitates nō aperiunt.

Verſ.7. Et confundentur qui vident viſiones, &c. Cum autem diuini, & qui ſomniis ſuis diuinam ab aliis fidem poſtulabant, cum ipſo rerum euentu deprehenſi fuerint, meras nugas habuiſſe venales, præ pudore ſuam faciem operirent. Quæ quia ipſa maximè ab ignominia patitur, ideo ſanguine ex pudore ſuffunditur. * Nihil magis ignominioſum viro, quàm in mendacio deprehendi] Addunt alij illos vultum operire tanquam mortis ſupplicio addictos, His enim facies velabatur, *Eſt.*7.8. Viro quidem, ſi ſapiat, perinde debet eſſe comperiri mendacem, ac damnationi capitali addici.]

Nihil magis ignominioſum viro, quā in mendacio deprehendi.

Virum ingenuum haberi mendacem idem eſt, ac capitali ſententiæ addici.

3. *Verſ.8.9. Veruntamen ego repletus ſum fortitudine ſpiritus Domini, &c.* Mihi autem (Michæas ait) alia mens eſt, quam illis, qui ſermone adulatorio vtuntur. Eſt enim mihi datum ab afflatu diuino ſpiritus, robur, & iudicium, vt nihil audeam adulatorium, & fallax annunciare: & nihil non audeam, ad quod idem me ſpiritus impellit. Quare non ditabo Iſraëli ac Iudæ exprobrare, quod ſceleratè geſſit. * *Iudicium* itaque ac *virtutem*, ſeu robur, ſe habere Propheta profatur, iudicium, vt veritatem annunciet, virtutem, vt non timeat eam publicare: Quod Sacer præco imitari debet, ſi ſuo muneri expetit ſatisfacere. *Audite hoc Principes domus Iacob, &c.* Audite igitur, & re ipſa cognoſcite, me ſpiritu diuino afflatum, ô Principes, qui in Iſraële publico iudiciario hæretis tribunali: qui in leges ſic eſtis malè affecti, vt iura peruertatis, ea ſcilicet, quæ à natura & Deo, & quæ à conſuetudine, vel humana lege ſunt conſtituta.

Ieroſolyma minatur excidium.

Concionator vera annunciet, & ſine timore proferat.

Verſ. 10.11.12. Qui ædificatis Sion in ſanguinibus, & Ieruſalem in iniquitate. Qui in Sion ſeu Ciuitate Ieroſolyma pauperum opibus domos vobis ſplendidas ædificatis, male ſcilicet partis diuitiis: quod perinde eſt, ac ſi pauperum ædificetis ſanguine. * Quid autem ſanguis pauperum aget in domorum fundaminibus niſi contra auaritiam veſtram inclamare. Vndè illicò ſolo impiè ſtructa moles æquabitur.] Vndè Principes qui palatia extruunt, caueant, nè aliquid ad pauperes attinens propriis ſumptibus miſceatur, ſi ad perpetuitatem ædificare cupiunt.] *Principes eius in muneribus iudicabant, &c.* Principes iudicia non exercent, niſi ſpes affulſerit lucri: Sacerdotes à doctrina obſtinent proferenda, ſi abſit merces: Prophetæ falſi illas ſuas quaſcumque diuinationes pro pretio commutant. * Corruet iudicium, doctrina, & prædicatio, vbi venale exponitur miniſterium. Auaritiam enim omnia defœdare, quis dubitet.] Nec pudet fallaces illos Prophetas requieſcere *ſuper Dominum*, id eſt, inniti, & incumbere diuinæ curæ, ac benignitati: perſuadentes populo Deum ipſi affuturum, nec permiſſurum vnquam, vt Ieroſolyma, vbi Dei ſedes, hoſtium cedat libidini. * Hinc diſcant Concionatores, ſic diuinæ miſericordiæ vim exponere peccatoribus, vt eiuſdem iuſtitiæ ponderis obliuiſcantur. Infinitè enim miſericordem ad parcendum, infinite ſimul iuſtum eſſe ad puniendum quis fidelis ignorat?] *Propter hoc cauſa veſtri Sion quaſi ager arabitur, &c.* Propter hæc igitur peccata, quæ Ciuitati ex pauperum ſanguine conſtructæ fuerunt exitio: eò Ciuitas habitatoribus olim frequens, & ædificiis nobilis redigetur: vt non aliter quàm arabilis ager aratro ſubigatur, & pro ædibus ambitioſè extructis ſolum appareant ex ruina Vrbis ſaxorum cumuli: & mons, vbi Templum antè fuerat, ſylueſtri frutrice in modum ſyluarum inhorreſcat.

Domus ædificata bonis pauperum illicò corruet.

Iudicium, & doctrina corruit vbi venalis exponitur.

Concionator ſic commendet Dei miſericordiā erga peccatores, vt iuſtitiæ ſeueriſſimæ non obliuiſcantur.

CAPVT IV.

Montem Sion, ſeu Templum, quod à Chaldæis vaſtandum prædixerat, reſtituendum promittit per Chriſtum Dominum, qui Eccleſiam ſuam in monte Sion inchoabit.

1. ET erit: In nouiſſimo dierum, erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles: & fluent ad eum populi. 2. Et properabunt gentes multæ, & dicent: Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos de viis ſuis, & ibimus in ſemitis eius: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ieruſalem. 3. Et iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes vſque in longinquum: & concident gladios

ſuos

ſuos in vomeres, & haſtas ſuas in ligones: non ſumet gens aduerſus gentem gla-
dium: & non diſcent vltrà belligerare. 4. Et ſedebit vir ſubtus vitem ſuam,
& ſubtus ficum ſuam, & non erit qui deterreat: quia os Domini exercituum lo-
cutum eſt. 5. Quia omnes populi ambulabunt vnuſquiſque in nomine Dei ſui:
nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei noſtri in æternum & vltrà. 6. In
die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem: & eam, quam eieceram, colli-
gam; & quam afflixeram? 7. Et ponam claudicantem in reliquias: & eam: quæ labo-
rauerat, in gentem robuſtam: & regnabit Dominus ſuper eos in monte Sion, ex hoc
nunc & vſque in æternum. 8. Et tu turris gregis nebuloſa filiæ Sion vſque ad te
veniet: & veniet poteſtas prima, regnum filiæ Ieruſalem. 9. Nunc quare mœrore
contraheris? numquid rex non eſt tibi, aut conſiliarius tuus periit, quia compre-
hendit te dolor ſicut parturientem? 10. Dole, & ſatage filia Sion quaſi partu-
riens: quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in regione, & venies vſque ad
Babylonem: ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuo-
rum. 11. Et nunc congregatæ ſunt ſuper te gentes multæ, quæ dicunt: Lapidetur:
& aſpiciat in Sion oculus noſter. 12. Ipſi autem non cognouerunt cogitationes
Domini, & non intellexerunt conſilium eius: quia congregauit eos quaſi fœnum
areæ. 13. Surge, & tritura filia Sion: quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas
tuas ponam æreas: & comminues populos multos, & interficies Domino rapinas eo-
rum, & fortitudinem eorum Domino vniuerſæ terræ.

COMMENTARII.

1.

Templum à Chaldæis vaſtatum per Christum reſtituendum eſſe affirmat.

VERS. 1. 2. *Et erit: In nouiſſimo dierum, &c.* Iam audiſtis ô filij Iſraël, quæ ad veſtræ Ieroſolymæ terrenæ ſiue gloriam, ſiue exitium ſunt comparata: nunc ad ampliorem, magiſque glorioſam aliam Ieruſalem contemplandam, animos excitate. In extremis namque diebus veſtræ Ciuitatis præparabit, fundabitque Deus Ciuitatem aliam, quæ ſeſe longè ſupra montium verticem attollet, ad quam magni vndique omnium gentium concurſus fiant. *Et properabunt gentes multæ, &c.* Et feſtinato curſu aſcendent ad illam nouam Ieroſolymam frequentes populi: & mutuò ſe ad illius ſinum cohortati dicent: Venite, ineamus Chriſti Eccleſiam in monte Sion inchoatam, quam ſibi, nobiſque Dominus extruxit, & ibi ab eo nouis inſtructi legibus, in eius ſemitis, quæ rectæ quidem ſunt, alacres gradiemur. Quoniam de Sion exibit lex illa noua, & de Ieruſalem verbum, quod dignum eſt Deo. Hactenus enim legem habuimus Gentiles, quæ ſui auctoris fallax & veteratorium oſtendebat ingenium: & oracula prorſus vana, à quibus nos in fraudem trahebamur, & exitium.

Verſ. 3. 4 Et iudicabit inter populos multos, &c. Magnus ille legiſlator Deus deinceps reget Gentes ſuperſtitione deluſas, & erroris, in quo anteà vixerant, coarguet. Erit autem rerum tanta mutatio, vt qui anteà arma nunquam è manibus deponebant, iam affulgente pace, quam ſtatus Euangelicus adducet, rei ruſticæ potius, quam militari vacent. Quare gladios

Ineptè agricolæ ad bella abducuntur. diſciplinæ militaris prima rudimenta ignorantes.

in vomeres, & haſtas commutabunt in falces: neque alter alteri ferrum intentabit, aut plagam: neque ab ipſo ætatis tyrocinio militaribus ſtudiis dura ſe paleſtra comparabunt ad prælium. * Pondera illa verba: *Et non diſcent vltrà belligerare.* Ars quidem eſt militia, quæ agnata non eſt hominibus ſicut leonibus: ſed ſtudio & exercitio comparanda. Vndè taxantur, qui ad certamina abducunt agricolas nunquam militari addictos ſtudio. Difficilè admodùm eſt vomeres in gladios, & ligones concidere in haſtas.] *Et ſedebit vir ſubtus vitem ſuam, &c.* Aderit eo tempore rerum tanta tranquillitas, vt quilibet extrà Ciuitatis mœnia ſedeat, & ſub vitæ, ac ficu pacificè quieſcat. Nec vllus erit, qui ſomnum interpellet. Porrò huic promiſſioni pondus inerit, quæ eſt non ab humano ſed à diuino afflatu profecta. * Prima per legem gratiæ promiſſio eſt pax, & ſecuritas: vt conſtet, bella à peccato ortum habere.]

Pax à gratia; bellũ à peccato denuatur.

Verſ. 5. 6. Quia omnes populi ambulabunt, &c. Sequentur alij veſano conſilio gentilicos deos pro ſuo quiſque ſtudio ac fallaci religione: nos autem nunquam committemus, vt à Deo, quem experti ſumus fidelem & verum, vnquam recedamus, ſemper Chriſti legi adhærebimus. Profectò de fide eſt, hîc de Euangelica lege agi. Potuit autem Michæas licet veteris teſtamenti filius, animo, voto, fide, & ſpe ſe filiis noui teſtamenti, ſeu Chriſtianis coniungere, quaſi ſuis fratribus, ex eodem parente Chriſto Domino regeneratis. Quia ſancti veteris teſtamenti ob fidem in Chriſtum venturum, ex quo omnem gratiam ad ſalutem neceſſariam hauriebant, non ſecus atque iam Chriſtiani, poſſunt ex ea ſaltem parte dici etiam ad nouum teſtamentum pertinuiſſe. *In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem, &c.* Tempore Meſſiæ, ac noui teſtamenti Synagogam, ac Iudæorum collectionem in fide, & religione claudicantem: quam idcircò è patria ſua in exilium exturbaram, congregabo, & colligam. *Quàm afflixeram,* inquit, *congregabo.* Pati enim labores, afflictionibus à Deo immiſſis affici, futuræ mox recreationis eſt documentum.

Afflictionibus affici, documentum eſt mox venturi leuaminis.

Verſ. 7. 8. Et ponam claudicantem in reliquias) &c. Congregabo, inquam, claudicantem populum, non tamen totum, ſed exiguum ex eo numerum, ità vt non tàm populus, quàm reliquiæ populi valeant appellari. Illis tamen reliquiis, quæ prius infirmæ erant, & debi-

les, quæque claudicantem moliebantur inceſſum, robur virile adiiciam, & conſtantes ſpiritus: ſuper quas Dominus in Sion regnabit ex eo tempore ad moram ſæculorum ſempiternam. *Et tu turris gregis nebuloſa filia Sion vſque ad te veniet, &c.* Et tu ô Ieroſolyma, quæ propter conditionem duram, & abiectam circumfuſa tenebris merito potes vocitari, ad meliorem ſpem animum eleua. Ad te enim veniet ſecura illa quies de qua proximè. In te regnabit primum legiſlator Chriſtus: & ex te ad alia loca prima poteſtas deriuabitur. * Hinc diuinam pietatem commendandi argumentum aſſume: cum Ieroſolymam Deicidam nouæ legis filiorum in matrem, & Chriſti verterit in ſponſam.]

Tanta Dei pietas, vt Ieroſolymam Deicidã quaſi matrem Chriſtianorum fecerit.

Verſ.9.10. Nunc quare mœrore contraheris, &c. Cur igitur nunc graui percuſſa vaticinio te tàm acriter affligtas? Cur te eo dolore diſcrucias, quo fœmina afficitur, cum difficili puerperio laborat? Numquid Rex non eſt tibi, num conſiliarius abeſt, ad quem in rebus dubiis, ac perplexis confugias? Profectò ſi conſiliarius fidus non adeſſet tibi, meritò tanta afflictione laborares. Quia ex conſiliariis piis, prudentibus, ac fidis tota pendet Regni felicitas.] *Dolè, & ſatage filia Sion, &c.* Fateor tamen ô filia Sion in præſenti cauſam adeſſe dolendi, non leuiorem, quàm puerperæ. Quia ex tuis finibus in alienos extorris abibis, & difficili via tandem in Babylonem captiua abduceris. Iam verò in gaudium triſtitia conuertatur, quia in Babylone liberaberis, ac redimeris primò per Cyrum, poſtmodum autem per eius antitypum Chriſtum Dominum.

Ex fidis conſiliariis tota Regni felicitas pendet.

Verſ.11.12.13. Et nunc congregatæ ſunt ſuper te gentes multæ, &c. Interim dum ſupplicij tempus producetur, congregabuntur populi in tuum exitium coniurati, qui eo ſtudio ad tuum ferentur interitum, quo populus in adulteram, quam lex publicæ lapidationi ſubmittit. Quare omnes vno ore clamabunt: Lapidetur, ac pereat. Et dum miſera caſu horribili corruit, oculos noſtros, & animos oblectemus. *Ipſi autem non cognouerunt cogitationes Domini, &c.* Illi, qui tam auide in tuum exitium ô Sion, ferebantur, non dignouerunt, quidnam de ipſorum capite Deus ſtatuiſſet. Sic enim illos congregauit ad ſubitum interitum, quomodò ad tribulam, & ventilabrum fœnum in ruſtica area congregatur. * Quis enim electi populi tunc Iudaici, nunc Chriſtiani inimicus non miſerè deperiit?] *Surge, & tritura, filia Sion, &c.* Quapropter, ô filia Sion, ex puluere exurge, in quo exanimata iaces, viriles ſpiritus aſſume: & populos, quos tibi ſicut fœnum proſternam nihilo lenius conteres, quàm meſſis equorum vngulis, aut dentata tribula conteruntur. Dabit etenim tibi Deus robur, quale eſſe ſolet à ferreo cornu: & æreas vngulas, queis nulla poterit durities reſiſtere. His populos, qui in tuum coniurarunt exitium, comminues, euertes: & illorum opes, quas, auſpice Domino, diripies & erepta arma, quibus tuam antea ſalutem oppugnarunt, gratulationis ergò victori, ac triumphatori Deo conſecrabis. * Diſcant hinc Duces debere poſt victoriam ab hoſtibus adeptam, ope quidem cæleſti, Dei Templum inire ſupplices, & gratiarum actionis ergò ex ſpoliis victoriæ ei munera litare.]

Chriſtiani populi inimici tandem depereunt.

Poſt victoriam Duces plenis manibus ad Templum accurrant, gratias acturi.

CAPVT V.

Chriſti Domini prædicit natalitium, ex quo totius orbis incolæ innumeris, planè felicibus, & vtilibus effectibus potietur.

1. NVNC vaſtaberis filia latronis: obſidionem poſuerunt ſuper
nos, in virga percutient maxillam iudicis Iſraël. 2. ET TV
BETHLEHEM Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te
mihi egredietur qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus eius
ab initio, à diebus æternitatis. 3. Propter hoc dabit eos
vſque ad tempus, in quo parturiens pariet: & reliquiæ
fratrum eius conuertentur ad filios Iſraël. 4. Et ſtabit, &
paſcet in fortitudine Domini, in ſublimitate nominis Domini Dei ſui: & conuertentur, quia nunc magnificabitur vſque ad terminos terræ. 5. Et erit iſte pax: cùm
veneric Aſſyrius in terram noſtram, & quando calcauerit in domibus noſtris: &
ſuſcitabimus ſuper eum ſeptem paſtores, & octo primates homines. 6. Et paſ-
cent terram Aſſur in gladio, & terram Nemrod in lanceis eius: & liberabit ab Aſſur
cùm venerit in terram noſtram, & cùm calcauerit in finibus noſtris. 7. Et erunt
reliquiæ Iacob in medio populorum multorum quaſi ros à Domino, & quaſi ſtil-
læ ſuper herbam, quæ non expectat virum, & non præſtolatur filios hominum,
8. Et erunt reliquiæ Iacob in Gentibus in medio populorum multorum, quaſi leo
in iumentis ſiluarum, & quaſi catulus leonis in gregibus pecorum: qui cùm tran-
ſierit, & conculcauerit, & ceperit, non eſt qui eruat. 9. Exaltabitur manus
tua ſuper hoſtes tuos, & omnes inimici tui interibunt. 10. Et erit in die illa, dicit
Dominus:

Dominus : Auferam equos tuos de medio tui , & diſpergam quadrigas tuas.
11. Et perdam ciuitates terræ tuæ, & deſtruam omnes munitiones tuas, & aufe-
ram maleficia de manu tua, & diuinationes non erunt in te 12. Et perire faciam
ſculptilia tua, & ſtatuas tuas de medio tui : & non adorabis vltrà opera manuum
tuarum. 13. Et euellam lucos tuos de medio tui, & conteram ciuitates tuas.
14. Et faciam in furore & in indignatione vltionem in omnibus gentibus, quæ non
audierunt.

COMMENTARII.

1. *Chriſti prædicit natalitium.*

VERS. 1. *Nunc vaſtaberis filia latronis, &c.* Hebræum vocabulum גדוד *gedud & militem* ſignificat , & *latronem* Intelligit autem Aſſyriorum exercitum , & Sennacherib caſtra. O filia latronis , ſeu militaris expeditio hoſtium Iſraëlis latrociniis aſſuetorum, qui velut latrones Iudæam ſunt populati, & Ieroſolymam obſederunt : ignominioſéque tractarunt Regem Ezechiam, & Principes , ac legatos ipſius *Iſa.* 36. nunc vaſtaberis ab Angelo , vna nocte cæſis 185. millibus militum eius in caſtris. Alludit more ſuo Michæas ad Iſaiam , qui ſimilia de Aſſyrio totidem verbis tum *cap.* 10. 5. tum *cap.* 33. initio , prædixit.

Militum latrocinia ex incuria eorũ, ad quos attinet exercitui annonã prouidere, aſſolent prouenire.

[* Vndenam, quæſo, miles & latro eodem vocabulo exprimuntur ? An ars militaris exigit latrocinandi exercitium ? Crediderim ex incuria illorum , ad quos attinet exercitui annonam prouidere, cogi aliquandò milites , ne pereant, furto acquirere, quo victitare valeant. Vndè magna à Principibus adhibenda eſt cura , vt militibus neceſſaria ſubſidia non deſint.]

Verſ. 2. 3. *Et tu Bethlehem Ephrata , paruulus es in millibus Iuda , &c.* Tu ô Ieroſolyma, quæ ſuſtuliſti , quæ tibi ab hoſtium latrociniis & iniuriis obuenerunt incommoda , expecta ſæculum illud felix , ac verè aureum , quod tibi afferet Chriſtus , de quo tibi proxime facta promiſſio. Hoſtibus enim vaſtationi deditis, pace ac requie frueris. Quia in Bethlehem, quæ etiam dicitur Ephræa , & in Iudææ funiculo continetur; naſcetur verus Rex, & Iudex Iſraël. O Bethlehem licet numero exigua, nequaquam vltimo loco inter Iudææ Ciuitates annumeraberis : quia ex te Dux egredietur, qui Iſraëlem meliorem regat : cuius ortum non certa aliqua & definita temporum menſura, ſed ipſa tantum, quæ nullo tempore circumſcribitur , intuetur æternitas. *Propter hoc dabit eos vſque ad tempus , &c.* Redeo ad Ieroſolymam, cui ab hoſtibus dura impendent incommoda, & barbaræ ſubdita poteſtati graui afficietur cruciatu velut parturiens, donec tandem pariat, & à dubio puerperij labore expediatur. Quod continget, cum à captiuitate recedens libertate potiatur (in quo ſpecies quædam apparet Eccleſiæ prius afflictæ poſtmodum quieſcentis) At ex multitudine captiuorum non multi admodum ad propria reuertentur : quod typus erit illorum paucitatis , qui ex genere Iſraëlitico ad Eccleſiam accedent.

Verſ. 4. 5. *Et ſtabit , & paſcet in fortitudine Domini , &c.* Dominus autem tunc populi ſui cauſam patronus ſuſcipiet. Stabit namque pro gente ſua , & paſcet illam abundanter , prout ipſius decet fortitudinem. Et ad patriam reuocato populo ad vltimos vſque terræ fines ſui nominis gloriam latè diffundet. Siue reget, proteget , paſcet Eccleſiam inuicto robore: oues inquam , quæ ex vniuerſo orbe ſubdi ei voluerint tam ex Iudæis, quam ex Gentilibus. *Et erit iſte pax , &c.* Nouus hic Paſtor nobis omnia non ſolùm præſidia , ſed etiam ornamenta præſtabit : ab hoc ſolo pax , libertaſque ſperari poteſt , quia *Princeps pacis.* Quaſi ſi quando hoſtes aduenerint, quales fuerunt, qui Iſraëliticos inuaſerunt fines Aſſyrij , nihil ab illis periculi timendum eſt; quia ſi regionem fidelium inceſſu militari calcauerint : inuenient illam non ſicut anteà Iſraëlem & Iudam Ducibus vacuam : ſed paſtoribus , & optimatibus abundantem , non modò ad propulſandum, ſed & ad inferendum bellum egregiè paratos.

Verſ. 6. 7. *Et paſcent terram Aſſur in gladio, &c.* Propulſabuntur , vaſtabunturque gladio, atque haſta regiones , quibus olim præfuerunt Aſſur , & Nemrod , quæ ſub Aſſyriorum continentur Imperio. Et ſi quando Aſſur , aut ad eius exemplar hoſtis quicumque alius fidelium nouæ Eccleſiæ terram inuaſerit , illo fugato , aut domito Chriſtianorum Principum potentia vtens eique vires addens , ſuam Eccleſiam incolumem ab omni vaſtatione , atque iniuria præſtabit. *Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum , &c.* Pauci autem illi, qui è Iudæis in patriam remeabunt ; & verius qui in Eccleſia Apoſtolico ſpiritu acceptam à Chriſto lucem per Gentilium populos latè diffundent, id præſtabunt Gentibus , quas Euangelicis diſciplinis inſtituent , quod ros, aut imber demiſſus à Domino , qui vbi in arentem herbam , aut in agrum ſitientem inciderit , qui non nouit vllam agricolarum induſtriam, viriditatem tamen, & vitam aſſumit.

Fructus ex prædicatione Euangelica Concionator non ſibi, ſed Deo ſoli attribuat.

[* Hinc miniſtri Euangelici ediſcant , fructus, quos ex ſacri verbi prædicatione colligunt, non ſibi , ſed Deo eſſe tribuendos, qui ros immittit , & agrum donat fœcunditate. Vnde *non expectat virum , & non præſtolatur filios hominum.* Suis enim miniſtris diuinus Agricola ad terram ſubigendam tanquam aratro vtitur: Agricolæ autem non aratro opus eſt tribuendum.]

Verſ. 8. 9. *Et erunt reliquiæ Iacob in Gentibus in medio populorum , &c.* Vt autem exiguus ille populus , qui docili erunt ingenio , erunt inſtar roris , ac pluuiæ : ſic aliis, qui conſilio veteri hærere voluerint , talem Meſſias ſtragem afferet, qualem leo iumento , ac pecori in ſyluestribus locis , in quæ cum inciderit , vulnerat , & conficit : neque vllus eſt tam robuſtus , & audax qui prædam ex illius vnguibus extorqueat. Exprimit Propheta leonis ſymbo-

lo

S. Inquiſitionis tribunal acriter perſequitur Iudæorum reliquias ſuæ peruerſitati hærentes.

lo perſecutionem piam admodum, qua Iudæi pertinaces afficiendi ſunt in Eccleſia ab auguſtiſſimo S. Inquiſitionis Tribunali, tutamine quidem fidei Catholicæ.] *Et exaltabitur manus tua ſuper hoſtes tuos, &c.* Exaltabis ô Domine, manus tuas contra eos, qui tibi ac populo tuo auſi fuerint aduerſati: & eos, qui pertinaci conſilio contra ſtare voluerint, omnipotenti dextera comminues.

2. *Mirabiles incarnationis Dominicæ fructus praſignantur.*

Verſ. 10. 11. 12. Et erit in die illa, dicit Dominus, &c. Eo tempore, Deus ait, cum Princeps pacis Chriſtus nouum Regnum Euangelica diſciplina formatum inſtituerit: auferam equos, & quadrigas, & cætera bellorum inſtrumenta, cum effulgente iam pace, neceſſaria non erunt. Cælitibus concinentibus, *Et in terra pax, &c.* Quia vero tunc nullus erit hoſtis, qui ad Vrbium direptionem exſurgat: ita etiam neceſſaria non erunt murorum propugnacula. Quarè quia illorum vſus amplius non ſit futurus, perinde cenſebuntur, ac ſi nunquam fuiſſent ædificata. Neque iam amplius erunt in te diuinationes, & maleficæ artes, quæ alienæ religionis deliramenta, & fraudes innexere. *Et perire faciam ſculptilia tua, &c.* Diſperdam quæcumque tibi ſimulacra inanium deorum conflaſti: neque operibus, quæ tibi tuæ elaborauere manus, vlterius cultum diuinum offeres.

Verſ. 13. 14. Et euellam lucos tuos de medio tui, &c. Lucos ſuccidam, in quibus impiæ exponebantur aræ, & nefariæ victimæ litabantur. Efficiamque nè Ciuitates, quæ impuræ religioni ſeruiebant, illa nefaria ſacra magis obeant atque ſi nunquam forent excitatæ. *Conteram* enim *Ciuitates*, ſeu faciam, vt ciues ſeria animi contritione idololatriæ ſcelera diluant. *Et faciam in furore, &c.* In illos autem grauiter animaduertam, qui datis à me nouæ legis præſcriptis obſecuti non fuerint. Huiuſmodi vltionem fecit Deus in Iudæis rebellibus per Romanos, in apoſtatas prouinciis per Chriſtianos Reges: quorum plurima exempla lege apud Hiſtoriographos.

CAPVT VI.

Taxat Iudæorum ingratitudinem poſt multa à Deo accepta beneficia ad idola deflectentium. Oſtendit eis qua via poſſint Deo reconciliari. In ſuis ſceleribus ſi perſiſtant, minatur eis exitium.

1. AVDITE quæ Dominus loquitur: Surge, contende iudicio
aduerſum montes, & audiant colles vocem tuam. 2. Au-
diant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta ter-
ræ: quia iudicium Domini cum populo ſuo, & cum Iſraël
diiudicabitur. 3. Popule meus quid feci tibi, aut quid mo-
leſtus fui tibi? reſponde mihi. 4. Quia eduxi de terra Æ-
gypti, & de domo ſeruientium liberaui te: & miſi ante fa-
ciem tuam Moyſem, & Aaron, & Mariam? 5. Popule meus memento quæſo
quid cogitauerit Balach rex Moab; & quid reſponderit ei Balaam filius Beor, de
Setim vſque ad Galgalam, vt cognoſceres iuſtitias Domini. 6. Quid dignum
offeram Domino? curuabo genu Deo excelſo; numquid offeram ei holocauto-
mata, & vitulos anniculos? 7. Numquid placari poteſt Dominus in millibus
arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? numquid dabo primogenitum
meum pro ſcelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? 8. Indi-
cabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iu-
dicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo. 9. Vox
Domini ad ciuitatem clamat, & ſalus erit timentibus nomen tuum: Audite tri-
bus, & quis approbabit illud? 10. Adhuc ignis in domo impij: theſauri iniquita-
tis, & menſura minor iræ plena. 11. Numquid iuſtificabo ſtateram impiam, & ſac-
celli pondera doloſa? 12. In quibus diuites eius repleti ſunt iniquitate, & habitan-
tes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum.
13. Et ego cœpi percutere te perditione ſuper peccatis tuis. 14. Tu comedes, &
non ſaturaberis: & humiliatio tua in medio tui: & apprehendes, & non ſaluabis: &
quos ſaluaueris, in gladium dabo. 15. Tu ſeminabis, & non metes: tu calcabis
oliuam, & non vngeris oleo; & muſtum, & non bibes vinum. 16. Et cuſtodiſti
præcepta Amri, & omne opus domus Achab, & ambulaſti in voluntatibus eorum, vt
darem te in perditionem, & habitantes in ea in ſibilum: & opprobrium populi mei
portabitis.

COMMENTARII.

1\. *Idololatras taxat Iudæos, poſt innumera à Deo accepta beneficia.*

VERS. 1. 2. 3. *Audite, quæ Dominus loquitur: Surge, &c.* Surge, ô Michæa, & meo nomine litem iudiciariam inſtitue aduerſum montes ac colles Iudææ, quibos quaſi fortibus fũdaminibus terta fulcitur, & continetur. Eſt proſopopœia, qua montes vt perſonæ viuę ac rationales ſceletumque reæ ad tribunal citaotur. Sed per metonimiam ipſi Iudæi incolæ montium intelligũtor.

Principes, & Magiſtratus debent eſſe Reipublicæ fulcra.

* Et Symbolicè deſignantur Principes, & Magiſtratus, fundamenta, ac fulcra Reipublicæ, qui in populo eminent, ſicut in terra colles.] *Audiant montes iudicium Domini, &c.* Audiant ergo, qui eo ſunt loco ac monere, vt non ſolùm excelſi montes, ſed terræ fundamenta firma poſſunt appellari: quæ Deus in iudicium, & diſceptationem cõtrà Iſraëlem, & cum ipſo etiam Iſraële conuenire vult. *Popule meus, quid feci tibi, &c.* Ecquid fuit ô popule, in quo tibi vnquàm moleſtiam attulerim? Ediſſere, an aliquod fuerit tempus, vel occaſio, in quo aut paterni animi prouidentiam in me, deſideraueris?

Verſ. 4. 5. Quia eduxi te de terra Ægypti, &c. Num in eo me aut incuriæ, aut crudelitatis accuſas, quia olim te ex Ægypti ſordibus, & ſeruitutis incommodis eduxi: & in longa, ac difficili via duces tibi Moyſem Aaronem, & illorum ſororem Mariam eſſe prouidi? Ægyptus vocatur *domus ſeruientium*. Chald. *ſeruitutis*, non ſolùm quod ibi Iſraëlitæ ſeruierint, ſed etiam quod ipſimet Ægyptij fuerint antonomaſticè *ſerui*, à Noë quandam maledicente filio ſuo Cham, eiuſque poſteris, *ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis*. Gen. 9. Miſit autem Dominus Moyſem, vt doceret populum iudiciorum præſcripta, Aaronem ad expiandum populum. Mariam autem ad quodnam miniſterium emiſit? An ad eruditionem feminarum? Non dubito.

Sine Maria Deipara quis ex mũdi Ægypto, patriæ cœleſtis terminos attingit? Mariæ intercesſio placat Patrem, & Filium propitiũ ampliùs reddit.

* Attamen altius timor Mariæ myſterium. Nam cum profectio illa ex Ægypto ad terram promiſſam typus ſit profectionis à ſæculo ad cæleſtem patriam, quis ſine Mariæ Dei parentis ducatu poterit optatos illos terminos attingere?] * Æternus Pater nobis in Moſe mandata præſcribit. Christus in Aarone hoſtiam pro nobis offert ſalutarem, magnus quidem Sacerdos & oblatio. At Mariæ interceſſio Patrem placat, ne contrà præceptorum tranſgreſſores vindex aſſurgat: & oſtendens vbera Filio, efficit, vt ille Patri vulnera ad eius iram debellandam propitior oſtendat.] *Popule meus, memento quæſo, &c.* Ad memoriam ô popule, reuoca, quidnam conſilij ceperit contra te Balach Moabitarum Rex: & quod à Balaam Propheta filio Beor reſponſum acceperit. Recognoſce quæ à Setim vſque ad Galgala beneficia acceperis, quo tempore grauiter contra benefactorem deliquiſti: & quam fuerit in te Deus benignus ediſces. Porro Balaam ariolus peſſimum conſilium Regi Balacho ſuggeſſit, nempè vt puellas Moabitides, & Madianitides ſpecioſas quaſi vendituras edulia Iſraëli in caſtra ſubmitteret continuò per omne Iſraëlis iter à Setim vſque ad Galgalam, id eſt, ab initio vſque ad finem Regni ſui; vt prolixior eſſet hæc puellarum tentatio & ad fornicationem, & per hanc ad idololatriam ſollicitatio. Vndè continuò & diu peccarent Iſraëlitæ ideóque deſererentur à Deo, & deſerti à Moabitis cæderentur. Et quidem ſucceſſiſſet exitiale conſilium, niſi id Deus per Moyſem diſcuſſiſſet, occurrendo primis initijs, primoſque delinquentes Principes ſuſpendendo, & viginti quatuor millia de populo ſimiliter addicendo interfectioni. *Num. 25. 9.*

Validiora diaboli arma ſunt mulieres.

* Prauum de immittendis ad Iſraëlitas puellis conſilium nos monet, validiora Diaboli arma, ad abducendos homines à ſalutari via, eſſe mulieres, ſeu luxuriei tentamina.]

Luxuriæ impugnatio nulli parcit ætati. Vnde timendũ ſemper.

* Quæ quidem tentatio à principio ad finem ditionis Principis huius mundi perſiſtit, vt ediſcas nullam ætatem eſſe ſecuram à luxuriei Impugnatione. *A Setim* vſque *ad Galgalam*, ſeu à prima ad vltimam ætatem periculum imminet.]

Luxuria facit homines idola colere.

* Quod ſi conſilium illud dirigebatur ad Iſraëlitas ad idololatriam abducendos: monemur hinc, luxuriæ vitium ſic mentes hominum obcæcare, vt faciat Dei omninò obliuiſci, Venerique, ac Baccho litare adorationem.]

E populi peccatis bella exitialia prodeunt.

* Vt Deum contrà Iſraëlem prouocarent Moabitæ ideóque ſuo gladio darentur, curarunt, eum ad peccata pellicere. Ob populi enim peccata bella irrumpunt.]

Initiis ægritudinis ſpiritualis obſtãdum.

* Primis Initiis Moyſes ad remedium accurrit. Niſi enim ſpiritualis ægritudinis principiis obſtes, ſerò medicina parabitur.]

Si Principum vitia nõ puniãtur, populus liberi delinquet.

* Vt denique populus à delinquendi libidine abſtraheretur, aptè Moſes Principes ſuſpendi imperauit. Populares enim tenaciter vitiis inhærent, dùm vident proceres ſine ſupplicij formidine delinquere.]

2\. *Oſtendit, quà viâ poſſint Deo reconciliari.*

Verſ. 6. 7. Quid dignum offeram Domino, &c. Videre te videor ô popule, quaſi conuictum, & compunctum in hoc iudicio deliberare, quomodò Deum tibi iratum placare valeas. Quare tecum tacitè meditantem aſpicio: Quid dignum, & gratum Deo offeram? Curuatiſne genibus eum adorabo, aut holocauſta, & vitulos anniculos immolare audebo? *Numquid placari poteſt Dominus in millibus arietum, &c.* Placabiturne mihi Deus, ſi multa arietum, & hircorum millia cœleſti aræ cultro ſubiiciam? Nùm quem ex meis viſceribus genui, primogenitum pro victima litabo, vt quod pro ſcelere meo ſubire debeo mortis periculum, vitare valeam?

Verſ. 8. 9. Indicabo tibi ô homo. &c. Tibi ô Iſraëlita, qui placari tibi Deum expetis, oſtendam gratum Numini ſacrificium, & quid à te maximè Deus requirat. Nempè vt cuique, quod ſuum eſt tribuas: teque omnibus exhibeas innoxium: miſerationibus ſeu eleemoſynis aſſueſcas: diuinam explores voluntatem, illique diligentiſſime obſequaris.

Eleemoſyna eſt proba pro delictis ſatiſfactio.

* Profectò recta viuendi ratio, maximè eleemoſynarum elargitio optima eſt pro delictis prælapſis ſatisfactio.] *Vox Domini ad Ciuitatem clamat, &c.* Hæc vox eſt Domini, quæ in Ciuitate clamat, & quid maxime ei placeat, vniuerſis oſtendit: quæ ſimul Salutem, ac felicitatem promittit iis, qui illius præſcripta alacri voluntate ſuſceperint. Audite hæc ô Tribus Iſraël, quia magni intereſt, hæc vobis eſſe nota. Sed heù, quis è tanto numero audiet, aut præſtabit audire, probabitve, quæ per me Deus ingrato populo

Vndenam tam exiguus è predicatione fructus legitur?

denunciat. * Si feruens Prophetæ prædicatio tam exiguum fructum legebat ab auditoribus: quem ſperabit fructum Concionator frigidus, qui ſolummodo auditorum demulcere aures ſtudet?]

Minatur excidium in ſceleribus perſiſtenti populo.

3. *Verſ.* 10.11.12. *Adhuc ignis in domo impij theſauri iniquitatis, &c.* Quia mea monita audiendi auribus non percipitis, adhuc domi rapina eſt, & theſauri violentia congeſti. Intus eſt menſura minor, & infidelis, familiare iniquæ negotiationis inſtrumentum, quæ diuini eſt plena furoris. Quare intus eſt ignis, qui domum inflammat, & ab ipſis vſque fundaminibus euertat, * Hinc diſcant mercatores, quod ex menſura qualibet mercimonij menſurandi deeſt, ex diuinæ iræ igne ſuppleri, ad totam ſcilicet domus ruinam.] *Numquid iuſtificabo ſtateram impiam, & ſacelli pondera doloſa?* Numquid is ego ſum, (Dominus ait) quem negotiatores iſti fraudulenti decipiant: quique ſtateram infidelem, & inæquale pondus, quod geſtat in ſacculo mercator iniquus, aut ignorem, aut probare videar, dum abire impunita patior? *In quibus diuites eius repleti ſunt iniquitate, &c.* Horum ponderum inæqualitate, & ſtatera iniuſta negotiatores iſti multis ſe rapinis & ſceleribus onerarunt. Accedit lingua mendax, quæ nihil meditatur, aut loquitur, quod fraudulentum aliquid non inſonet, & iniquum.

Dei ira ſuper mercatores, qui infideli menſura vtuntur.

Verſ. 13.14. *Et ego ergò cœpi percutere te perditione ſuper peccatis tuis.* Ergo ne tibi ô popule improbe videaris innoxius, ſupplicio, quod de te exigere aggreſſus ſum, iã oſtendere cœpi, tuũ viuendi inſtitutum mihi non probari.* Illa pondera: *Cœpi percutere te.* Quanam precor plaga Deus populum tunc iam percuſſerat? Propheta non exprimit. Aſt crediderim percuſſum iam eſſe agnato ipſius rapinæ effectu, ſcilicet bene partas, opes deſtruere. Vnde à Domino ſuperius aſſeritur *Adhuc ignis in domo impij: & menſura minor igne plena.* Ex menſura enim minore ignis poſtquam illam impleuit vacuitatem, ſeu abſumpſit quod ex menſuræ fallacia acquiſitum fuit, ad totius domus properauit exitium.] *Tu comedes, & non ſaturaberis, &c.* Erit itaque tibi tam parcus cibus, vt famem non expleat, ſed augeat. Ab hoſtibus in Ciuitate ipſa variis modis ab hoſtibus humiliaberis. Quod ſi apprehenderis filias tuas, vt ab ſtupro militum defendas, illas ab illorum petulantia non vindicabis. Si autem illas tunc ab illorum expedias iniuria, diù tamèn non erunt incolumes, quia vis iterum redibit hoſtilis, & nihil liberum à cæde, & infamia relinquet. Illata itaque filiæ à petulanti viro iniuria parentis eſt infamia humiliatio. Vndè filiæ nè tanta parentes afficiant iniuria, debent vel leuia fœdandæ puritatis horrere pericula.]

Quod inique acquiritur non ſolum deperditur, ſed perdit omnia alia bona iuſtè poſſeſſa.

Etiam vi maculata filiæ caſtitas parentũ infamis humiliatio eſt.

Verſ. 15.16. *Tu ſeminabis, & non metes, &c.* In ſudore vultus, ſeu in manuum labore Adamus ſuo pane veſcebatur: tu verò poſt exantlatos labores fructu non potieris. Nam ſeminabis agros, neque tamen ex illis quicquam comedes in horrea; calcabis oliuam, atque vindemiam: neque tamen aut olei experieris lenitatem, aut ſuauitate meri animum tuum exhilarabis. *Et cuſtodiſti præcepta Amri, &c.* O ſtolide ac ſcelerate popule, hæc te corripient incommoda, quia non à fidelibus Iuda Regibus, ſed ab impiis Regibus Iſraël Amri, & Achabi viuendi formam expreſſiſti. Eo autem vitæ inſtituto id conſecutus es, vt iam te delere funditus ſtatuerim, & aliis deridendum exponere. Portabis denique infortunium illud, & opprobrium, quod iam olim fuit à me tranſgreſſori populo prænunciatum, puta excidium, captiuitatem, reliquaque diræ ſeruitutis incommoda.

CAPVT VII.

Se prædicando fruſtrà laboraſſe Propheta queritur. Captiuitatem Babylonicam Iudæis prædicit, à qua promittit per Cyrum, ſed præcipuè per Chriſtum Dominum eſſe liberandos.

1. VÆ mihi, quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno race-
mos vindemiæ: non eſt hortus ad comedendum, præcoquas
ficus deſiderauit anima mea. 2. Periit ſanctus de terra, &
rectus in hominibus non eſt: omnes in ſanguine inſidiantur,
vir fratrem ſuum ad mortem venatur. 3. Malum manuum
ſuarum dicunt bonum: principes poſtulat, & iudex in red-
dendo eſt: & magnus locutus eſt deſiderium animæ ſuæ, &
conturbauerunt eam. 4. Qui optimus in eis eſt, quaſi paliurus: & qui rectus,
quaſi ſpina de ſepe Dies ſpeculationis tuæ, viſitatio tua venit: nunc erit vaſtitas eo-
rum. 5. Nolite credere amico: & nolite confidere in duce: ab ea, quæ dormit in
ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui. 6. Quia filius contumeliam facit patri, & filia
conſurgit aduerſus matrem ſuam, nurus aduerſus ſocrum ſuam: & inimici homi-
nis domeſtici eius. 7. Ego autem ad Dominum aſpiciam, expectabo Deum ſalua-
torem meum: audiet me Deus meus. 8. Ne læteris inimica mea ſuper me, quia

cecidi

cecidi: conſurgam, cùm ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt. 9. Iram Domi-
ni portabo, quoniam peccaui ei, donec cauſam meam iudicet, & faciat iudicium
meum: educet me in lucem, videbo iuſtitiam eius. 10. Et aſpiciet inimica mea,
& operietur confuſione, quæ dicit ad me: Vbi eſt Dominus Deus tuus? Oculi
mei videbunt in eam: nunc erit in conculcationem vt lutum platearum. 11. Dies
vt ædificentur maceriæ tuæ: in die illa longè fiet lex. 12. In die illa & vſque ad te
veniet de Aſſur, & vſque ad ciuitates munitas, & a ciuitatibus munitis vſque ad flu-
men, & ad mare de mari, & ad montem de monte. 13. Et terra erit in deſolatio-
nem propter habitantes ſuos, & propter fructum cogitationum eorum. 14. Paſce
populum tuum in virga tua, gregem hereditatis tuæ, habitantes ſolus in ſaltu, in
medio Carmeli: paſcentur Baſan & Galaad iuxta dies antiquos. 15. Secundùm
dies egreſſionis tuæ de Terra Ægypti oſtendam ei mirabilia. 16. Videbunt gen-
tes, & confundentur ſuper omni fortitudine ſua: ponent manum ſuper os, aures
eorum ſurdæ erunt. 17. Lingent puluerem ſicut ſerpentes, velut reptilia terræ
perturbabuntur in ædibus ſuis: Dominum Deum noſtrum formidabunt, & timebunt
te. 18. Quis Deus ſimilis tui, qui aufers iniquitatem & tranſis peccatum reliquia-
rum hereditatis tuæ: non immittet vltrà furorem ſuum, quoniam volens miſericor-
diam eſt. 19. Reuertetur, & miſerebitur noſtri: deponet iniquitates noſtras, &
proiciet in profundum maris omnia peccata noſtra. 20. Dabis veritatem Iacob,
miſericordiam Abraham, quæ iuraſti patribus noſtris à diebus antiquis.

COMMENTARII.

1\. *Se prædicando fruſtrà laboraſſe queritur Michæas.*

VERS. 1. *Væ mihi*, &c. O me miſerum oleum, & operam perdidi. Poſt prolixos labores vineæ Domini Sabaoth excolendæ tot annis impenſos, cum copioſam vindemiam ſperarem, vix licuit racemationem inſtituere, qua pauculos racemos vindemiæ relictos collegi: ſed botrum eſui aptum ne vel vnum recepi. Pauculos ex auditoribus ſuis Ieroſolymitanis proceribus ac ciuibus reperit, qui minis Prophetæ territi reſipiſcere velle videbantur: ſed cum ad deſerenda pocula, ſcorta, rapinas pergererut, id nimis acerbum erat: vel ſi qui ſe induci ſinerent, inolita delinquendi conſuetudine putrefacti, cito ad vomitum recurrebant. Præcoquas, ſeu præ aliis primo calore ſolis bene excoctas ficus famelicus expetiui: at ne vel ex his quidem vnam aſſequi potui. * O quanta triſtitia verus Concionator afficitur, cum videt, integram vindemiam ac meſſem à diabolo in tartareum torcular, ac horreum conuehi: Chriſto autem vix racemationem, & ſpicilegium adaptari!]

Verus Concionator dolore afficitur de exiguo prædicationis fructu.

Verſ. 2. 3. Periit ſanctus de terra, &c. Iuſtum in terra Iudææ nullum inuenio. Omnes enim eo intentum habent ſtudium, vt aliorum bona diripiant, quod perinde eſt, atque aliorum ſanguini inſidiari. Neque vlla colitur domeſticæ conſuetudinis, aut cognationis ratio. Frater enim naturæ immemor, quæ id execratur, ſanguinem fraternum profundere curat, ſicut venator ad feræ cruorem anhelat. *Malum manuum ſuarum dicunt bonum*, &c. Cum omnia quæ agunt aut mediantur ſint iniquiſſima, bona tamen eſſe clamant, quaſi à pio corde profecta. Princeps, qui Iudici forum, ſeu iudicandi facultatem vendit, à Iudice pecuniam poſtulat. Iudex autem ne excidat à Principis gratia, extorquet inique pecuniam à litigatoribus, quam ex pactione debet. Quia vir ille magnus, ac potentior ſuam illi voluntatem aperuit: vnde Princeps & Iudex rem totam conturbant, &

peruertunt: & tamen ſuæ rapinæ aliquam honeſtatis prætendunt ſpeciem. * Hinc apertè colligitur, quàm abſonum, quàm Reipublicæ exitiale ſit iudiciaria officia eſſe venalia.]

Exitiũ Reipublicæ eſt, iudiciaria officia venalia exponi.

Verſ. 4. Qui optimus in eis eſt, quaſi paliurus, &c. Qui inter illos piiſſimus eſſe videtur, verè eſt quaſi *paliurus*, ſpina ſcilicet aſpera & acuta: (vulgo *agrifolium* dicitur) & qui rectus & iuſtus vult videri, eſt velut ſpina de ſepe, quæ pungit, & lædit: & licet vitæ pateat, ſanguinem elicit, cutem lacerat, & veſtem detinet. * Praui Principes, & Iudices aptè ſpinis comparantur, ſiquidem ciues lacerant, pauperum veſtes retinent, vt eos denudent.] Sed tantis malis quodnam remedium? Certè nullum præter ſectionem, & vſtionem inuenio. Ergo aderit breui tuæ viſitationis ſeu ſupplicij tempus per Chaldæos. Viſitabuntur, & excidentur omnes iſti Principes, & Iudices, qui iuſtitiam, Charitatem, ac fidem omnem proſcripſere. * Si quilibet cordatus Miniſter meritò timet illam, quæ aliquando à Rege immittitur ſuperioris Iudicis viſitationem: quantò vberiori debet timore affici, ſciens certiſſimè ſe à Regum Rege viſendum eſſe, & puniendum, ſi iura tranſgrediatur?].

Timeant Iudices cœleſtis Regis viſitationem ſine dubio gerendam.

Verſ. 5. 6. 7. Nolite credere amico, &c. Durante autem huiuſmodi vel Principum perfidia, ſuaſerim cuique, ne credat amico, (Hebr. *ſocio*) ne confidat in Duce, Rege, Principe: cuius alioqui verbum deberet eſſe ſacroſanctum. * Tempora admodum infelicia, cum regiis verbis fides adhibenda non eſſet: ſi tanta in promiſſi Regis impletione debeat eſſe ſecuritas, vt vel vulgare ſit prouerbium, *Regis verbum*, ſeu *Palabra de Rey*. Verbus Regis opus iam debet exiſtimari.] Caue quoque, ne ſecreta tua cuipiam aperias, ne vxori quidem, ne filio tuo etſi dilectiſſimo. * Tanta enim iam eſt omnium perfidia, vt nulli quantumcumque arcto vinculo ſeu ſanguinis, ſeu beneficio adſtricto tibi credere, aut fidere poſſis.] *Quia filius contumeliam facit patri*, &c. Nulla tanta erunt officiorum naturæque vincula, quæ non

Verbum, ſeu promiſſio Regis opus debet exiſtimari, ſiue executio ipſa.

Secretum nulli reuelãdum: rarus enim eſt, qui cuſtodiat, vel nullus quidem.

præꝛumpat priuata vniuſcuiuſque aut commoditas, aut agnata reuelandi ſecreti libido. Patris namque ſecretum aperiet filius, neque maior erit filiarum in matrem, aut nurus in ſocrum reuerentia, & fidelitas. Denique à domeſticis quaſi ab inteſtinis hoſtibus eſt cauendum. * Imò inteſtini hoſtes diriori vulnere te conficient, qui liberius poſſunt ferrum exerere.] *Ego autem ad Dominum aſpiciam, &c.* Ego autem (Michæas ait) in vno Deo fiduciam collocabo, in quo vno & ſecura eſt fides, & inconcuſſa conſtantia. Ipſe me exaudiet precantem, & quæ promiſit cumulatè præſtabit.

Domeſtici diriores aſſolent eſſe inimici.

2. *Verſ. 8. 9. 10. Ne lateris inimica mea ſuper me, &c.* Et tu ô Babylon (inſultat Propheta populi perſonam agens Babyloni, quàm in Iudæorum cæde exultantem contemplatur) quæ in me armatas manus intuliſti inimica: ne vſque adeò tibi placeas, quod tuis oppreſſa viribus corrui. Quia Deo auſpice ac Duce, quem mihi reſipiſcenti propitium futurum ſpero, à miſera conditione conſurgam. * Nullus adeò a fortuna deiectus in infimum, qui non poſſit eius rotæ volubilitate rurſus deuehi ad faſtigium.] *Iram Domini portabo, &c.* Subibo ſupplicium, quo iuſtiſſimè mihi delinquenti Deus vltor impoſuit, dum ipſe lux mihi vitalis affulſerit, qui poſt ſcelerum vltionem ſuam in me parcendo, & ab Incommodis diris liberando, ſuam exerat pietatem, poſtquam iuſtitiam eius in puniendo aſpexi. *Et aſpiciet inimica mea, & operietur confuſione, &c.* Tunc Babylon tantam rerum viciſſitudinem aſpiciens ingenti pudore afficietur, quæ nunc inſultans mihi dictitat: Vbi eſt Deus tuus, à quo omnipotentem cum prædicarea, omnia ſperabas? Tunc Babylonem deſpiciemus, ſicut anteà nos Babylon: & eo erit pretio apud nos, quo lutum in plateis ab omnibus cum faſtidio calcatum. * Frequenter videbis eum, qui in aduerſa fortuna exiſtens ab inimicis irridetur, commuta illa in proſperam priſtinos irriſores irridere.]

Prædicit à captiuitate ſolutionem.

Nullus ſic à fortuna deiectus, qui euehi rurſù ſperare non poſſit.

Ne deiectum irrideas, ne tu deiectus aliquãdo ab illo euecto iam irridearis.

Verſ. 11. 12. 13. Dies, vt ædificentur maceriæ tuæ: in die illa longè fiet lex. Illuceſcet dies, ô Ieruſalem, cum maceries diruta à Babyloniis inſtauretur: & ceſſet lex illa, quam barbarus tibi dominus impoſuit, ſiue vt ancillæ, vt vilia ſubires miniſteria: ſiue vt captiuæ, vt ſuprà vires vectigalia ſolueres. *In die illa, & vſque ad te veniet de Aſſur, &c.* In illa die exules Iudæi ad te reuertentur ex Aſſyria, vbi diſperſi morabantur: & à Ciuitatibus munitis, à mari & fluminibus, & montibus, quæ erant inter hoſtes in peregrino ſolo, reuertentur ad maria, ad flumina, ad montes, & Ciuitates munitas, quæ in Iſraëlitica patria reliquerunt. *Et terra erit in deſolationem, &c.* Longè aliter ſub idem tempus Babyloniis accidet, quorum Regnum propter habitatorum ſcelera, & propter ſtudiorum, ac cogitationum impiarum ſceleratos fœtus, deſertum, ac vacuum ab incolarum frequentia manebit. * Vides, non ſolum iniqua opera, ſed & cogitationes impias vel in præſenti rigidè vindicari.]

Non ſolùm impia opera, ſed & cogitationes vel hic dirè puniuntur.

Verſ. 14. 15. 16. Paſce populum tuum in virga tua, &c. Paſcebas antè ô captiue popule, gregem alienum aliena virga, & pabulo alieno: quare ſi quis fructus à grege capiebatur, ad alienum dominum attinebat. At poſteà gregem paſces tuum, non aliena, ſed tua virga in vbertimis paſcuis Libani atque Baſan, vbi ſolum paſces tuos, neque alienos tuis gregibus adhærebis. Quarè quidquid indè fructus capietur tuos tantum pertinebit ad vſus, non aliter quàm antiquis felicioribus ſæculis. *Secundùm dies egreſſionis tuæ de terra Ægypti oſtendam ei mirabilia.* Talia oſtendam prodigia, cum te ex Babilonica abſtraxero ſeruitute, qualia oſtendi, cum te ex Ægyptia captiuitate eripui. *Videbunt gentes, & confundentur ſuper omni fortitudine ſua, &c.* Videbunt hæc omnia Gentes electi populi, & ſtupebunt quod omnibus machinationibus ſuis illi obeſſe non poterunt. Contra mutire non audebunt, & præ inuidia, & dolore obturabunt aures ne proſperos Iſraëlis ſucceſſus audire cogantur.

Verſ. 17. 18. Lingent puluerem ſicut ſerpentes, &c. Lingent interim terræ puluerem ſicut ſerpentes, id eſt, victoribus Iudæis ſupplices humi adſternentur, & more gentium ſuarum fronte humum ferient, vt ore terram tangere, ac lambere videantur. Et è ſuis ædibus non aliter extrahentur, quàm è cauerna coluber, aut quoduis aliud reptile, non quidem compulſus egredi ſuis pedibus, ſed totius corporis tractu, ſicut reptatu ſerpens è cauernis extruditur. Porrò edocti rerum ſucceſſu Gentes illæ quàm ſint idola vana & mendacia, quàm ſit Deus fidelis & fortis edoctæ illum timebunt, & omni deſiderio ac ſtudio amplectentur. *Quis Deus ſimilis tui, &c.* O Domine, à quo facta eſt tanta rerum mutatio, quæ tibi ſimilem inueniemus, cuius clementiam multitudo criminum non exhaurit: qui non ſolum temperas quidquid in ſupplicio videbatur acerbum, ſed etiam aufers, atque condonas iis, quos ex multis reliquos tam ærumnoſa exilij conditio. * Itaque ex eo, quod iniquitatem aufert, dignoſcit Propheta nullum Deo ſimilem poſſe inueniri. Dei namque (vti canit Eccleſia) proprium eſt, miſereri ſemper, & parcere.]

Dei propriũ eſt, miſereri ſemper, & parcere.

Verſ. 19. 20. Reuertetur, & miſerebitur noſtri, &c. Abiecit nos impios Deus ab humanitate, qua nos anteà parentum memoria complexus fuerat: nunc ad animum verè clementem reuerſus, nos reſipiſcentes miſericors leuabit. Et noſtra ſcelera, & quod illis debetur ſupplicium ſic aſpiciet, ac ſi nunquam illa fuerint perpetrata, & hoc fuiſſet indebitum. Neque magis illorum recordabitur, quàm ſi in profundum pelagi eſſent demerſa. * Vnde pœnitentiæ ingens vis innoteſcit.] *Dabis veritatem Iacob, &c.* Dabis itaque ô Domine fideliter Iacobi filiis, quod miſericorditer Abrahamo, & antiquis Patribus iuramento firmaſti.

Magna vis pœnitentiæ.

LIBER QVARTVS.
COMMENTARII LITERALES, ET Morales.

NAHVM, HABACVC, SOPHONIAS, AGGÆVS.

PRÆLVSIO.

Adhuç in Prophetarum nominibus Deiparæ agnoſco myſterium. Nam ſi *Nahum* idem eſt ac נח *Noë*, ſcilicet *conſolator* à radice *Nacham*, afflictorum conſolatricem Mariam vocat Eccleſia. Noë arcæ ſtructione conſolatus eſt mundum, ne viuenres omninò perirent. Maria autem ſeipſam hominibus obtulit arcam, ne cœleſtis iræ fluctibus obruerentur. Si *Habacuc* idem eſt, quod *luctator*, *amplexator*: cum Deus aduerſus peccatores iratus exſurgit, cum eo Maria, Iacobi inſtar, luctatur, & ne vulnus infligat, materno detinet amplexu. Si *Sophonias Dei abſconditus* ſonat, vel *Dei ſpeculator*, aut *Dei ſpeculum*: qui Dei perfectiones humanæ rarioni abſconditas ſpeculari voluerit, ad Mariam accurrat ſine macula ſpeculum Deificæ ſcilicet *bonitatis*. Si denique *Aggæus* idem eſt, quod *feſtum agens*: Maria à primo conceptionis inſtanti agit ſine communi labore feſtum.

Maria conſolatrix noſtra.

Maria cum Deo luctatur ad hominũ defenſionem.

Maria ſpeculum Dei.

Maria ſemper feſtum agens.

NAHVM.

CAPVT PRIMVM.

Niniuitis prædicit excidium. Aſſyriaci Imperij hoſtis Iſraël ſtragem prænunciat.

1. ONVS Niniue: Liber viſionis Nahum Elceſæi. 2. Deus æmu-
lator, & vlciſcens Dominus: vlciſcens Dominus, & habens
furorem: vlciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe
inimicis ſuis. 3. Dominus patiens, & magnus fortitudine,
& mundans non faciet innocentem. Dominus in tempeſtate
& turbine viæ eius, & nebulæ puluis pedum eius. 4. Incre-
pans mare, & exiccans illud: & omnia flumina ad deſertum
deducens. Infirmatus eſt Baſan, & Carmelus: & flos Libani elanguit. 5. Montes
commoti ſunt ab eo, & colles deſolati ſunt: & contremuit terra à facie eius, & orbis,
& omnes habitantes in eo. 6. Ante faciem indignationis eius quis ſtabit? & quis
reſiſtet in ira furoris eius? indignatio eius effuſa eſt vt ignis: & petræ diſſolutæ ſunt
ab eo. 7. Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis: & ſciens ſperantes

in ſe. 8. Et in diluuio prætereunte, conſummationem faciet loci eius: & inimicos eius perſequentur tenebræ. 9. Quid cogitatis contra Dominum: conſummationem ipſe faciet: non conſurget duplex tribulatio. 10. Quia ſicut ſpinæ ſe inuicem complectuntur, ſic conuiuium eorum pariter potantium: conſumentur quaſi ſtipula ariditate plena. 11. Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam: mente pertractans præuaricationem. 12. Hæc dicit Dominus: Si perfecti fuerint, & ita plures; ſic quoque attondentur, & pertranſibit: afflixi te, & non affligam te vltrà. 13. Et nunc conteram virgam eius de dorſo tuo, & vincula tua diſrumpam. 14. Et præcipiet ſuper te Dominus, non ſeminabitur ex nomine tuo ampliùs: de domo Dei tui interficiam ſculptile, & conflatile, ponam ſepulchrum tuum, quia inhonoratus es. 15. Ecce ſuper montes pedes euangelizantis, & annuntiantis pacem: celebra Iuda feſtiuitates tuas, & redde vota tua: quia non adiiciet vltrà vt pertranſeat in te Belial: vniuerſus interiit.

COMMENTARII.

1. *Niniuitis prædicit excidium.*

VERS. 1.2.3. *Onus Niniue: Liber viſionis Nahum Elceſæi.* Liber Nahum Elcæſæi, in quo durum, & minax vaticinium contra Niniuem toties relapſam in ſcelera continetur. *Deus æmulator, & vlciſcens Dominus, &c.* Deus zelotypus eſt, & vltor: vltor inquam, eſt Deus, & ira plenus, qui vindictam expetet de hoſtibus ſuis, & quam iam pridem concepit iracundiam, in ſuos euomet inimicos. * Acetuat Propheta particulas *Æmulator, Vlciſcens, Iraſcens.* Quare precor? Quia Niniuitæ ſæpè relapſi in ſcelera etiam poſt veniam Ionæ prædicationis tempore adeptam. Vndè Dominus illi ſcelerum replicationi & accetuationi replicat, & acetuat inſtantis ſupplicij magnitudinem.] *Dominus patiens, & magnus fortitudine, &c.* Eſt patiens Deus: infinitam enim, quam habet, fortitudinem, in tolerando manifeſtat. * Tanta enim peccati malitia, vt quodammodo Deus ſua omnipotentia vtatur, vt ſeipſum reprimat à vindicta inferenda illico peccatori.] Porrò qui prius prædicante Iona Niniuitis pepercit idem, quia animum obſtinarunt in delinquendo, non amplius ignoſcet. Ad ſumendam ergo de Niniue vindictam, ea Deus celeritate ac impetu veniet, quaſi cum turbo deferret, aut rapida tempeſtas. Ex cuius inceſſu tantus excitabitur puluis, vt denſiſſimæ obtineat ſpeciem.

Relapſis poſt veniã in crimina; accetuat Deus ſuppliciorũ grauitatem.

Tanta peccati malitia, vt Deus, ne illicò peccatorẽ puniat, quodammodo à ſua met omnipotentia reprimitur.

Verſ. 4.5.6. Increpans mare, & exſiccans illud, &c. Num difficilè erit Deo Niniuem copioſam Ciuitatem comminuere, cui facillimum erit imperio minaci exiccare pelagus, & loca fluminibus irrigua, imò flumina ipſa in deſertum redigere, quæ ſicco viatorum veſtigio pateant? Quod ſi quicquam ita fuerit ſpecioſum, & cultum, vt cum Baſan, Carmelo, aut Libano valeat comparari: id totum proſternet tempeſtas, quam Deus Aſſyriorum inuehet in fines. *Montes commoti ſunt ab eo, &c.* Ad ingreſſum illius montes, & colles graui motu contremiſcent, & exoident: neque minus acriter terram, illiuſque incolas turbo concutiet. *Ante faciem indignationis eius quis ſtabit, &c.* Quis erit vſque adeò audax, qui Deo ad vindictam properanti poſſit occurrere? Quis adeò inſanus, qui ſe illius indignationi temerarius opponat? Illius etenim ira non aliter erumpit, quam ignis violentus, qui ipſa etiam ſaxa exurit, ac ſoluit.

Verſ. 7.8. Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, &c. Porrò vt Deus ſeuerus eſt in eos, qui in populum ſuum immiſericordes ſe oſtenderint: ſic è contra, benignus, ac munificus in ſuos, qui ergà proximos ſe pios præſtant, oſtenditur. Diligit quidem illos, & vt ſuos agnoſcit, qui omnia ab ipſo ſperant, & ad eum in omni aduerſitate ſpe firma confugiunt. *Et in diluuio prætereunte conſummationem faciet loci eius, &c.* In caſtris numeroſis Sennacherib, inſtar diluuij inundantibus Iudæam, conſummatè, & plenè perdet *locum*, ſeu Aſſyrios caſtrametantes in loco per tyrannum ad id delecto. Inimicos quidem hoſce quocumque ſe verterint, horrentes perſequentur tenebræ, ſeu aſſidua vrgebunt incommoda. Nam ſi declinare contingat hoſtile ferrum, non tamen Dei vindicis iram effugient.

Verſ. 9.10. Quid cogitatis contrà Dominum, &c. Quid ô Aſſyrij ſpiritus contra Dominum arrogantes alitis, cogitantes ſcilicet, ab illius potentia nullum vobis poſſe præparari periculum? Ille, cuius vos iram contemnitis, funditus vos euertet, nec è re veſtra quicquam ſupererit. Et vos ô Solymitani ciues, qui timetis, vobis idem quod decem Tribubus infortunium, ab Aſſyriis obuenturum bono animo eſtote: Neque enim id vnquam aſſequetur Aſſyrius, vt duplicem Iſraëlitico generi inferat plagam. * Si ſolùm decem Tribubus plaga erat inflicta, duabus Tribubus incolumitate fruentibus: Aſſyriis ad Iudæ Tribum irruentibus non erit duplex, ſed ſingularis plaga. Quomodo autem dicit Nahum, *Non conſurget duplex tribulatio?* Certè quia dum decem Tribus Iſraël premebantur ab hoſte, duæ aliæ Tribus eadem moleſtia in fratribus afficiebantur. Nam ſi proximum vt meipſum amare debeo, eo quo afflictatur proximus incommodo, neceſſarium eſt, me ſimul affligi.] *Quia ſicut ſpinæ ſe inuicem complectuntur, &c.* Dum in Iudææ obſidione Aſſyrij ſicut ſpinæ ſe inuidem complectentur epulantes, compotantes, & obſeſſis inſultantes: ex improuiſo manu ſternentur Angelica 4. *Reg.* 19 35. & quaſi aridæ ſtipulæ cæleſtis vltionis igne abſumentur. Pari modo capietur à Chaldæis & Medis Niniue, cum ciues muris ſuis præſidentes conuiuiis vacabunt. Ita factum Diodorus *lib.* 3. teſtatur.

2. *Aſſyriorum Imperij prænunciat ſtragem.*

Qui amat proximum ſicut ſeipſum eodem quo ille affligitur incommodo.

Verſ. 11.12. Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam, &c. Ex te ô Niniue Rex tuus

Senna

Sennacheribus exibit, qui more priſcorum gigantum cum ipſo Deo bellum gerere præſumit, populum, Vrbem, Templum ipſi Sacrum, & tam charum præſumens exſcindere. *Hæc dicit Dominus: ſi perfecti fuerint, &c.* Etſi Aſſyrij ita perfecti fuerint copiis, opibus, & viribus, vt nihil ipſis deeſſe videatur; & ità plures, vt Iudæi cum illis comparari non valeant: tamen attondebit eos Angelus ſuo gladio pertranſiens, & feriens: nempè quaſi capillos facillimè quotquot volet reſecabit: & ſic pertranſibit, ac euaneſcet omne illud robur exercitus Aſſyriorum: & ipſis præ omnibus Rex Sennacherib probroſa fuga pertranſibit è Iudæa in Aſſyriam: & tibi manu filiorum ſuorum ex hac vita tranſibit ad tartarum. * Omnia etenim in hoc mundo *tranſeunt*, tranſit potentia tyrannorum, tranſiit tribulatio, tranſeunt Regna. Vnde nec felicitate tumeſcere, nec aduerſitate affligi debemus.]

Omnia tranſeunt in mũdo felicitas, & aduerſitas.

Verſ. 13. 14. Et nunc conteram virgam eius de dorſo tuo, &c. Poteſtatem Aſſyrij conteram, & lora quæ ceruicibus tuis, iugoque parauerat, antequam ſui ſtudij compos fiat, omnino confringam. *Et præcipiet ſuper te Dominus, non ſeminabitur in nomine tuo amplius, &c.* Audi denique tu ô Sennacherib, quid de te Deus ſtatuit. Extinguetur Imperium tuum, neque ex ſubditorum labore frumenta regia inferrentur in horrea. Neque amplius colebuntur dij illi, quorum tu ſupplex precabaris ad aras. Neque enim vllum aderit ſimulacrum aut dolatum è ligno, aut exculptum è ſaxo, aut conflatum ex ære, quod non penitus comminuatur. Tam verò longè erit, vt à diis, quibus homili litabas reuerentia, ſalutem aſſequare, vt in illorum conſpectu, ac delubro vilis necem, ac ſepulchrum inuenias.

Verſ. 15. Ecce ſuper montes pedes euangelizantis, &c. Aſpicere te exiſtima ô Ieroſolyma, properantes nuncios & audire clamores, quibus è montium faſtigiis, occiſo potentiſſimo Iudæorum hoſte Sennacheribo, pacem, ac ſecurum otium annunciant. Secura iam poteris, quæ legitima, aut ex votis ſacrificia debes, celebrare, dieſque ſacros indemnis obire. Quia vir audax & exlex Sennacherib interiit, qui non ſinebat pauidos Iudæos illa præſtare, quæ religio præſcribit. * Porrò Doctores hæc allegoricè diabolo, & morti per Chriſtum Dominum proſtratis, cæſis, & contritia accommodant.]

Chriſti contra diabolũ, ac peccatum victoria.

CAPVT II.

Vrbis Niniues, & Imperij Aſſyriorum per Chaldæos, & Medos prædicit exitium, Chaldæorum, ac Medorum depingit exercitum.

1. ASCENDIT qui diſpergat coram te, qui cuſtodiat obſidio-
nem: contemplare viam, conforta lumbos, robora virtu-
tem valdè. 2. Quia reddidit Dominus ſuperbiam Iacob,
ſicut ſuperbiam Iſraël: quia vaſtatores diſſipauerunt eos, &
propagines eorum corruperunt. 3. Clypeus fortium eius
ignitus, viri exercitus in coccineis: igneæ habenæ currus in
die præparationis eius, & agitatores conſoniti ſunt. 4. In
itineribus conturbati ſunt: quadrigæ colliſæ ſunt in plateis: aſpectus eorum quaſi
lampades, quaſi fulgura diſcurrentia. 5. Recordabitur fortium ſuorum, ruent
in itineribus ſuis: velociter aſcendent muros eius, & præparabitur vmbraculum.
6. Portæ fluuiorum apertæ ſunt, & templum ad ſolum dirutum. 7. Et miles cap-
tiuus abductus eſt: & ancillæ eius minabantur gementes vt columbæ, murmuran-
tes in cordibus ſuis. 8. Et Niniue quaſi piſcina aquarum aquæ eius: ipſi verò fuge-
runt: ſtate, ſtate, & non eſt qui reuertatur. 9. Diripite argentum, diripite au-
rum: & non eſt finis diuitiarum ex omnibus vaſis deſiderabilibus. 10. Diſſipata
eſt, & ſciſſa, & dilacerata: & cor tabeſcens, & diſſolutio geniculorum, & defectio
in cunctis renibus: & facies omnium eorum ſicut nigredo ollæ. 11. Vbi eſt habi-
taculum leonum, & paſcua catulorum leonum, ad quam iuit leo vt ingrederetur
illuc, catulus leonis, & non eſt qui exterreat? 12. Leo cepit ſufficienter ca-
tulis ſuis, & necauit leænis ſuis: & impleuit præda ſpeluncas ſuas, & cubi-
le ſuum rapina. 13. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & ſuccen-
dam vſque ad fumum quadrigas tuas, & leunculos tuos comedet gladius:
& exterminabo de terra prædam tuam, & non audietur vltrà vox nunciorum
tuorum.

COMMENTARII.

I. *Niniues prædicit exitiũ, hoſtiumq; deſcribit exercitum.*

VERS. 1. 2. *Aſcendit qui diſpergat coram te, &c.* O Niniue quæ tibi inuincibilis eſſe videris, aduerſus te aſcendit hoſtis Chaldæus, & Medus, qui in oculis tuis in ſuburbana tua ſuas copias militares diſpergat, quibus aggeres, valles, ac munitiones tuas diſſipabit: & toto biennio obſidionem producet, arctiſſimè te concludens omni è regione. E ſpeculis tuis contemplare viam, quo hoſtes vndique ad te cingendam properant: collige igitur quidquid virium habes, vt aduentantibus obſiſtere valeas. *Quia reddidit Dominus ſuperbiam Iacob, &c.* Quia vltor Deus reddidit Niniuitis pœnam debitam ſuperbiæ ac tyrannidi exercitæ per Sennacherib in Iacob, ſeu in duas Tribus toti familiæ Iacob reliquas: & in Iſraël, ſiuè in Regnum decem Tribuum per Teglathphalaſſar, & Salmanaſſar, qui propagines ſeu familias eorum partim excidio, partim exilio comminuerunt.

Verſ. 3. 4. Clypeus fortium eius ignitus, &c. Contemplare igitur è ſpecula militum Chaldæorum, & Medorum apparatum, & qualem illi in dimicando ardorem & conſtantiam præſignent. Illorum clypeus ſic terſus, vt igneos ex ſe radios euomere videatur. Veſtibus milites coccineis vtuntur: & in phaleris atque habenis, quæ ad bella comparant tantum adiiciunt gemmarum & auri, vt igneum ex ſe ſplendorem emittant. Quod vero ad militares ſpiritus attinet, talis illis inerit animus, tàm præceps, ac violentus furor, qualis in temulentis aſſolet ſpectari, quibus vinum nihil mentis, ac

Homo iratus haud differt ab ebrio.

conſilij reliquit. * Innuit pulchrè, iratum hominem parum, vel nihil ab ebrio differre.] *In itineribus conturbati ſunt, &c.* In inceſſu tam erit concitata feſtinatio, vt ordo nullus ex diſciplina militari ſeruetur; ita vt non in viis ſolùm anguſtis, ſed in plateis lociſque patentibus quadrigæ, quæ ardentes incredibili velocitate voluuntur, in ſeipſas impingant, & ineuitabili congreſſu collidantur. Aſpectus illorum ſic erit inflammatus, vt ex toto ore furor emicet, ac crudelitas, non aliter quam ex ardente nube fulgura diſcurrunt.

Verſ. 5. 6. 7. Recordabitur fortium ſuorum, &c. Hic erit Chaldæorum & Medorum ardor. Tunc verò Aſſyriorum Imperator, cum rem ad extremam aleam viderit eſſe deductã, ſtrennos quoſque duces aduocabit, qui in data ſibi ſtatione, & in congreſſu militari deficient. * Nonnulli enim duces ducatus delectantur honore, emolumentis officij vtuntur: ſed irruente inſtantia dimicandi imbelles pericula declinant.] Meliori conſilio atque animo Chaldæi, & Medi, quorum alij ad muros aduolabunt, & illos aſcendent; alij ſibi, totique exercitui ad ferendas diuturnæ obſidionis moleſtias tentoria præparabunt. *Portæ fluuiorum apertæ ſunt, &c.* Tandem dirutus eſt murus, & ciuitatis oſtia reſerata, per quæ exercitus quaſi fluuius irrumpet: & templum, quod Vrbis erat ornamentum, & præſidium, funditus exſcinderetur. * Putabant idololatræ illi templum ſuum præſidium eſſe Ciuitatis: ſed ruinæ auctorem eſſe non dubito vanam ſimulacrorum adorationem. Vndè poſtquam apertas fuiſſe portas expreſſit, mox templi ruinam expoſuit. Vt ediſcas peccata Vrbium, ac Regnorum excidium operari.]

Taxantur qui è bello cõmoda ambiunt duces, pericula autem fugiunt.

Peccata Vrbium ac Regnorum ruinam operantur.

* Habes ſimul veri Dei Templa verè Vrbium eſſe præſidium.] *Et miles captiuus abductus eſt, &c.* Quod verò ad milites attinet, & ad Ciuitatis incolas, planè ſpecies miſerabilis. Nam milites, qui præſidio magnæ Vrbi erant, in ſolùm alienum captiui remearunt. Fœminæ autem ſiue liberæ, ſiue Dominæ iam ad ancillarem conditionem adductæ, à victore non ſecus atque à paſtore pecudes minabuntur: quæ cum non audebunt ſuam coram barbaro hoſte deflere fortunam, ſecum ipſæ columbarum inſtar, illam rerum conuerſionem tacitè ingemiſcent.

Templa Vrbium præſidium.

Verſ. 8. 9. Et Niniue quaſi piſcina aquarum aqua eius, &c. Interim tota Niniue quaſi lacus erit aquarum, ſcatens aquis, quas Tigris confractis cataractis in eam ſitam vtique humili, ac paludoſo loco infundet. Incolæ verò eius & milites præſidiarij viſo hoſte diffugient, fruſtra Principibus Niniues inclamantibus: Conſiſtite viriliter, conſiſtite intrepidi, & hoſti reſiſtite. *Diripite argentum, diripite aurum, &c.* Melius auſcultabunt Chaldæi & Medi milites ducum ſuorum monitis: Aurum, & argentum tot ſæculis vnam congeſtum in Vrbem, vaſaque ac monilia eius numero infinita, & ſpecie pulcherrima diripite, diripite.

Verſ. 10. 11. Diſſipata eſt, &c. Ad prædam ô Chaldæi & Medi quam primum properate: nihil enim eſt, quod ſitim veſtram remorari poſſit. Patet iam omnibus diſſipata Ciuitas. Neque ab incolis, qui in Vrbe remanſerunt, aliquid poteſt timeri periculi: ſic enim ſunt animo languido, vt cor in illorum pectore ertabuiſſe videatur: vires ita confractæ, vt diſſoluta genua corporis molem ſuſtinere non valent. Neque minus laborant, quàm fœminæ, queis grauis accidit in puerperio lumborum contritio. Ex quo illum contraxere colorem, quo ex igne ſuppoſito olla nigreſcit. *Vbi eſt habitaculum leonum, &c.* Vbinam ſunt ô Niniue ſuperba, illa leonum habitacula, ad quæ illi (nempe ciues tui) magnam vndecumque terrarum prædam comportabant? Vbinam illa paſcua pinguiſſima, quæ leunculorum famem ad ſatietatem vſque, imò ad vomitum explebant? Ad quæ quidem ſic leo prædator maximus (Rex ſcilicet) & illius catuli ſic ingrediebantur, vt nullus eos timor, aut pudor arceret.

Verſ. 12. 13. Leo cepit ſufficienter catulis ſuis, &c. Leo ille magnus Aſſyrius affatim iam cepit, occidit ſeu prædatus eſt, vt filiis, ac concubinis ſuis catulis, & leænis epulum inſtrueret opiparum. Eius namque rapinis ſua ſibi latibula ac ſpeluncas impleuit. *Ecce ego ad te, &c.* Ego ad te ô Niniue exſcindendam per Chaldæos, & Medos adſum in procinctu. Omne robur bellicum, omnia arma, omnes milites, qui leones ſe fore iactabant, omnia præſidia tua, quibus te ſecuram eſſe ab hoſtili impugnatione putabas, in flammam & fumum conuertam. Neque vltrà audietur vox emiſſariorum tuorum, quos vel ad Vrbes debellandas,

Quod ex rapina acquiritur nulli ſeruit.

das, vel ad tributa colligenda ſolebas Regina per vniuerſum orbem deſtinare. * Illa obſerua: *Exterminabo de terra prædam tuam.* Non dixit, de Vrbe, ſed *de terra* omni prædam exterminandam. Nam quod ex prædatione, aut rapina acquiritur, nulli ſeruit.]

CAPVT III.

Chaldæorum, & Medorum, à quibus Niniue exciſa fuit ob rapinas, ac cædes deſcribere pergit exercitum. Cum Alexandria comparat illam in ciuibus, in opibus, in ſceleribus, in ſupplicio.

1. VÆ ciuitas ſanguinum, vniuerſa mendacij dilacetatione plena: non receder à te rapina.
2. Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis aſcendentis:
3. & micantis gladij, & fulgurantis haſtæ, & multitudinis interfectæ, & grauis ruinæ: nec eſt finis cadauerum, & corruent in corporibus ſuis.
4. Propter multitudinem fornicationum meretricis ſpecioſæ, & gratæ, & habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus ſuis, & familias in maleficiis ſuis:
5. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & reuelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam Gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.
6. Et proiiciam ſuper te abominationes, & contumeliis te afficiam, & ponam te in exemplum.
7. Et erit: omnis, qui viderit te, reſiliet à te, & dicet: Vaſtata eſt Niniue: quis commouebit ſuper te caput? vnde quæram conſolatorem tibi?
8. Numquid melior es Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus? aquæ in circuitu eius: cuius diuitiæ, mare: aquæ, muri eius.
9. Æthiopia fortitudo eius, & Ægyptus, & non eſt finis: Africa & Libyes fuerunt in auxilio tuo.
10. Sed & ipſa in tranſmigrationem ducta eſt in captiuitatem: paruuli eius eliſi ſunt in capite omnium viarum, & ſuper inclytos eius miſerunt ſortem, & omnes optimates eius confixi ſunt in compedibus.
11. Et tu ergo inebriaberis, & eris deſpecta: & tu quæres auxilium ab inimico.
12. Omnes munitiones tuæ ſicut ficus cum groſſis ſuis: ſi concuſſæ fuerint, cadent in os comedentis.
13. Ecce populus tuus mulieres in medio tui: inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ, deuorabit ignis vectes tuos.
14. Aquam propter obſidionem hauri tibi: extrue munitiones tuas: intra in lutum, & calca ſubigens tene laterem.
15. Ibi comedet te ignis: peribis gladio, deuorabit te vt bruchus: congregare vt bruchus: multiplicare vt locuſta.
16. Plures feciſti negotiationes tuas, quàm ſtellæ ſint cæli: bruchus expanſus eſt, & auolauit.
17. Cuſtodes tui quaſi locuſtæ: & paruuli tui quaſi locuſtæ locuſtarum, quæ conſidunt in ſepibus in die frigoris: ſol ortus eſt, & auolauerunt, & non eſt cognitus locus earum vbi fuerint.
18. Dormitauerunt paſtores tui, rex Aſſur ſepelientur principes tui: latitauit populus tuus in montibus, & non eſt qui congreget.
19. Non eſt obſcurata contritio tua, peſſima eſt plaga tua: omnes qui audierunt auditionem tuam, congreſſerunt manum ſuper te: quia ſuper quem non tranſiit malitia tua ſemper?

COMMENTARII.

1\. Deſcribere pergit Chaldæorum ac Medorū exercitum, quo fuit Niniue exciſa. Difficilè quis à furandi vitio recedit.

VERS. 1. *Væ Ciuitas ſanguinum, &c.* Væ tibi ô Ciuitas Niniue Gentium omnium ſanguine ebria, in qua nulla veritas, nulla iuſtitia, ſed omne mendacium, omne fraudis ac doli genus prædarum dilaceratione, ac rapinis exundans. Nunquam enim rapina à te recedet, quam à tot ſæculis cœpiſti exercere perpetuò continuabis. * Victitare enim tritico, quod non ſeminaſti res placida eſt, vnde difficilè quis à furandi vitio recedit.]

Verſ. 2. 3. Vox flagelli, &c. Audire iam videor flagelli ſonitum, quo babylonij aurigæ quadrigarum equos moderantur: rotarum, quæ magna celeritate voluuntur, horribilem ſtrepitum: fremitum equorum, & ardentium quadrigarum fragorem: & illorum, qui in illas aſcenderunt, minacem ſonitum, celeumaque bellicum. Iam oculis meis ſplendentis gladij fulgor, & haſtæ fulgurantis ignis: & ex vtriuſque colliſione ſonitus auribus obiicitur: morientium etiam clamor, & gemitus, & à ruente

domo fragor auditur, Tanta autem erit Niniuitarum ſtrages, cadauerum tanta multitudo, vt viam tùm Aſſyriis fugientibus, tum Chaldæis inſequentibus intercludatur, vtriſque in ea impingentibus, ac corruentibus.

Verſ. 4. 5. Propter multitudinem fornicationum: &c. Mala hæc omnia Niniue obuenient ob multitudinem fornicationum impudentis meretricis huius, quæ & nomine & re ſpecioſa eſt, ac proinde omnibus gentibus grata, cum ob maleficia ſua & ſuperſtitiones, arteſque magicas, quibus omnium faſcinat oculos, & incautos in ruinam præcipitat, omnibus eſſe deberet exoſa. Innumeras enim familias, imò integras gentes ſibi qua vi, qua dolo, qua aliis malis artibus ſubiectas, & in ſeruitutem redactas, pro eo quod opibus ſuis, vt Reginam decebat, eas paſceret, ac protegeret ſumma perfidia vendidit hoſti, dum prætextu idolorum propugnandorum, dilatandorumque finium, coëgit eas ſecum exire in aciem contra Chaldæos, & Medos, obiiciens incautas gladiis hoſtilibus, ouicularum inſtar, mactandas. * Illud expende, *Meretricis ſpecioſæ & gratæ: quæ vendidit gentes in fornicationibus ſuis.* Vt hominum videas hebetudinem, quibus grata eſt ſpecies, qua nunquam non venditionis gerendæ machinatio abſconditur: quo quidem cunctis ingratiſſima eſſe deberet] *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & reuelabo pudenda tua in facie tua, &c.* Et nunc ô Niniue futura tibi mecum, (Dominus ait) eſt concertatio. Deformitatem tuam, & ignominiam artificioſè celabas, eaque ratione honeſta ac pulchra videbaris. Nunc efficiam, vt & tu teipſa, quæ tibi futura ſunt pudori, antè oculos habeas: & gentes aliæ, ac Regna quæ fallaci pulchritudinis fuco decepiſti, ignominiam tuas ac ſordes agnoſcant. * Non te fœminarum decipiat ſpecies, tolle fucum, ornatum abſtrahe: quid non vile, ac ſordidum apparebit? O quam fallax illa *grata* hominibus pulchritudo!]

In impudicæ fœminæ ſpeciæ nũquam non abſconditur vendẽdi amatores machinatio.

Falſa fœminarũ pulchritudo apparet, ſi fucos, & ornatum tollas.

Verſ. 6. 7. Et proyciam ſuper te abominationes, &c. Faciam, vt quæ tibi futura ſunt pudori, aliis autem abominationi, quaſi tuarum ſordium, ac ſcelerum documenta, manifeſtè circumferas. Efficiam demùm vt in tuo capite ediſcant alij, quo ſint ſupplicio digna, qua acerbitate plectenda peccata, quæ in te tam ſeuere vindicari vident: vt hoc exemplo eiuſdem generis horreant errata. * Quotidiè oculis tuis huiuſmodi obiiciuntur exempla, tot pulchris fœminis libidinis contagio putreſcentibus, tot viris Venerea affectus corruptione: nec tamen te omninò à ſectanda libidine auocant: vnde te hebetem ac ſtultum agnouerim.] *Et erit omnis, qui viderit te, &c.* Qui te tam graui ruina collapſam aſpexerint, ne ex vicino malo, aliquid incommodi contrahant, à te longè recedent, profantes: O Niniue, quis erit, qui moto miſerationis affectu capite, tuam ſoletur ægritudinem? Vndenam gentium conſolatorem aduocabo, cum nulla ſit regio, quam aut dolo, aut bello non offenderis? * Qui in ægritudine vult ſolatores habere, eos in valetudine officiis ſibi affectos aſciſcat.]

Stultus eſt, qui videns Venereæ voluptatis ægritudines, eis implicari nõ fugit.

Qui vult in ægritudine ſolatores habere, illos in valetudine officiis ſibi conciliare curet.

Verſ. 8. 9. 10. Numquid melior es Alexandria populorum, &c. Iam nota eſt tibi Alexandria Vrbs potentiſſima Ægypti, quam vndique flumina, ac paludes circumdant: ad quam per mare tanquàm ad commune totius orbis emporium omnium diuitiarum genus influit: quam marinæ, flouiales, ac paluſtres aquæ pro murorum ſunt munimento. Hæc ſuperba Ciuitas periit: & te ab eiuſmodi caſu futuram eſſe liberam ſtulta præſumes? *Æthyopia fortitudo eius, &c.* Accedebat ad Alexandriæ naturale munimentum aliarum nationum non vulgare ſubſidium. Adfuit Æthyopia, tota ad filiam defendendam mater adfuit Ægyptus. Quid in commemorandis auxiliaribus copiis moror? Si ſingula perſequar, nullum eſt habitura finem narratio. Vt autem ſummatim omnia complectar, ſubſidio tibi fuere ô Alexandria, Aphrica, & Lybies, in quibus prouinciæ plurimæ continentur, *Sed & ipſa in tranſmigrationem ducta eſt in captiuitatem, &c.* Nihilominus ipſa in alienum ſolum extorris traducta eſt, neque ab infantium cæde abſtinuit hoſtis. Illorum enim corpora alliſa ſaxis Ciuitatis compita conſtrauere. Viri inter Alexandrinos primates variis ſortitò dominis ſunt addicti: & qui in poteſtate vixerant, alligati compedibus aliorum placito ſeruiere. Alexandria itaque metropolis Ægypti Hebraicè dicta *Minno amon*, ſiue *No.* poſt terna ſæcula ab Alexandro vocata fuit Alexandria. Ab Oriente & Occidente Nilo, à Septentrione mari, à Meridie lacu Mareotico vallabatur; à Chaldæis denique expugnata periit.

Verſ. 11. 12. 13. Et tu ergo inebriaberis, &c. Similia tibi ô Niniue ab hoſte Chaldæo accident. Sic te aſſiduè coarctabunt incommoda, vt vilis ſis apud omnes, & quaſi felle, & abſynthio inebriata. Neque aderit tibi beneuolus aliquis, ad quem in illa miſera conditione aufugias: ſed eo te adigent infauſti ſucceſſus, vt cogaris ab hoſte miſericordiam implorare. *Omnes munitiones tuæ ſicut ficus, &c.* Munitiones cunctæ, quas contra hoſtium incurſus apparaſti, tam facile corruent ad hoſtilem appulſum, quam facilè groſſi, vbi maturuerunt, in terram leuiter concuſſa arbore, decidunt. Spolia verò ſic in Chaldæorum ſinus venient ſine vllo prædatorum labore, ſicut groſſi illi in os comedentis ſponte defluxerunt. *Ecce populus tuus mulieres in medio tui, &c.* Neque mirum ſic facilè pereas, cum omne Ciuitatis ſit futile, & inane præſidium. Nam ſi ad duces & milites propugnatores aſpiciam, ſiue in pugnando robur, ſiue in deliberando conſilium conſiderem, nihilo eos infirmo ac imprudenti fœminarum ſexu meliores inuenio. Quare ad primum Chaldæorum impetum Ciuitatis clauſtra pandentur, & ignis quæcumque poſſint eſſe impedimento, comburet. * *Mulieres* (ait) *in medio tui.* Duces enim ac milites, qui ſolo militaris nominis ambiunt honorem, lucraque expetunt, ſed belli ſatagunt pericula aufugere, *mulieres* meritò vocitabis.]

Imbelles Duces, ac milites mulieres à Domino vocitantur.

Verſ. 14. 15. Aquam propter obſidionem hauri tibi, &c. Quocirca adhiba ô Niniue, quidquid animo ſiue arte vales, vt mœnibus firmitas addatur, etſi quid apparet rimoſum, nouis obſtruatur operibus. Hauri aquam, ſubige lutum, lateres finge, & coque: etſi quid eſt ruinæ obnoxium accuratè confirma. *Ibi comedet te ignis: peribis gladio, &c.* Sed nihilominus promouebis nihil: quantumcumque enim moliaris, gladium, & incendium non auer-

ses,

tes. Chaldæi namque te abſument, quemadmodùm bruchus germina abrodit. Licet autem tantam euoces, aut mercede conducas militum multitudinem, vt bruchorum, aut locuſtarum ſuperent agmina: haud poterunt te ab excidio cælitus inferendo liberare. * Si aduerſo Numine decertas, nullæ copiæ, nulla potentia, ars nulla tibi proderit ad victoriam.]

Nulla potentia, nulla ars proficiet ad victoriã. Deo non propitio.

Verſ. 16. 17. Plures feciſti negotiationes tuas, &c. Negotiatoris ſedulo ſtudio tibi plures milites aduocaſti, quàm in cælis numerantur ſtellæ. Sed illi milites, quos nuper bruchis aſſimilaui, expanſi quidem ſunt, & diffuſi per plateas, ac mœnia Ciuitatis: cum tamen ingruit Chaldæorum exercitus, aliò atque aliò omnes fuere dilapſi. *Cuſtodes tui quaſi locuſtæ, &c.* Illi auxiliares duces à te aduocati, quos locuſtis aſſimilati affirmo: & milites, quos locuſtarum filiis comparo: diù ſeſe in Vrbe, cum pacata eſſent tempora, continuere: vbi autem tubarum, ac armorum clamor increpuit, quam primum à datis ſibi ſtationibus auolarunt. Quemadmodum locuſtæ, quæ in arbuſtis ac ſepibus nocturno tempore conſederunt, cum primum Sol exoritur, aliò ſe ſtatim volando corripiunt, neque in loco, vbi prius conſtiterant, amplius inueniuntur. * Corripio hinc duces, ac milites, qui auaritiam mercedis diligunt tempus belli produci, & à conflictu abſtracti ſolo militum nomine, re minimè, victitare.]

Taxãtur milites, qui procurant belli tempus produci, vt ſine cõflictus periculo militari mercede victitent.

Verſ. 18. 19. Dormitauerunt paſtores tui, Rex Aſſur, &c. Quos tu ô Aſſyriorum Rex quaſi paſtores gregi præpoſuiſti: cum excubare maximè debuiſſent, inerti ſe otio, ac ſomno tradidere. Ideò ceciderunt, ac tumulo addicti ſunt Principes: & qui ſe à diro abduxere periculo, in montium latuere cauernis: neque vllus fuit, qui pallantes reuocaret ad Vrbem, & ad nauandam ei militarem operam accenderet. *Non eſt obſcura contritio tua: peſſima eſt plaga tua, &c.* Hæc plaga, quæ te ô Niniue penitus conteret, ſic manifeſta erit, vt neminem lateat: ſic grauis, vt neque vllam medicinam admittat: neque vllo valeat modo leuari. Omnes illi, quorum aures de tua inſperata ruina rumor afflauerit, ſui animi lætitiam feſtiuo manuum plauſu ſignificabunt. Neque id mirum, cuiquam videri debet, cum nulla gens fuerit, quæ abs te aliquid ignominioſum, aut durum non ſuſtinuerit. * Qui vult in ruina ſolatores habere, ſtans curet ſe beneficum cunctis oſtendere.]

Si cadens vis habere ſolatores, ſtans cura te beneficam cũctis exhibere.

H A B A C V C.

C A P V T P R I M V M.

Propheta ob delicta Iudæorum ſaucio Deus aſſerit, per Chaldæos eſſe Iudæam excidio afficiendam, Quem Propheta precatur, vt quaſi filiam eam virga corripiat, non veluti inimicam ferro vulneret, & comminuat.

1. ONvs, quod vidit. Habacuc propheta. 2. Vſquequò Do-
mine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim pa-
tiens, & non ſaluabis? 3. Quare oſtendiſti mihi iniquitatem
& laborem, videre prædam & iniuſtitiam contra me? & fa-
ctum eſt iudicium, & contradictio potentior. 4. Propter
hoc lacerata eſt lex, & non peruenit vſque ad finem iu-
dicium: quia impius præualet aduerſus iuſtum, propterea
egreditur iudicium peruerſum. 5. Aſpicite in gentibus, & videte: admiramini,
& obſtupeſcite: quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet cùm
narrabitur. 6. Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos: gentem amaram & velocem,
ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua. 7. Horri-
bilis, & terribilis eſt: ex ſemetipſa iudicium, & onus eius egredietur. 8. Leuio-
res pardis equi eius, & velociores lupis veſpertinis; & diffundentur equites eius:
equites namque eius de longè venient, volabunt quaſi aquila feſtinans ad come-
dendum. 9. Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus vrens; & congre-
gabit quaſi arenam, captiuitatem. 10. Et ipſe de regibus triumphabit, & tyranni
ridiculi eius erunt: ipſe ſuper omnem munitionem ridebit, & comportabit agge-
rem, & capiet eam. 11. Tunc mutabitur ſpiritus: & pertranſibit, & corruet: hæc
eſt fortitudo eius dei ſui. 12. Numquid non tu à principio Domine Deus meus,
ſancte meus, & non moriemur? Domine in iudicium poſuiſti eum: & fortem, vt
corriperes, fundaſti eum. 13. Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum: & reſpi-
cere ad iniquitatem non poteris. quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces de-
uorante impio iuſtiorem ſe? 14. Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi rep-

tile non habens principem. 15. Totum in hamo ſubleuabit, traxit illud in ſagena ſua, & congregauit in rete ſuum. Super hoc lætabitur & exultabit. 16. propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo: quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus. 17. Propter hoc ergo expandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere Gentes non parcet.

COMMENTARII.

1.

Minatur De⁹ Iudæam per Chaldæos exſcindendam.

VERS. 1. 2. 3. *Onus, quod vidit Habacuc Propheta.* Durum vaticinium, quod Habacuc Propheta à Domino accepit. *Vſquequo Domine, clamabo, &c.* Quandiu ô Domine, clamabo ad te, & aures ad meum clamorem non applicabis, ſed ab eo potius auertes? Quandiù oppreſſus ab iniqua Iudicum vi patronum te aduocabo, neque tamen me à calumnia, & fraude potentiorum eripies? *Quare oſtendiſti mihi iniquitatem, &c.* Quare ô Domine, eò me deduxiſti, vt quotidie iſta oculis obiiciantur, quæ præcordia grauiſſimo dolore afficiunt? Prædam dico, corrupta iudicia, venale forum, in quo iuſtitia potentiorum calumniæ ſuccumbit. * Actum eſt de Republica cum cauſa potentioris cum infirmiore ad tribunal deducitur, & potentioris ratio præualet ſemper, non quia melior ſit, ſed quod à potentiori in inferioris iniuriam adducitur.]

Actum eſt de Republica cũ in iudicio pluris æſtimatur ratio diuitis, eo quod diues ſit.

Verſ. 4. 5. Propter hoc lacerata eſt lex, &c. Propter hoc lex omnis tam diuina, quam humana iacet diſſipata, & iudicium non peruenit ad *finem ſuum*, ſeu non aſſequitur, quod intendit, nempè vt cuique ius ſuum tribuatur: vnde nunquam pauperi victoria cedit. Et cum ab impiis opprimatur iuſtus, prodit tandem iudicium à lege, rectaque ratione diſtortum. *Aſpicite in Gentibus, & videte, &c.* Dominus ait: O vos, qui querimini, me humanarum rerum curam abieciſſe, deſinite putare, caſu omnia fieri, & Deum ſcelerata hominum conſilia non curare, neque de illorum cogitare ſupplicio. Aſpicite iam quas gentes aduocem, per quas ab illis, quos liberos à metu exiſtimatis, diras exigam plagas. Neque minor vos ſtupor, & admiratio capiet, cum afflictam illorum fortunam ſpectare dabitur, quam cum illos exultantes, & veſtris ſpoliis onuſtos, me aſpectante, & Iudice, vidiſtis. Talia enim in illorum capita apparebunt pœnarum exempla, vt nemo cum audierit, fieri id humanis potuiſſe, ſibi perſuadeat.

Verſ. 6. 7. Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos, &c. Haud diu hoc differetur ſupplicium. Ego enim mox è Chaldæa gentem adducam adeò ferino ingenio, vt nullo ætatis, aut conditionis reſpectu, nullis precibus, vel lacrymis inflectatur ad pietatem: quæ vt velox eſt ad curſum, ſic etiam feſtinato aget ſtragem: quæ adeò ditionis propagandæ auida eſt, & ad pericula aggredienda intrepida, vt latè peragret terras vt aliena Imperia ſuo dominatui ſubiiciat. *Horribilis, & terribilis eſt, &c.* Accedit ad hæc ſpecies quædam eius vultui inhærens horribilis, quæ ferinum aliquid præ ſe fert. Ex hac gente exibit illud onus ſeu ſupplicium ô Ieroſolyma, quod tibi denuncio, & illud iudicium, quod Dominus tuis ſceleribus conſentaneum apparat. * Vt peccator ediſcat, Deum ſomno non corripi, dum ipſe delinquit. Vigil namque ſcelera ponderat, vt pro meritis ſubito inferat ſupplicia.]

Dum peccator delinquit, Deus ponderat crimina, & præparat ſupplicium.

Verſ. 8. 9. Leuiores pardis equi eius, &c. Chaldæorum equi pardorum curſum celeritate ſuperant, nec cedent lupis, dum diurnam famem nocturna præda exſaturare geſtiunt. Equites autem, quos magno vndecumque numero Chaldæus coget, e longinquo ea celeritate ad direptionem Iudææ aduolabunt, qua eſuriens aquila ſibi, pulliſque ſuis aduolat ad prædandum. *Omnes ad prædam venient, &c.* Quorum ingreſſus ſic erit truculentus, vt ad prædam captandam veniſſe, non ad bellum gerendum videantur. Vndè facies eorum Iudæis erit noxius quaſi graminibus ventus exurens. Et ex Iudæa tantam captiuorum abducent multitudinem, vt eum pelagi arena conferri valeat. Chaldæus ſic: *Quidquid facíebus eorum obycitur, flaccidum fit, ac ſi vredo illud exuſſiſſet. Et ſicut turbine congregantur arena, ita Chaldæi colligent innumeros captiuos.*

Verſ. 10. 11. Et ipſe de Regibus triumphabit, &c. Porrò Nabuchodonoſor ſic erit ſuperbus & potens, vt Reges ſubiugatos ducat in triumphos, & omnium tyrannorum potentiam ſuperbè deſpiciat, habeatque ludibrio, faciens eos ſcabella pedum. Vti Sapor poſtea fecit Cæſarem Valerianum, & Tamberlanes Baiazetum Turcarum Imperatorem. * Illud preme: *Et tyranni,* (id eſt, *Reges*) *ridiculi eius erunt.* Cur Reges tyranni quaſi proprio vocabulo appellantur? Crediderim, quia tam agnata ſolet eſſe pluribus Regibus nimia tributorum exactio, quæ tyrannidem olet, vt idem ſit aliquem compellari Regem, ac vocari tyrannum: licet piis Regibus nominis huius ſignificatio minimè conueniat.] *Tunc mutabitur ſpiritus, &c.* Poſtquam verò Nabuchodonoſor omnia ſibi ſubiecta dignouerit, mutabit *ſpiritum* humanũ, & ſibi fatua cogitatione diuinum attribuet. Tunc verò finietur eatenus formidata maieſtas, & omninò concidet. Illa namque fortuna, quæ illi diuinos arrogauit ſpiritus, in ſtatum longè infrà humanum, imò belluino proximum euaſit. * Superbia enim aſcendendo deiicitur.] Volet vtique Nabuchodonoſor in aurea ſtatua ſua adorari vt Deus: ideo in ferinum ſpiritum fuit mutatus ita vt bos ſibi eſſe videretur: vnde ex hominum cœtu ad conuictum belluinum pertranſibit. Hæc eſt diuina fortitudo eius, ac *Dei ſui.* Eſt ironica irriſio. Ac ſi diceret: Glorietur nunc de ſua, & Beli ſui fortitudine, qua adeò inſoleſcebat.

Regis ac tyranni vocabulum idem ſonat, quia pluribus Regibus velut agnata eſt nimia tributorum exactio, quæ tyrannidem olet.

Superbia aſcẽdẽdo deiicitur.

Verſ. 12. 13. Numquid non tu à principio Domine, &c. Profectò minis hiſce irati Dei in Iudæos territus Habacuc, totius nomine populi Deum precatur, ſtragem tantam vt auertat. Bene, inquit, Domine, nobiſcum actum eſt, quod à principio electi, & conſtituti populi tu nobis es Deus. Quare te bonorum omnium auctorem, & malorum depulſorem habemus.

2.

Precatur Habacuc Deum, vt tãtã à populo ſuo ſtragem auertat.

bemus. Te ſolum, contempta omnium deorum fallaci turba, Deum ſanctum, & religioſo cultu dignum agnoſcimus. Hoc animos noſtros ſpe certa confirmat, & vitæ nobis verè vitalis promittit vſuram. Si enim hactenus corripuiſti nos, & afflixiſti, feciſti vt pater, qui de filij ſalute ſollicitus eſt: aut vt Iudex, qui iudicio ſuo id meditatur, & agit, vt errantem corrigat. Ideò ſpiritus dediſti bellaces Chaldæorum Regi, vt auderet: & robur, vt poſſet cogitata perficere. Neque enim quicquam poſſet niſi te fauente, quem in illam curam quaſi Iudææ flagellum apparaſti. *Mundi ſunt oculi tui &c.* Mens, & affectus tui, ô Domine, mundiſſimi, & iuſtiſſimi ſunt adeò vt non poſſis æquis oculis aſpectare, ſeu approbare iniquitatem, aut illi fauere. Quare igitur nunc reſpicis ſuper Chaldæos tam multa iniqua gerentes, & permittis, vt ipſi tuum populum deuorent? Eſto enim ſumus peccatores, tamen Chaldæis idololatris & tyrannis ſumus minus iniuſti?

Verſ. 14. 15. Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens Principem. Quare populum tuum ſic deſeruiſſe videris, vt neque Principem habeat, qui eum regat: neque patronum, ad quem in afflicta fortuna confugiat: ſed ſimilis obiicitur æquo reis piſcibus, quorum nullus eſt Dominus, quos piſcator exagitat, & in ſagenam, & rete, nullo obſtante, recludit? *Totum in hamo ſubleuauit, &c.* Vt totum Nabuchodonoſor Iudæorum Regnum ciuibus exhauriat, omne bellicum inſtrumentum admouebit, vt piſcator admouere aſſolet piſcatorium, nempe hamum, rete, ſagenam. Tantum vero aberit, vt regium animum de aliena calamitate tangat dolor, vt potius exultet, & de felici ſagenæ ſuæ iactu glorietur. * Peccatoris enim perditiſſimi eſt, de patrato ſcelere gloriari, ex quo deberet affici confuſione.] Perditiſſimi peccatoris eſt, de patrato ſcelere gloriari.

Verſ. 16. 17. Propterea immolabit ſagenæ ſuæ, &c. Propterea quod Chaldæus Rex tanta piſcatur felicitate, ſacrificia litabit reti, ac ſagenæ vti Deo tanti emolumenti auctori. Ac ſi diceret, Arti ſuæ militari, & ſuis ſuorumque viribus, & non tibi ô Deus ſuos triumphos adſcribet, vt Mezentius apud Virgilium lib. 10. Æneid.

Dextra mihi Deus, & telum, quod miſſile libro.

Et tam impio, tam blaſphemo fauebis? Patieriſque, vt his ſuis retibus pergat in dies incraſſare magis ſuam imperialem ſortem, & menſas ſuas ſelectis ex toto orbe dapibus inſtruere? *Propter hoc ergò expandit ſagenam ſuam, &c.* Ideircò quia hoc piſcationis genus quæſtuoſum eſſe vidit, nunquam ab expandendo reti manus, ſeu à gentium cæde gladium continebit. * Certè à crimine illo, ex quo quæſtus acquiritur, difficile homines ſeparantur. Difficilè homo ſeparatur à crimine, ex quo quæſtus acquiritur.
Hinc furis, vſurarij, ac meretricis non facilis ad meliora reductio.]

CAPVT II.

Queritur Propheta, indignum eſſe Deo, quod tam multa Chaldæis concedat. Deus reſpondet, illicò perditurum illos, poſtquam illorum gladio Iudæos, aliáſque gentes flagellauerit. Vndè carmen lugubre Abacuc Nabuchodonoſori occinit.

1. SVPER cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper mu-
nitionem: & contemplabor, vt videam quid dicatur mihi, &
quid reſpondeam ad arguentem me. 2. Et reſpondit mihi
Dominus, & dixit: Scribe viſum, & explana eum ſuper ta-
bulas, vt percurrat qui legerit eum. 3. Quia adhuc viſus
procul, & apparebit in finem, & non mentietur. ſi moram
fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tarda-
bit. 4 Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo: iuſtus au-
tem in fide ſua viuet. 5. Et quomodo vinum potantem decipit: ſic erit vir ſuper-
bus, & non decorabitur: qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam: & ipſe quaſi
mors, & non adimpletur: & congregabit ad ſe omnes gentes, & coacernabit ad ſe
omnes populos: 6. Numquid non omnes iſti ſuper eum parabolam ſument, &
loquelam ænigmatum eius: & dicetur: Væ ei, qui multiplicat non ſua? vſquequò
& aggrauat contra ſe denſum lutum? 7. Numquid non repentè conſurgent qui
mordeant te: & ſuſcitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis? 8. Quia tu
ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter
ſanguinem hominis, & iniquitatem terræ ciuitatis, & omnium habitantium in ea.
9. Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, &
liberari ſe putat de manu mali. 10. Cogitaſti confuſionem domui ſuæ, conei-
diſti populos multos, & peccauit anima tua. 11. Quia lapis de pariete clama-

bit : & lignom, quod inter iunćturas ædificiotum eſt, teſpondebit. 12. Væ qui
ædificat ciuitatem io ſanguinibus, & ptæparat vrbem in iniquitate. 13. Num-
quid non hæc ſuot à Domioo exercituum ? Laborabunt enim populi in mulco igne,
& gentes in vacuum, & deficient. 14. Quia replebitur terra, vt cogooſcant glo-
riam Domini, quaſi aquæ operientes mare. 15. Væ qui potom dat amico ſuo mit-
tens fel ſuum, & inebrians vt aſpiciat nuditatem eius. 16. Repletus es ignominia
pro gloria : bibe tu quoque, & conſopire : circumdabit te calix dexteræ Domini, &
vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam. 17. Quia loiquitas Libani operiet te,
& vaſtitas animalium detertebit eos de ſanguinibus homioum, & iniquitate ter-
ræ, & ciuitatis, & omoium habitantium in ea. 18. Quid prodeſt ſculptile, quia
ſculpſit illud fictor ſuus, conflatile, & Imaginem falſam ? quia ſperauit in figmen-
to fictor eius, vt faceret ſimulachra mota. 19. Væ qui dicit ligno : Expergiſ-
cere; Surge, lapidi tacenti : numquid ipſe docere poterit? Ecce iſte coopertus eſt au-
to & argenro : & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius. 20. Dominus autem in
templo ſancto ſuo: ſileat à facie eius omnis terra.

COMMENTARII.

1. *Querulo Propheta quod Deus Chaldæorum ſcelerantũ impias, reſpiderur ei, illos eſſe excindendos.*

VERS. 1. *Super cuſtodiam meam ſtabo, &c.* Etſi tot tentationum ictibus ſim agitatus, firma tamen mente conſiſtam in ea ſtatiooe, ac ſpelunca, quam à me Deus ſeruari, ac teneri diſpoſuit. Atque inibi intento ad diuinam illuſtrationem animo expectabo, quid Deus per me dictum, ac factum velit : quidue de me, ac populo meo conſtituat : ac tandem quid querulo, & oblatranti populo poſſim reſpondere. Ac ſi diceret: Noo capio, qua ratione velit Deus populum ſuum tàm ſceleſto tyranno excidendum addicere : nolo tamen ideò vel tantillum muneri mihi commiſſo deeſſe. Interim ſumma attentione ediſcere a Deo curabo, quartam arguenti populo, & plura huiuſmodi prouidentiæ obiicienti ſolutionem adiiciam. * Illa pende : *ſuper cuſtodiam meam ſtabo* Fidelis enim miniſtri eſt, nulli labori, nullæ ſubditorum oblatrationi cedere, vt ab iniuncto à Domino munere vel tantillum abſcedat.]

Prælatus nullo labori, nullæ ſubditorũ oblatrationi ædat, vel tãtillum ab iniuncto munere recedat.

Verſ. 2. 3. Et reſpondit mihi Dominus, &c. Deus autem non diù expectationem meam moratus, reſpondit : Quodcumque videris, aut audieris, in tabulis ſcribe ita diſtinctè, & clarè, vt à prætereonte, ac feſtinante viatore legi commodè valeat, & iotelligi. * Subtaxat ſcriptores, & Concionatores, qui tam obſcuris phraſibus ſacra dogmata obnubilant, vt vix à ſapientibus poſt crebram verborum euolutionem intelligi valeant.] *Quia adhuc viſus, procul, & apparebit in finem, &c.* Cur autem hæc ſcribi, & in tabulis aſſeruari iobeam, ea eſt cauſa : quia quæ nunc tibi aſpicienda propono, ſucceſſum habebunt. Quare etiamſi lentior videatur eſſe mora, euentum expecta, quia procul dubio veniet, neque diu erit ſuſpenſa expectatio. * Si poſt longa tempora ſucceſſus aduenturus aſſeritur, quomodò congruit verbum illud, *Veniens veniet, & non tardabit?* Quia omne tempus quantumcumque diuturnum, breue quidem, imò momentaneum eſt, ſi cum æternitate componatur. Vndè nec labore frangaris, nec felicitate ſuperbias.]

Scriptores, & Concionatores difficilibus verbis vtentes taxantur.

Quãtũcumque longum ſit tempus, breuiſſimum procul dubio eſt.

Verſ. 4. 5. Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo : iuſtus autem in fide ſua viuet. Qui huic ſermoni in tabulis exarando fidem habuerit, eique ſe obſeqoentem adiecerit, vita ſecura potietur. Qui contra geſſerit aut dutam, ignobilemque mortem ſubibit, aut vitam aget nullo modo vitalem. * Moleſtior quidem eſt, & durior impiorum libertas, quam iuſtorum ſtrictio.] *Et quemodò vinum potantem decipit, &c.* Quemadmodùm qui vino immoderatè indulſit, eum ignominia à mente aſſolet deturbari : ſic vir potens, & ſuperbus ab ſtatu ignominiosè excidet. Qui non magis expletur bonoribus, atque opibus, quàm infernus, ſeu mors, quæ eum à mundi initio vorarit, voretque quotidiè infinitam hominum multitudinem, baud tamen eſt illius fames extincta. Sic ergo Nabuchodonoſor omnes gentes poteſtati ſuæ deberi ſibi perſuadebit : ideoque ad eorum direptionem anhelabit.

2. *Nabuchodonoſori carmen lugubre occinit.*

Verſ. 6. 7. Numquid non omnes iſti ſuper eum parabolam ſument, &c. Omnes iſti, qui per Nabuchodonoſorem tyrannicè affligentur, poſtmodum ludent prouerbiali carmine in eum & ſubſannabunt illum dicentes : Væ illi, qui alienas opes ſuam duxit eſſe prædam : qui cum diuitias, quæ nihilo meliores ſunt, quam lutum coactum, & denſum, vndecumque congeſſerit : non tamen latos animi ſinus, & immenſam auiditatem potuit explere. * *Aggrauat* inquit *contra ſe denſum lutum.* Vt ridiculi tibi (ſi ſapis) ſint, qui vt lutum acquirant, tot ſubeunt labores, tot ſceleribus implicantur.] * LXX. pro *denſum lutum*, poſuére *torquem ſuam.* Sed torques hæc erit diuiti laqueus, & catena, quibus ille, & omnis familia eius illaqueatur, & ſtrangulabitur : quia diuitias furto acquiſitas nec ipſi, nec hæredes reſtituunt, & ideò miſerè depereunt.] *Numquid non repentè conſurgent, &c.* Surgent ô Chaldæi omnium gentium prædatores, qui paria vobis incommoda referant. Vt enim vos luporum more alios mordebatis, & ex illis vobis catuliſque veſtris quærebatis cibum : ſic accurrent alij, qoi vicem rependant, neque minus lacerent dirè, & auidè præda, quam congeſſiſtis, ſaginentur. * Vltor enim Deus efficit vt quæ qnis furto congerit, aliorum furto dilabantur.]

Diuitiæ nihilo meliores ſunt quã denſum lutum.

Diuitiæ malè partæ raptori. & hæredibus ſunt in laqueum quo ſtrangulantur.

Quæ furto quis cõgerit, aliorum furto dilabũtur.

Verſ. 8. 9. 10. Quia tu ſpoliaſti gentes multas, &c. Quia tu ô Nabuchodonoſor, & vitæ ſubſidiis, & pacis ornamento nudaſti : qui reliqui à communi cæde fuerint, à te exigent pœnas cruoris effuſi,

effuſi,& Vrbis Solymitanæ ſubuerſæ,quæ terræ promiſſæ eſt facile Princeps. Et incolarum eius ſeueri Iudices, omni te præſidio, ac ornamento denudabant. *Væ qui congregant auaritiam malam domui ſuæ, &c.* Væ illi, qui ſtulto conſilio diuitias ſibi congerere expetit iniuſtè. Neque enim aliud ſibi moliri videtur, quàm vt domum ſuam exitium afferat ad extremum. Dum habitationem ſuam in alto conſtruit,(ſicut in præruptis rupibus aquila, nidum) potans ſuprà omne incommodum, & fortunæ aleam eſſe erectam; Sed planè decipitur. *Cogitaſti confuſionem domui tuæ,&c.* Cum enim prædam meditabaris, & cædem, in domum tuam grauem pernitiem es meditatus, quia inde ei extrema pernicies adhæſit. Vndè non tam in alienum,quam in tuum caput,& fortunas peccaſſe videbaris. * Ne cadat ſine pondere illa particula: *Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ.* Auaritia mala vocatur non illa quæ auarus ex propriis bonis illiberalis retinet: ſed quæ aliena bona furari, aut retinere ſtudet. Hæc quidem non ſolùm mala eſt auaro,ſed & ipſius domui; bona enim iniuſtè acquiſita non ſolùm euaneſcunt, ſed & faciunt bona iuſtè poſſeſſa omninò diſperdi.]

Bona iniquè acquiſita faciunt bona poſſeſſa iuſtè omnino diſperdi.

*Verſ.*11.12. *Quia lapis de pariete clamabit, &c.* Lapides enim, quos ex dirutis aliorum ædibus ad domum tuam ædificandam tranſtuliſti,tuam tyranicam auaritiam,& rapinam accuſabunt: & ligna,quæ parietes ſuſtentant, & alligant,cum lapidum clamoribus ſuas quoque querelas coniungent. *Væ qui ædificat Ciuitatem in ſanguinibus,&c.* Væ illi, qui alieno ſumptu,atque alimento,quæ hominibus inſtar ſanguinis ſunt, ſuam ædificat Ciuitatem,illamque pecuniis inique extortis exornat.

Verſ. 13.14. *Numquid non hæc ſunt à Domino exercituum, &c.* Hæc ô Rex Chaldæorum, à Deo definita ſunt. Laborauerunt multi populi,vt Vrbem tibi conſtruant,& amplificent: ſed ſuperbæ illæ moles conflagrabunt incendio,in nihilumque properabunt. *Quia replebitur terra,&c.* Tunc vaſtata prius Iudæorum regio exulibus à Babylone redeuntibus implebitur. Ex illa autem rerum immutatione omnes regiones Dei gloriam agnoſcent: quæ adeò erit illuſtris & copioſa, vt ſicut aquis operitur maris alueus ſic tota terra conſcia ſucceſſus fama potentiæ Domini opplebitur.

Verſ. 15.16. *Væ qui potum dat amico ſuo mittens fel ſuum, &c.* Væ Nabuchodonoſori tyranno Regi, qui amico ſuo pro ſuaui nectare bilem, amaritudinemque furoris ſui propinauit, vt inebriato, ac turpiter denudato irridens illuderet. Porrò crudelis ac barbarus ille etiam amicos Reges tandiu armis diuexauit iniqui, donec opibus, regiiſque inſignibus, ac libertate eos denudaſſet. *Repletus es ignominia pro gloria, &c.* Tu quoque Nabuchodonoſor, gloriam cum ignominia commutabis. Tibi enim diuina manus circumductum poculum porriget, quale nationibus aliis propinauit, quod te turpiter inebriet, atque conſopiat. Tunc euomes, quod immoderate hauſiſti: & turpis ille vomitus, qui nunquàm ſine nauſea contingit, ſplendorem tuum ignominioſè fœdabit. * Qui fel aliis propinat, intelligat ſibi ab aliis fellis poculum eſſe propinandum.]

Si quis fel propinat proximo, ab alio ei fel propinabitur.

*Verſ.*17.18. *Quia iniquitas libani operiet te, &c.* Iniquitas à te commiſſa in Libano, & circa Libanum,id eſt, in Iudæa obruet, ac perdet te ſicut enim Ieroſolymam exeidiſti,Templum Dei exuſſiſti tot alias nobiles euertiſti Vrbes: ita pari modo tua Babylon, tua Chaldæa à à Perſis & Medis euertetur, & exuretur. Et vaſtitas *animalium.* id eſt, vaſtatio inferenda per Medos & Perſas,qui quaſi pardi,vrſus,leones, ac ſimiles feræ Chaldæam irrumpet,deterrebit, conſternabit Chaldæos, nè contrà latrare, vel mutire audeant. *Quid prodeſt ſculptile, &c.* Experimento diſcent tunc Babylonij, quam fuerint futiles illi dij,quos ſuis ſibi manibus conflauére: & quam errauerint, qui ab inanimatis manuum ſuarum figmentis vitam, & libertatem ſperarunt.

*Verſ.*19.20. *Væ qui dicit ligno,&c.* Væ illis, qui à ſaxo, & ligno in dubiis rebus conſilium, in anguſtis auxilium implorant. Quibus (arbitrantibus quidem deos ſuos iacentes ac ſoporatos eſſe) familiare eſt, dicere: Expergiſcere, ſurge conſiliarius, aut protector. An à ſaxo, aut ligno poteſt conſilium aut auxilium ſperari, quod neque linguam, neque ſpiritum habet? Intecta quidem eſt vilis illa materia auro, & argento: at in viſceribus ſpiritus, aut ſenſus non adeſt. * Idololatris haud diſſimiles hiſce ſunt, qui Dei immemores, & ab eo per crimina abſtracti, exiſtimant, in auro, & argento omnimodam habere protectionem ad quæque pericula.] *Dominus autem in templo sancto ſuo, &c.* At Dominus noſter in cælo eſt, & in Templo ſacerrimo ſuo, vnde ſupplicantium vota poteſt audire, & optata concedere. Quare ſileat, ac timeat ante eius conſpectum mortalis omnis, & humana caro: à quo vt ſperare omnia, ſic etiam omnia poteſt formidare.

Idololatris ſimiles ſunt, qui à Deo per ſcelera abſtracti à diuitiis putãt omnem habere protectionem.

CAPVT

CAPVT III.

Recreatus Propheta diuino reſponſo de Babylonis excidio, & Iudæorum liberatione, Deo læto carmine gratias agit.

1. DOMINE audiui auditionem tuam, & timui. Domine opus
tuum, in medio annorum viuifica illud. In medio annorum
notum facies: cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis:
3. Deus ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan.
Operuit cælos gloria eius: & laudis eius plena eſt terra.
4. Splendor eius vt lux erit: cornua in manibus eius: Ibi
abſcondita eſt fortitudo eius: 5. ante faciem eius ibit mors.
Et egredietur diabolus ante pedes eius. 6. Stetit, & menſus eſt terram. Aſpexit,
& diſſoluit Gentes: & contriti ſunt montes ſæculi. Incuruati ſunt colles mundi, ab
itineribus æternitatis eius. 7. Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabun-
tur pelles terræ Madian. 8. Numquid in fluminibus iratus es Domine? aut in flu-
minibus furor tuus? vel in mari indignatio tua? Qui aſcendes ſuper equos tuos: &
quadrigæ tuæ ſaluatio. 9. Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, iuramenta Tribubus
quæ locutus es. Fluuios ſcindes terræ: 10. viderunt te, & doluerunt montes:
gurges aquarum tranſiit. Dedit abyſſus vocem ſuam: altitudo manus ſuas leuauit.
11. Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum, ibunt in
ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ. 12. In fremitu conculcabis terram: in furore
obſtupefacies Gentes. 13. Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chri-
ſto tuo. Percuſſiſti caput de domo impij: denudaſti fundamentum eius vſque ad
collum. 14. Maledixiſti ſceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo
ad diſpergendum me. Exultatio eorum, ſicut eius qui deuorat pauperem in abſcon-
dito. 15. Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. 16. Au-
diui, & conturbatus eſt venter meus: à voce contremuerunt labia mea. Ingredia-
tur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat. Vt requieſcam in die tribulatio-
nis: vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum. 17. Ficus enim non florebit: &
non erit germen in vineis. Mentietur opus oliuæ: & arua non afferent cibum.
Abſcindetur de ouili pecus: & non erit armentum in præſepibus. 18. Ego autem
in Domino gaudebo: & exultabo in Deo Ieſu meo. 19. Deus Dominus fortitudo
mea: & ponet pedes meos quaſi ceruorum. Et ſuper excelſa mea deducet me vi-
ctor in pſalmis canentem.

COMMENTARII.

1\. *Deo Prophetæ læto carmine gratias agit ob Babyloniorum excidium.*

VERS. 1. *Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorantiis.* Oratio Habacuc numeroſe compoſita, in qua ſuam ignorantiam fatetur: & quæ prius liberius dixiſſe videbatur, retractat, & emendat. Scio, ex aliorum ſententia, Prophetam pro ignorantiis, ſeu peccatis populi exorare. Quæ quidem aptè ignorantiæ culpabiles, ſeu affectatæ vocantur, quia omni peccato quantumcumque voluntario ſemper coniuncta eſt aliqua ignorantia, & error, nempè inconſideratio. * Si enim peccator, vt par eſt æſtimaret malitiam, turpitudinem, & damna peccati, Deumque conſideraret vindicem, cuius in ſe prouocat iram, & æterna tormenta, vtique non delinqueret.]

Omnis peccans, ignorans.

Verſ. 2. Domine, audiui auditionem tuam, &c. Exiſtimabam ô Domine, te de Iudæorum iniuris vlciſcendis non curare, & ideò querelas citaui. Nunc verò cum audio, qualiter à Chaldæis Iudæi vexandi ſunt, & qualiter Chaldæi à Perſis, ac Medis ſunt excidendi: vehementer cohorrui. Quare obſecro, vt definito tempore opus verè tuum, qui miſericors es, cumulatè compleas: & populum tuum, qui ſepultus videri poteſt in exilio, oblata libertate, viuifices. Noui enim ingenium tuum, cui ita proprium eſt miſereri, vt in ſumma etiam indignatione miſericordię recordetis. * Vnde etiam in tartaro Dei miſeria fulgurat: citra condignum enim damnatorum ſcelera punit.]

Etiam in tartaro Deus ſuæ miſericordię recordatus.

Verſ. 3. Deus ab Auſtro veniet, &c. Deus, olim patribus noſtris ex Ægypto egredientibus Saluator aduenit à læta regione Auſtrali, nempè à monte Sinai, vbi lex diuina conceſſa: denique ex monte Pharan, vbi ſpiritus propheticus in ſeptuaginta illapſus eſt Iudices: Ita pari modo iam per Cyrum, & Da-

ſo iam per Cyrum, & Darium à Perſide, & Media, quæ Chaldæis ab Auſtro ſunt Hebræis idem Deus Saluator adueniet. Et poſtmodum homo factus ad nos aduentabit ex Auſtro, è Bethlehem ſcilicet, quæ ad Auſtrum eſt Ieroſolymæ: & ex Sione, vbi erecta Crux Chriſti, vbi noua lex promulgata, vbi Diſcipuli ſpiritu ſancto fuere repleti: Dei vero gloria tunc cunctis hominibus fulgurabit.

Verſ. 4. Splendor eius vt lux erit: cornua in manibus eius. Quemadmodum antè Deus Chananæos debellaturus horribilem ſe in ſcintillante nube præbuit: Sic eodem ſplendenti habitu debellaturus Iudæorum populum aduentabit: & manus armatas cornibus in eos exeret, manus, inquam, Chaldæorum, in quibus ſuam fortitudinem, ac potentiam abſcondet.

Verſ. 5. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius, &c. Sicut Deus olim antè populum ſuum crabrones præmiſit, mortem, & peſtem, diabolum denique, qui ad Chananitidem terram aditum aperiret: Sic etiam antè Chaldæorum faciem mors antecedet, mors præcedet: & diabolus, qui ad victoriam omnem expediat aditum, & impedimenta remoueat. * Scio, hæc Chriſto Domino à Doctoribus accommodari, qui brachia, velut bina cornua taurus victor extendens, mortem & diabolum repulit, fudit, fugauit, & quaſi ferales lictores ſuos in ſui populi hoſtes immiſit.]

Chriſtus Cruci affixus mortem, & diabolum in fugam, adiecit.

Verſ. 6. Stetit, & menſus eſt terram, &c. Stetit hoc modo victor mortis, & diaboli Deus, & per Ioſue, per Eſdram, per Chriſtum admenſus eſt populo ſuo terram olim promiſſam, cum prius ſolo qua toruo aſpectu diſſoluiſſet animos, ac manus aduerſariorum omnium, qui antea ac magnitudine ac firmitate quaſi montes æternum immobiles, & inacceſſi videbantur. Sed illos facili negotio expugnatos cedere loco Deus coëgit *itineribus æternitatis* ſuæ, id eſt, æternis, & perpetuis *deambulationibus.*) Hebraicè ſic.) * Deambulat namque ſemper Deus cum iuſtis, illos cuſtodiens, & pro illis decertans.]

Deus cum iuſtis deambulat ſemper cuſtos, & protector.

Verſ. 7. Pro iniquitate vidi tentoria Æthyopiæ, &c. Caſtra Æthyopum Orientalium, id eſt, Madianitarum (per hos intelligo etiam reliquos populi Dei hoſtes) ſub pellibus ſuis, & tentoriis expanſa, vidi prorſus turbati, & euerti ſub Moyſe, ſub Cyro, ſub Chriſto, idque pro iniquitate in populum Dei toties perpetrata.

Verſ. 8. Nunquid in fluminibus iratus es Domine, &c. Cum fluuium Iordanem, & Rubrum æquor aperires, nec fluuialibus aquis eras infenſus, nec in marinas inflamabaris. Sed eo ſpectabat illa, quæ videri poterat indignatio, vt populi tui libertati, ac incolumitati conſuleres. Cum hæc edebas mira tuæ fortitudinis documenta, id agebas, quod Imperator ſtrenuus, qui equos, ac quadrigas aſcendit, quo populum ſuæ fidei commiſſum ab omni periculo præſtet incolumem.

Verſ. 9. Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, &c. Age igitur Domine, & arcum intende, quem videris iam depoſuiſſe, contra tui populi, ac nominis inimicos: & excita iuramenta: quoniam fidem olim obligaſti de tuendo populo, cui huius terræ poſſeſſionem olim promiſiſti. *R. P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. to. VII. p. I.*

* Preme particulam, *Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, & iuramenta.* Arcus enim potentiæ vindicatiuæ Domini, & iuramentum quod olim fecerat de tuendo populo quaſi obdormire videbatur. Excitat igitur Propheta arcum, & iuramentum vt arcus ditior exurgat in hoſtes, & iuramentum diuinæ promiſſionis effectum inſtimulet. Hinc D. Ignatij prudentiam laudo, qui ſpiritus renouatione, quam bis in anno geri à Ieſuitis præſcripſit, quaſi ſpiritus *arcum* ſuſcitat fortaſſe languentem, & dormientem: ſuſcitat & *iuramentum*, ſeu tria vota religionis emiſſa ad perfectiorem eorum executionem.]

Renouatio ſpiritus bis in anno Ieſuitis præſcripta commendatur.

Verſ. 10. Fluuios ſcindes terræ, &c. Renoua ô Domine, prælapſorum temporum memoriam, & talia nunc populo tuo oſtende, qualia pro ſuis parentibus excitaſti miracula. Marinas olim, ac fluuiales vndas diuiſiſti. Complanati fuere montes; defluxere Iordanis inferiores aquæ ſuperioribus à ſuo curſu compreſſis, & ſaxeæ molis inſtar quaſi ſtabili fundamento firmatis. Tunc verò gurges diuiſus, & abyſſus exiccata, & aquarum immenſa profunditas tuam potentiam, modo quo poſſunt, vocum contentione, & manuum eleuatione commendant.

Verſ. 11. Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo, &c. Cæleſtibus prodigiis olim tuam in populum tuum munificentiam oſtentaſti. Feciſti enim vt victoria cederet Iſraëli multis nominibus illuſtris, nempè ſub Ioſue duce Sol & Luna curſum retardarunt, vt dies eſſet longe quam antea productior. Vt autem de cœlo tonante, ac fulgurante contra Siſaram, & ad mare Rubrum pugnatum olim fuit, & hoſtes aut interfecti, aut in fugam acti: Sic nunc hoſtes excuſſo de cælo fulmine, & exploſo tonitru, quæ tibi pro telis, ac ſagittis ſunt, aut conflagrabunt miſeri, aut imbelles fugæ ſe tradent.

Verſ. 12. In fremitu conculcabis terram, &c. Quadrigarum tuarum ſonitu, ſeu horribili tonitruorum ac fulminum fremitu hoſtilem conculcabis, & truculenta ſpecie omnibus Gentibus ſtuporem incuties.

Verſ. 13. Egreſſus es in ſalutem populi tui, &c. Egredieris ò Domine, vt populum tuum captiuum ſalute ac libertate dones, cum Chriſto tuo Cyro, cuius ad populi liberationem, & Chaldæorum exitium manum apprehendes. Et Babylonis, ſeu iniquæ domus caput impiorum, Regem ſcilicet, elides, & à pedibus ad collum vſque nudum expones. Sexta editio vertit. *Egreſſus es, vt ſaluares populum per Ieſum Chriſtum tuum:* & ſicut percuſſiſti Pharaonem Regem Ægypti: ſic percuties Balthaſſarem caput familiæ Chaldaicæ; & demum caput mundanæ, & infernalis nequitiæ diabolum tui ſuffixi Ieſu viuifica morte.

Verſ. 14. Maledixiſti ſceptris eius, &c. Maledices Chaldæorum *ſceptro*, ſeu imperio, ſeu Regi, ita vt infeliciter pereat: & bellatorum capiti, ita vt animos deſpondeant, & vires amittant. Qui quidem turbinis inſtar, in meos fines irrupeтunt, vt meos contribules quos æquè ac me ipſum curo, latè alio atque alio ventilarent. Qui ſic exultabunt, quaſi iam Iudæorum exuuiis potirentur. Neque magis timebant, quàm ſi in abſcondito ac tenebroſo

ceceſſu pauperis cuiuſdam fortunam diripe-
rent, cui nullus eſſe poterat in illa occulta ve-
xatione ſubſidio. * Vexationem, qua pauper
afficitur, aptè *deuorationem* vocitauit, Tanta
enim in pauperes omni ſubſidio carentes ſolet
eſſe diripientis crudelitas, vt eum ipſum poſt
ablatam omnem ſubſtantiam deuoraſſe videa-
tur.]

Quam dira ſolet eſſe in pauperes aua ra crudelitas.

Verſ. 15. *Viam feciſti in mari equis tuis, &c.* Sicut populo tuo quondam in mediis fluctibus viam aperuiſti, & limoſum alueum ita ſiccâſti, vt in maris, fluuijque tranſmiſſione nihil è cœno adhæreſceret vel calceis Hebræorum: ſic tuis equis; quibus vltores Perſæ vehebantur ad liberandos tuos, & debellandos Babylonios fluminis alueum peruium reddidiſti.

Verſ. 16. *Audiui, & conturbatus eſt venter meus, &c.* Viſcera cohorruere mihi, cum audirem, quid à Chaldæis populo meo incommodi immineret. Et vocis inſtrumenta ita contremuerunt, vt ad vocem exprimendam nihil haberent facultatis. Cum autem didici, quid à Domino circa populi liberationem fuit decretum, meliori ſum animo, & in ſummis rerum anguſtiis lætitia perfundor. Quapropter ſi tabes adueniat, quæ corpus exulceret, ita vt totus vermibus ſcateam, libenti animo feram: dum à tribulatione, futura ſit requies, & aceenſeat populo noſtro *accincto* gladio, cum bellandum erat: tunc cum parta erit victoria, baltheo, & paludamento triumphali. * Si ſpes quietis temporalis efficit hominem patienter incommoda tolerare, quid de momentanea quereris tribulatione, qui æternæ felicitatis ſpe niteris?]

Felicitatis æternæ ſpes dulces facit labores.

Verſ. 17. *Ficus enim non florebit, &c.* Si ficus futuri prouentus nullam mihi ſpem obiiciat: ſi vineæ florem, & germen aut glacies excoquat, aut ventus exurat: ſi labor in oliueto colendo adhibitus expectationem eludat: ſi ab orſu mortui naſcantur fœtus: ſi ab ouibus caulæ, ſi præſepia vacent ab armentis.

Verſ. 18. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.* Si omnia naturæ ac fortunæ commoda defuerint, ſaluatore meo à me ſtante exultabo. Quia fiducia ex eius fidelitate concepta mihi omnium inſtar rerum exiſtet.

Verſ. 19. *Deus Dominus fortitudo mea, &c.* Deus eſt fortitudo mea, qui vires ad pugnandum tribuet, & veloces pedes ad malum declinandum. Qui tandem victor de Chaldæorum potentia plauſu triumphali reducet in patriam, cæleſtem melius adducet in gloriam.

SOPHONIAS,

CAPVT PRIMVM.

Ieroſolimam, Iudæámque totam ob idololatriam, aliáque ſcelera excindendam prædicit à Chaldæis. Planctum Iudæorum exponit.

1. VERBVM Domini, quod factum eſt ad Sophoniam filium
Chuſi, filij Godoliæ, filij Amariæ, filij Ezeciæ, in diebus Ioſiæ
filij Amon regis Iudæ. 2. Congregans congregabo omnia
à facie terræ, dicit Dominus: 3. congregans hominem &
pecus, congregans volatilia cæli & piſces maris: & ruinæ
impiorum erunt: & diſperdam homines à facie terræ, dicit
Dominus. 4. Et extendam manum meam ſuper Iudam, &
ſuper omnes habitantes Ieruſalem: & diſperdam de loco hoc reliquias Baal,
& nomina æditiuorum cum ſacerdotibus; 5. Et eos qui adorant ſuper tecta mi-
litiam cæli, & adorant & iurant in Domino, & iurant in Melchom. 6. Et qui
auertuntur de poſt tergum Domini, & qui non quæſierunt Dominum, nec inue-
ſtigauerunt eum. 7. Silete à facie Domini Dei: quia iuxtà eſt dies Domini, quia
præparauit Dominus hoſtiam, ſanctificauit vocatos ſuos. 8. Et erit: in die hoſtiæ
Domini, viſitabo ſuper principes, & ſuper filios regis, & ſuper omnes qui induti ſunt
veſte peregrina: 9. & viſitabo ſuper omnem, qui arroganter ingreditur ſuper li-
men in die illa: qui complent domum Domini Dei ſui iniquitate & dolo. 10. Et
erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris à porta piſcium, & vlulatus à Secunda,
& contritio magna à collibus. 11. Vlulate habitatores Pilæ: conticuit omnis po-
pulus Chanaan, diſperierunt omnes inuoluti argento. 12. Et erit in tempore illo:
ſcrutabor Ieruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis, qui
dicunt in cordibus ſuis: Non faciet benè Dominus, & non faciet malè. 13. Et
erit fortitudo eorum in direptionem, & domus eorum in deſertum, & ædificabunt
domos, & non habitabunt, & plantabunt vineas, & non bibent vinum earum.

14. Iuxtà

14. Iuxtà eſt dies Domini magnus, iuxtà eſt & velox nimis, vox diei Domini ama-
ra, tribulabitur ibi fortis. 15. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies
calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis. 16. dies
tubæ & clangoris ſuper ciuitates munitas, & ſuper angulos excelſos. 17. Et tribu-
labo homines, & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt: & effundetur
ſanguis eorum ſicut humus, & corpora eorum ſicut ſtercora. 18. Sed & argentum
eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini: in igne zeli
eius deuorabitur omnis terra, quia conſummationem cum feſtinatione faciet cun-
ctis habitantibus terram.

COMMENTARII.

1. *Prædicit, Chaldæos totam Iudæam exciſuros.*

VERS.1.2.3. *Verbum Domini, quod factum eſt ad Sophoniam, &c.* Hoc vaticinium accepit à Domino contra Iudæam in diebus Ioſiæ filij Amon Regis Iuda, Sophonias filius Chuſi, Godoliæ nepos, & pronepos Ezeciæ. *Congregans congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus.* Auferam procul dubio, ait Dominus, omnia de terra, in qua nunc Iudæi antiqui illius habitatores commorantur. *Congregans hominem, & pecus, &c.* Auferam, inquam, inde homines, & omne pecus tam quod ad menſam, quam quod ad ruſticum, & domeſticum miniſterium alitur. Nec parcam volucribus, quæ cæli aërei ingentes tractus permeant: aut piſcibus, qui æquoreo celantur in gurgite: ex quorum interitu magna ſequetur impiorum ruina, qui communia hæc bona propriis ſibi vſibus accommodant. Ac tandem ſic homines diſperdam, vt ne vnus quidem ſit reliquus in tota terra à duabus anteà Tribubus habitata. * Non tantum homines impij, ſed omnia eorum ſeruitia è medio tolluntur. Vt diſcas, qui ſeruile agis miniſterium, à Domino impio ſeparari, ne & tu illius fias incommodi particeps.]

Qui ſeruit impio, illius fit incōmodorum particeps.

Verſ.4.5.6. Et extendam manum meam ſuper Iudam, &c. Vindicem contra Iudam leuabo manum, ſed præcipuè contra Ieroſolymam. Vndè quod reliquum eſt ſuperſtitionis impiæ, Baalis ſcilicet, & aliorum ſimulachrorum ita delebo, vt ne nomen quidem illorum in Iudæa, ac Ieroſolyma ſuperſit. Faciam denique, ne Sacerdotum, ac æditu um qui nefariis operantur ſacris, nomen deinceps audiatur. * *Nomina* inquit, *adituum cum Sacerdotibus.* Sunt enim plures ſacri Miniſtri, qui verè Sacerdotes, ſacriue Miniſtri non ſunt, ſed Sacerdotum *nomina.*] *Et eos, qui adorant ſuper tecta militiam cæli, &c.* Neque mitius agam cum illis, qui tecta conſcendunt, vt propiùs ibi, atque commodius ſtellas adorent: qui non plus honoris nomini meo, quam Melchonis nomini impendunt, tam enim per meum, quam per Melchonis nomen iuramenta emittunt. Super tecta, quæ plana erant in Iudæa adorabant Iudæi militiam, ſeu exercitum cæli, cuius Rex eſt Sol, Regina Luna, ſignifer Lucifer, alia ſidera turmæ ac falanges inſtructæ. * Sidera vero aptè *militia* vocitantur, ob vigilem & aſſiduam ſuæ ſtationi, ac miniſterio perſiſtentiam, quæ milites decet ſtrenuos.] Queritur autem Deus de iuramento Iudæorum per idolum factum. Iuramentum enim eſt actus latriæ, quo

Plures Sacerdotes verè Sacerdotes non ſunt, ſed nomina Sacerdotum.

Strenuorum militū exercitus ſiderum militiæ ſit æmulator.

R. P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. to. VII. p. I.

proteſtamur, eum, per quem iuramus, eſſe primam & increatam veritatem (hæc enim ſola eſt infallibilis) ac proinde eſſe Deum. *Et qui auertuntur de poſt tergum Domini, &c.* Idem manet exitus, qui cum primùm ad diuinam legem ſe totos addicere ſtatuiſſent, idque feciſſent aliquandiù: poſtmodum vero ſe totos à Deo, quem à tergo ſequebantur, auerterunt. Neque alia ſors erit illorum, qui neque vnquam Dominum quæſierunt: neque de illius verò cultus cognitione laborarunt. * Dirè quidem agitur cum illis, qui ſectator aliquandiù virtutis, bene viuendo ſatiatus, vitia repetit, quæ reliquerat.]

Qui ſectator virtutis remeat ad vitia dirè plectitur.

Verſ.7. Silete à facie Domini Dei, &c. Silentes igitur præ admiratione & ſtupore, timete, ſeruite, reueremini Dominum. Quia inſtat dies eius, quo ſolemnem victimam, & ſacrificium deſignauit offerre: in quo vos ô Iudæi victima ſeu hoſtia eritis: Chaldæi autem erunt miniſtri ſeu Sacerdotes, ad hanc lanienam à me è Chaldæa euocati, auctoritati, & quaſi conſecrati.

Verſ.8.9. Et erit: in die hoſtiæ Domini, &c. Eo autem tempore, in quo victima, ſeu ſtrages illa executioni dabitur, non eximentur ab hoſtili cultro Regis, aut Principes Ciuitatis, quorum vita ab iniuria magis videbatur aliena. Neque illi, qui veſtibus vtuntur, quæ peregrinam indicant religionem: aut qui aliud moribus, aliud habitu & cultu viuendi genus profitentur. * Religioſos, ac Sacerdotes ſubtaxat, qui ſub ſacra veſte ſæculares mores, eoſque iniquos abſcondunt. Seù quorum vita veſtis aſperitati, ſeu honeſtati non reſpondet.] *Et viſitabo ſuper omnem, qui arroganter ingreditur ſuper limen in die illa: qui complent domum Domini Dei ſui iniquitate, & dolo.* Neque parcam illis, qui Templi limen ſuperbo veſtigio calcant, non tanquam ſupplices à Domino oraturi veniam, ſed ea ſpecie, vt aliis veniam conceſſuri videantur. Qui non tam in Templo ſupplicant, quàm illud iniquitate, ac dolo commaculant. Videtur maximè notare Sacerdotes, qui dilatatis phylacteriis magno faſtu quaſi præfecti Templi per atria, ac veſtibula illius ſolebant incedere. * [Vnde taxantur Sacerdotes noſtri, qui ſericis veſtibus vtuntur, quæ magis profanam arrogantiam, quam clericalem modeſtiam halant.]

Taxantur Religioſi & Sacerdotes, quorum mores ſunt veſti diſſimiles.

Taxantur Sacerdotes Sericis minus modeſtè veſtibus vtentes.

Verſ.10.11. Et erit in die illa, dicit Dominus: vox clamoris à porta piſcium: &c. Cum iudicij huius tempus aduenerit, nullus erit locus à porta piſcium (ſiuè iuxta arcem Dauid in valle Mello inter montem Sion, & Ciuitatem inferiorem) vſque ad *ſecundam*, ſeu ad plagam Occidentalem (id eſt in toto Ciuitatis ambitu) vbi fletus, & vlulatus non audiatur. Nulla, in-

2. *Planctum Iudæorum exponit.*

quam, pars erit inter duos colles Sionem ſcilicet, & Moriam, in qua non graſſetur, ac vulneret hoſtile ferrum, quod omnium ciuium gemitus comitabitur. Porrò dicta *Porta piſcium* fuit, quod per eam à Ioppe, & à mari Galilææ piſces quotidie in Vrbem inferrentur. Per hanc portam Chaldæi primum in Vrbem irrupiſſe, fracto muro exiſtimo, & cæſis de plebe, obiis quibuſque: irruiſſeque in murum ſecundum, eiúſque portam, quæ à ſecundo muro *ſecunda*, ſeu media vocabatur à meo Villalpando *p. 1. lib. 3. cap 9. de Appar. Vrbes* accepi. *Vlulate habitatores Pila: &c.* Habitatores Ieruſalem, (quæ *Pila* ſeu *mortarium* vocitatur) vlulate. Neque enim aliter ibi concidendi ſunt, ac conterendi ciues ab hoſte Chaldæo, quam in area teruntur fruges, aut in mortario ptiſanæ. Magno concutientur metu habitatores reliqui terræ Chanaam, ſeu promiſſionis, cum viderint caſum Ieroſolymæ, quam muniſſimam agnouerant. Et illi omninò peribunt, qui diuitiis abundant, & veſtes geſtant argento diſtinctas. * Communis enim eſt plaga belli, nulli parcit: aut enim quis ab hoſte conciditur, aut metu afficitur propter vicinum hoſtem, aut agnata bello tributorum exactione, quæ aliquibus eſt mortis inſtar, pergrauatur.] Certe Ieroſolyma *Pila* vocitatur tum ob profunditatem, tum ob cædem iſtic patratam olim, vel breui patrandam à Chaldæis, qui è collibus iam dictis in ſubiectam vallem delapſi, incolas, eius aceruatim ſinè vllo diſcrimine quaſi legumina in *Pila*, ſeu *mortario* contuderunt.

Belli plaga nulli parcit eorum, qui in Regno bellum gerente habitant.

Verſ. 12. 13. Et erit in tempore illo: ſcrutabor Ieruſalem in lucernis; & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis, &c. Si ciues in cryptas ac cloacas ſe abdiderint, cum lucernis ingrediar, & quid ibi lateat, diligenter inquiram. Neque parcam illis, quos ibi in cœno, ac fæcibus demerſos inuenero. Qui antè hunc rerum articulum. & cogitabant apud ſe, & procaci voce dicebant: Nihil à Deo ſperandum boni, aut mali timendum. * Vereor, ne hodie plures ſint viri, aut fœminæ defixi in fæcibus ſuis, qui atheorum inſtar, nec à Deo aliquid præmij, vel ſupplicij ſperari aut timeri poſſit exiſtiment.] *Et erit fortitudo eorum in direptionem, &c.* Fortiſſimæ eorum munitiones, quæ expugnari minimè poſſe videbantur, ab hoſte deuaſtabuntur, & hæ, quas continuerint, opes diripientur. Domus eorum ad ſolitudinis redigentur ſpeciem. Extruent domos, ſed hoſtilis incurſus in illis eos habitare prohibebit. Vineas plantabunt, vt hoſtibus vinum propinetur, plantatore ſitiente.

Sunt peccatores ita defixi vitiis, vt velut athei, à Deo nihil ſperandum, aut timendum putent.

Verſ. 14. 15. Iuxta eſt dies Domini magnus, &c. Adeſt iam dies magnus & horibilis Domini, qui incitatum curſum accelerat. Vox Dei incitantis Chaldæorum acies ſic & terrifica, ſic triſtis, & amara, vt fortium quoque pectora examinet. *Dies iræ dies illa, &c.* Quæ in diuino pectore diù irâ comprimebatur, tam latè ſe effundet, vt ciuium corpora tribulatio, animos angor, vehementer excruciet. Erit dies ille verè calamitoſus & ater, in quo nihil videas præter caliginem, ſolicitudinem, turbationem, & æſtum. * Si tàm horribilis, meritò, deſcribitur dies, in qua Ciuitas ſacra vaſtanda prædicitur, quanto horribilior erit dies illa nouiſſima, in qua Dominus tribunali auguſtiſſimo Iudex hærebit? Vndè hinc procul dubio D. Thomas initium proſæ illius, quam in commemoratione defunctorum fidelium canit Eccleſia: *Dies iræ dies illa*, ideò vſurpauit, vt innuat vtriuſque horroris differentiam.]

Quàm horribilis iudicij extremi dies.

Verſ. 16. 17. 18. Dies tubæ, & clangoris ſuper Ciuitates munitas, & ſuper angulos excelſos. Nulla erit Ciuitas adeò mœnibus ſepta, & præſidio militari roborata, vbi non audiatur ab hoſtili tuba clangor, qui militares hoſtium accendat ſpiritus, & ciuium animum conſternans, eis excidium minetur extremum. *Et tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt, &c.* Quia contra Dominum deliquére, grauibus Iudæi afficientur incommodis, & ſicut cæci mentis, atque conſilij inopes per plateas errabunt. Profundetur autem cruor ea abundantia, vt cum terræ puluere comparari valeat; quia vt vbique puluis, ita vbique ſanguis occurret. Neque inſepulta ciuium cadauera honeſtiori erunt loco, quam ſtercus graue olens, & putre. *Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini, &c.* Ita grauis erit Chaldæorum furor, vt oblatum aurum, & argentum non poſſit vulneraturæ illorum dexteræ ictum retardare. * Quàm præceps, quàm ad percutiendum intenta manus, quæ auro & argento oblato non miteſcit: quando robuſtæ admodum manus ſoleant oblato munere infirmari.] Ignea autem ira, quæ à diuino zelo propter ſcelus violatæ fidei coniugalis exarſit, totam inflammabit, ac deuorabit terram. Porrò hæc ſtrages, quæ conſummabit omnia, non diu differetur, ecce iam præceps, & feſtinato venit.

Robuſtiſſima, & intentiſſima ad percutiendú manus, quam oblata moneta non infirmant.

CAPVT II.

Iudæos ad pœnitentiam hortatur, vt ſic Chaldæorum manus euadant. Prædicit, Philiſthæos, Ammonitas, Moabitas, Æthyopes, imò Aſſyrios, queis tunc orbis parebat, eſſe deuaſtandos.

1. CONVENITE, congregamini gens:non amabilis. 2. Priuſ-
quam pariat iuſſio quaſi puluerem tranſeuntem diem, an-
tequam veniat ſuper vos ira furoris Domini, antequam
veniat ſuper vos dies indignationis Domini. 3. Quærite
Dominum omnes manſueti terræ, qui iudicium eius eſtis
operati: quærite iuſtum, quærite manſuetum: ſi quo modo
abſcondamini in die furoris Domini. 4. Quia Gaza de-
ſtructa erit, & Aſcalon in deſertum, Azotum in meridie eiicient, & Accaron eradi-
cabitur. 5. Væ qui habitabitis funiculum maris, gens perditorum: verbum Do-
mini ſuper vos Chanaam terra Philiſthinorum, & diſperdam te, ita vt non ſit inha-
bitator. 6. Et erit funiculus maris requies paſtorum, & caulæ pecorum: 7. &
erit funiculus eius, qui remanſerit de domo Iuda: ibi paſcentur, in domibus Aſca-
lonis ad veſperam requieſcent: quia viſitabit eos Dominus Deus eorum, & auertet
captiuitatem eorum. 8. Audiui opprobrium Moab, & blaphemias filiorum Am-
mon; quæ exprobrauerunt populo meo, & magnificati ſunt ſuper terminos eorum.
9. Propterea viuo ego, dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, quia Moab vt So-
doma erit, & filij Ammon quaſi Gomorrha, ſiccitas ſpinarum, & acerui ſalis, & de-
ſertum vſque in æternum: reliquiæ populi mei diripient eos, & reſidui gentis meæ
poſſidebunt illos. 10. Hoc eis eueniet pro ſuperbia ſua: quia blaſphemauerunt, &
magnificati ſunt ſuper populum Domini exercituum. 11. Horribilis Dominus
ſuper eos, & attenuabit omnes deos terræ: & adorabunt eum viri de loco ſuo, om-
nes inſulæ Gentium. 12. Sed & vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis.
13. Et extendet manum ſuam ſuper Aquilonem, & perdet Aſſur: & ponet ſpe-
cioſam in ſolitudinem & in inuium, & quaſi deſertum. 14. Et accubabunt in
medio eius greges, omnes beſtiæ Gentium: & onocrotalus & ericius in limini-
bus eius morabuntur: vox cantantis in feneſtra, coruus in ſuperliminari, quo-
niam attenuabo robur eius. 15. Hæc eſt ciuitas glorioſa habitans in confidentia:
quæ dicebat in corde ſuo: Ego ſum, & extra me non eſt alia amphùs: quomodo fa-
cta eſt in deſertum cubile beſtiæ? omnis qui tranſit per eam, ſibilabit, & mouebit
manum ſuam.

COMMENTARII.

1. *Hortatur ad pœnitentiam Iudæos, vt ſic euadāt Chaldæorum manus.*

VERS. 1. 2. *Conuertite, congregamini gens non amabilis* Iudaïca gens non amabilis, ſed odibilis, & exoſa tum Deo ob ſcelera veſtra, tum vicinis gentibus propter religionis differentiam, conuenite in vnum, congregamini in publicum cœtum, vt vnanimi prece, lamentu, ac pœnitentia Deum placare poſſitis. Preme illud: *Gens non amabilis.* Videtur Propheta prædicere odium, quo Iudæos gentes omnes vbique terrarum erant proſequuturi, ob ingratitudinem, qua tantum benefactorem eorum patibulo addixerunt.] *Priuſquàm pariat iuſſio, &c. antequàm veniat ſuper vos dies indignationis Domini.* Conuenite, inquam, & dum per tempus licet, reputate, quonammodò impendentem iam cladem arceatis: antequam Deus, quod iam diù parturit, denique pariat: antequam ex veſtris finibus exules abducamini, qui ſic auferemini, ac præteribitis ſicut à vento ſtipula, aut puluis à turbine diſpergitur. Facilius dixerim: Antequam iuſſio diuina pariat vobis diem excidij, & exilij *tranſeuntem quaſi puluerem*, id eſt, inſtar turbinis, qui puluerem vehementer diſpergit, & celerrime tranſit.

Quàm exoſi ſint omnibus Iudæi.

Verſ. 3. 4. Quærite Dominum omnes manſueti terræ, &c. Quando plures Iudæi meæ adhortationi rebelles oſtenduntur, ſaltem vos manſueti, & humiles, qui pietatis, ac iuſtitiæ ſectatores eſtis, Dominum feruentiùs adhuc quærite: & ſic eius hærete placito, vt illum erga fratres manſuetum reddatis, & in communem cauſam clementer affectum. * Iuſta enim paucorum vita multorum impiorum

Vel paucorum recta vita multorum impiorū ſolet eſſe protectio.

ſolet eſſe protectio.] *Quia Gaza deſtructa erit, &c.* Si Ciuitates Paleſtinæ Gaza, Aſcalon, Azotum, & Accaron, quibuſcum ſæpè Marte aduerſo pugnaſti, ſunt euertendæ, idque non ex nocturno repentino aut furtiuo congreſſu, ſed ipſa meridiana luce aperto conflictu: quam tibi, ô Ieroſolyma, ſalutem promittis, contra quam multo potentior inimicus inſurget.

Verſ. 5.6. Væ qui habitatis funiculum maris gens perditorum, &c. Nunc ad vos ô Philiſthini vaticinium durum conuerto. Væ vobis hominum genus robuſtum, qui littoralem plagam habitatis. Verbum Domini contra vos, qui præcipuè à Chananitide regione nomen accepiſtis, quod illam vobis vaſtitatem indicit. Nam ex cunctis, qui plagam illam littoralem incolunt, nullus futurus eſt immunis à cæde. Dixi nomen ipſum eorum eis vaſtitatem indicere, quia Hebraicè dicuntur Gens כרתים. *cerethim*, id eſt, *perditorum*, ſeu gens perditioni deſtinata. *Et erit funiculus maris requies paſtorum, & caulæ pecorum.* Et littoralis illa regio Vrbibus olim, & ciuibus frequens, ita erit deſerta, vt in ea ſtabulentur armenta, & paſtores ſua tabernacula collocent.

Verſ. 7.8. Et erit funiculus eius, qui remanſerit de domo Iuda, &c. Qui ex exilio Iudæi redierint, Paleſtinam regionem ſibi adaptabunt paſcendis gregibus opportunam. Vndè quæ olim erant ſpecioſæ domus & procerum deliciæ in Aſcalonitico tractu, erunt quaſi maceriæ rudes, vbi ſub veſperum pecudes cogantur. Quia Dominus viſitabit gratus populum ſuum, quem vltor viſitauerat, & ab exilio liberum, ad priſtinos fines, & gloriam reuocabit. * Et quando vltrix viſitatio Dei, benignæ & amicæ viſitationis non eſt veſperum?] *Audiui opprobrium Moab, &c.* Iam ad Moabitas, & Ammonitas conuerto prædictionem. Haud me latent, Dominus ait, opprobria quæ in populum meum, & blaſphemiæ, quas in meipſum inimici populi Ammonitarum, & Moabitarum iactauerunt. Qui cum adiectis ad ſuos terminos illis, quos Aſſyrij à poſſeſſoribus vacuos reliquerant, magno bonorum incremento magnos ipſi ſpiritus aſſumpſere. * Noua enim diuitiarum accretio ſuperbiæ, & præſumptionis aſſolet eſſe genitrix.]

Vltrix Dei viſitatio viſitationis amicæ ſolet eſſe veſperum.

Noua diuitiarũ accretio ſolet ſuperbiam generare.

2. *Verſ. 9.10.11. Propterea viuo ego, dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, quia Moab vt Sodoma erit, &c.* Per memet ipſum iuro, dicit Dominus, quia Moabitæ, qui in me blaſphemam linguam acuerunt, non meliorem habebunt exitum, quam Sodomæi: neque Ammonitis mitior erit quam Gomorrhæis ſtatus. Illorum enim regiones ſyluarum inſtar, inhorreſcent ſpinis, & quaſi conſperſæ ſale ſteriles reddentur, æternumque erunt deſertæ. At eam regionem poſtquam populus meus à captiuitate redierit, Victor diripiet, & quaſi legitimus hæres occupabit. *Hoc eis eueniet pro ſuperbia ſua, &c.* Hanc planè cladem afferet illis ſpiritus arroganter inflatus, quo blaſphemam exeruere linguam: & præ ſe longè poſteriore habuere populum illum, quem Dominus exercituum ſuum ſibi ex omnibus elegit. * Semper agnata ſuperbiæ fuit vilis humiliatio.] *Horribilis Dominus ſuper eos, & attenuabit omnes deos terræ, &c.* In vanos deos, quibus verò Deo deſpecto, ſuperbi illi duo populi tantum honoris arrogant, ſic Omnipotens erit horribilis, vt omnem illis dignitatem adimat, & eo redigèt, vt ex illis ad ſordidum miniſterium vaſa conflentur. Tunc omnes Gentes ſuo quæque loco, etiam Inſulæ procul hinc diſſitæ, vbi hæc audierint, verum Deum adorabunt, cuius ex eo tempore dignouère potentiam.

Philiſthæorũ, Ammonitarũ, Moabitarum, Æthyopum, & Aſſyriorũ prædicit excidium.

Humiliatio ſuperbiæ agnatum ſupplicium eſt.

Verſ. 12. 13. Sed & vos Æthyopes, interfecti gladio meo eritis. Neque vos ô Æthyopiæ filij, (contra quos ſermo hic propheticus, gladij inſtar, exeritur) ab exitio, quod afferent Chaldæorum manus, eritis immunes. *Et extendet manum ſuam ſuper Aquilonem, &c.* Vltricem etiam Deus manum contrà Aſſyriam, regionem Aquilonarem, tendet, & illam à fundamine euertet. Et faciet, vt Niniue ſpecioſa Ciuitas, & Aſſyrij Imperij prima ſedes eò redigatur, vt nihil ex tanta maieſtate appareat præter ſolitudinem inuiam, ſyluamque ab habitatoribus deſertam.

Verſ. 14.15. Et accubabunt in medio eius greges, &c. In loco prius ædificiis, ciuibus quæ frequenti greges paſcentur, & omnia vicinarum gentium armenta ſuam ſortientur ſtabulationem. In liminibus lociſque illuſtribus, vbi præclata notabantur inſignia, erunt obſcœnarum volucrum impura cubila, onocrotali ſcilicet, & inauſpicatæ volucris & ericij ſordidæ, & aculeatæ belluæ. In feneſtris vbi dominorum laſciua curioſitas, & ambitioſa ornamentorum oſtentatio, feralium auium voces audientur, & inſuper liminari coruus moleſtè crocitabit. Hæc ideò, ait Dominus, Ciuitati iſti aduenient, quia ego illius vires infringam, ne poſſit antiquam dignitatem, & amplitudinem tueri. *Onocrotalus* quidem eſt auis cygno ſimilis ita dicta à ſono, quem edit abſonum, vt quodammodo rudentem aſinum referre videatur ὄνος enim eſt aſinus, & κρότος ſonitus, vel crepitus. * Miſticè crediderim coruum illum diabolum ſignare, qui impœnitentiam ſuadet hominibus, vndè nunquam priorem felicem reſumant ſtatum. Crocitat enim nota illa voce *cras. cras.* quaſi peccatorem ſuadeat ſemper in craſtinum pœnitentiam differre: vndè de die in diem illam differens tandem impœnitens moriatur.] *Hæc eſt Ciuitas glorioſa habitans in confidentia, &c.* Hæc eſt illa Ciuitas, cui ad felicitatem, & gloriam nihil deeſſe videbatur: quæ ſuis freta viribus nihil à quoquam formidandum putabat: quæ ſibi tacitè aſſentata dicebat: Ego ſum, cui vni ex omnibus ſumma debetur gloria: cuius comparatione ſi quid eſt in terra illuſtre, inſtar habet nihili. Quomodò iam in illius ruinis nihil apparet niſi vaſta ſolitudo, & mille immanium belluarum obſcœna cubilia! Omnis igitur, qui iuxta Ciuitatem illam tranſierit, cum manuum comploſione vicem illius irridebit. * Nullus enim vicem ſuperbi dolet. Quia omnibus eſt exoſa ſuperbia.]

Diabolus coruus eſt, ſuadens peccatorem procraſtinare pœnitentiam.

Nullus vicem ſuperbi dolet.

CAPVT

CAPVT III.

Iudæorum ſcelera accuſat. Prædicit, ſub Meſſia deſtruendum eſſe Iudaïſmum, omneſque Gentes eius nouæ legi ſubiugandas.

1. VÆ prouocatrix, & redempta ciuitas, columba 2. Non audiuit
vocem, & non ſuſcepit diſciplinam: in Domino non eſt confiſa, ad
Deum ſuum non appropinquauit. 3. Principes eius in medio
eius quaſi leones rugientes iudices eius lupi veſperè, non relin-
quebant in manè. 4. Prophetæ eius veſani: viri infideles: ſacer-
dotes eius polluerunt ſanctum, iniuſtè egerunt contra legem.
5. Dominus iuſtus in medio eius non faciet iniquitatem: manè manè iudicium
ſuum dabit in lucem, & non abſcondetur: neſciuit autem iniquus confuſionem.
6. Diſperdidi Gentes, & diſſipati ſunt anguli earum: deſertas feci vias eorum, dum
non eſt qui tranſeat, deſolatæ ſunt ciuitates eorum, non remanente viro: neque vl-
lo habitatore. 7. Dixi: Attamen timebis me, ſuſcipies diſciplinam: & non peri-
bit habitaculum eius, propter omnia in quibus viſitaui eam: verumtamen diluculo
ſurgentes corruperunt omnes cogitationes ſuas. 8. Quapropter expecta, me, dicit
Dominus, in die reſurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum vt congre-
gem Gentes, & colligam regna: & effundam ſuper eos indignationem meam om-
nem iram furoris mei: in igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra. 9. Quia
tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, &
ſeruiant ei humero vno. 10. Vltra flumina Æthiopiæ, inde ſupplices mei, filij diſ-
perſorum meorum deferent munus mihi. 11. In die illa non confunderis ſuper
cunctis adinuentionibus tuis, quibus præuaricata es in me: quia tunc auferam de
medio tui magniloquos ſuperbiæ tuæ, & non adiicies exaltari ampliùs in monte
ſancto meo. 12. Et derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum ſpe-
rabunt in nomine Domini. 13. Reliquiæ Iſraël non facient iniquitatem, nec lo-
quentur mendacium, & non inuenietur in ore eorum lingua doloſa: quoniam ipſi
paſcentur, & accubabunt, & non erit qui exterreat. 14. Lauda filia Sion: iubila
Iſraël: lætare, & exulta in omni corde filia Ieruſalem. 15. Abſtulit Dominus iu-
dicium tuum, auertit inimicos tuos: rex Iſraël Dominus in medio tui, non timebis
malum vltrà. 16. In die illa dicetur Ieruſalem: Noli timere Sion, non diſſoluan-
tur manus tuæ. 17. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipſe ſaluabit: gaude-
bit ſuper te in lætitia, ſilebit in dilectione ſua, exultabit ſuper te in laude. 18. Nu-
gas: qui à lege receſſerant, congregabo, quia ex te erant, vt non vltrà habeas ſu-
per eis opprobrium. 19. Ecce ego interficiam omnes, qui afflixerunt te in tem-
pore illo, & ſaluabo claudicantem, & eam, quæ eiecta fuerat, congregabo, & po-
nam eos in laudem, & in nomen, in omni terra confuſionis eorum: 20. In tem-
pore illo, quo adducam vos, & in tempore, quo congregabo vos; dabo enim vos
in nomen, & in laudem omnibus populis terræ, cum conuertero captiuitatem ve-
ſtram coram oculis veſtris, dicit Dominus.

COMMENTARII.

1. *Iudæorum ſcelera accuſat.* VERS. 1. *Væ prouocatrix & redempta Ciuitas, columba.* Væ Ieroſolymæ Ciuitati, quæ ſuis peccatis diuinam excitauit iram, quam Deus tanquam ſponſam coëmit: & quaſi columbam (ſic ſponſa appellatur in Canticis) coniugalem aſciuit ad thalamum. Syrus pro *columba* retinet Hebræum יונה *Iona*, vultque, hìc agi de Niniue, quæ vſque hodie ab Orientalibus vocatur Ciuitas Ionæ, ſeu Columbæ partim à Propheta Iona, partim à Semiramide prima Aſſyriorum Regina, quam (vt fingebant) conuerſam in columbam ſub columbæ ſpecie Aſſyrij, & Chaldæi adorabant. * Aptius quidem Niniuem columbam appellabis ex pœnitentia, ad quam Vrbem impiiſſimam Ionæ prædicatio excitauit. Seria enim impij pœnitudo eum ex ſerpente horribili, pulchram adigit in columbam.] De Ieroſolyma tamen eſt ſermo.] *Pœnitentia peccatorem ſerpentem adigit in columbam.*

Verſ. 2. 3. Non audiuit vocem, &c. Non audiuit

diuit ſponſi cæleſtis monita: & cum ei ſoli vti ſponſa fidelis placere debuiſſet, illius ſe non credidit fidei, nec magis cum illo animum coniunxit, ſi quam ſi foret alienus. *Principes eius in medio eius, &c.* Principes, quos Deus patriæ, pauperumque cuſtodes eſſe voluit, leonum inſtar, fremitu horribiles graſſabantur. Iudices vero qui iuſtitiæ vindices eſſe deberent, id in pauperum corporibus ac bonis agunt, quod in grege lupi veſpertini. Sic enim ad alienas opes vorandas anhelant, vt nihil in craſtinum ad domeſticos vſus, aut ſibi ad vlteriorem prædam amplius relinquant. * Hos quidem tributorum exactores æmulantur. Vt enim tributum exquirant à miſero agricola, adeò eum vacuum relinquunt, vt nulla, ſtrictæ licet, familiæ ſuperſit annona, nec quid anno ſequenti pro vectigali valeat exigere. Vnde vnica exactio tributi eſt miſellæ familiæ vaſtatio.]

Exactoris tributorum crudelitas in agricolas taxatur.

Verſ.4.5. Prophetæ eius veſani, &c. Neque magis fideles fuêre Prophetæ, qui dum ſuis commodis deſeruiunt, ſomnia vana pro veris exponunt oraculis. Sacerdotes autem non aliter ſacra gerunt, quam profana, neque in ſuarum, aut publicarum rerum adminiſtratione de vlla re minus, quam de lege, atque æquitate meditantur. *Dominus iuſtus in medio eius, &c.* Deus longè aliter inter ipſos habitans iudicabit; qui cum iuſtus ſit, ita ſe in iudicando geret, vt in eius iudiciis nihil quiſquam ab æquitate diſſonum inueniat. Edentur autem ab æquiſſimo Iudice ſingulis diebus dura ſuppliciorum exempla. Iniquus verò ſic aſſiduitate delinquendi frontem perfricuit, vt ſicut antea inuerecundè peccauerat, ſic nunc in ſuſtinendo ſupplicio pudore nullo perfundatur! * Actum iam eſſe de peccatore illo indica, quem ſupplicium ad meliora non affert.]

Actũ de peccatore quem ſuppliciũ ad meliora nõ affert.

Verſ.6.7. Diſperdidi Gentes, &c. Vt populum meum ab iniquitate retraherem, eius oculis aliis gentibus ſupplicium ob ſcelera illatum obieci. Euerti Gentes, & Regna, Ciuitates egregiè munitas Regnorum propugnacula diſſipaui: eoque adduxi eas, vt per illarum vias nemo tranſiret, & à ſuis habitatoribus vacuæ relinquerentur. *Dixi: Attamen timebis me, &c.* Obiecto Ieroſolymæ & toti Iudææ Gentibus à me illato ſupplicio, ſic mecum cogitabam: Timebit iam populus meus alieno periculo edoctus, datam à me viuendi normam auidè ſuſcipiet, quo à mea benignitate aſſequetur, ne Ieroſolyma Babylonio excindatur ab hoſte. Quod meritiſſime patietur propter ſcelera, quæ dixi, à me ſeuero vindicanda ſupplicio. Iudæi tamèn ſic ſunt pœnitudine affecti, vt ſummo conſurgant mane, non vt mores meliori diſciplina informent, ſed vt magis corrumpant.

2. *Verſ.8 9. Quapropter expecta me, &c.* Quare ô Sophonia, non eſt, quod ſpectes populi huius morum in melius commutationem, niſi paucorum exiguam poſt datas acres pœnas, & poſt totius Iudææ excidium. Iudicium enim meum eſt firmum, vt ad euertendos Iudæos congregem varias ex Aquilone gentes, & Regna Nabucbodonoſore duce, à quibus omnis terra Iudææ deſolabitur atque vtinam vel ſic contumaces reſipiſcant! Sed, vt dixi, paucorum hoc erit. Nam vt vniuerſus populus ad me recurrat, *expecta* illud futurum tempus, cum ego ipſe veſtra inductus carne adcurram ad vos, & actus ab ingratis in crucem tertio poſt mortem die rediuiuus, merito paſſionis meæ cor nouum impetrabo non Iudæis ſolùm, ſed & omnibus Gentibus. De Chriſti Domini temporibus hic agi conſtans eſt Patrum, & etiam Hebræorum ſententia. * Hinc Dominicæ paſſionis, & reſurrectionis efficaciamediſce, potentis ſcilicet ad rebellium corda emolienda, quæ tot illata ſupplicia tam obſtinata ac dura reliquère.] *Quia tunc reddam populis labium electum, &c.* Tunc autem dabo tam Iudæis, quam Gentilibus, qui ad nouam religionem acceſſerint, puram, & electam linguam: ita vt in illorum ore nullæ audiantur preces niſi ad Deum, in cuius obſequium & laudes omnes eodem ſenſu, atque animorum conatu conſpirabunt.

Prædicit, per Chriſtum deſtruendum eſſe Iudaiſmũ, & omnes gentes Euangelio ſubiugandas.

Efficacia paſſionis & reſurrectionis Chriſti ad peccatorum corda emolienda.

Verſ.10. Vltrà flumina Æthyopiæ, &c. Qui ex Iudæis trans Æthyopiæ flumina diſperſi exulant, aliquando ad me ſupplices manus extendent, venient enim ad me, & munus mihi deferent ad altare. Non loquitur hic de Æthyopia Africana, quæ Ægypto adiacet, & Abyſſia vocatur: ſed de Æthyopia Arabica, in qua degebant Madianitæ paſſim in Scriptura Æthyopes vocitati. *Exo. 2. 21. Pſal. 73. 14.)* Huius flumina ſunt *Gihon, Traianus, lacus Serbomdes, ſinus Arabicus, foſſa Dioryges.* Vltra hæc flumina à Chaldæis in exilium Iudæi fuere deportati: & ab Aſſyriis Iſraëlitæ. Quos Sophonias dicit ſupplices ad Templum Solymitanum, ſeu ad Eccleſiam nouam conuolaturas, & vna cum his Gentes omnes trans eadem flumina ſitas vſque ad Indos Orientales & Occidentales, imò ad extremas vſque terræ fines. Fauet D. Ioannes, cum alludens ad hunc Sophoniæ locum *(cap. 11. 55.)* dicit moriturum Chriſtum *non tantum pro gente* Iudaica, *ſed vt* quoſlibet *filios Dei* etiam ex aliis quibuſque gentibus, qui erant per vniuerſum orbem diſperſi, *congregaret in vnum.*

Verſ. 11. 12. 13. In die illa non confunderis, &c. In die illa, ô Sion iam Chriſtiana, non amplius, ſeu coram me, ſeu coram hominibus ob priora tua ſcelera idololatriam, rapinas, pauperum expilationes, &c. confunderis; per ſanguinem enim Meſſiæ ab omnibus mundaberis. Quin & amouebo de medio tui faſtuoſos, queis nunc ſubiaces, Principes tam politicos, quam Eccleſiaſticos, ſcribas, & Phariſæos, qui nihil aliud curant, vel agunt, quam fouere, ac ſtabilire externum ſplendorem in veſtibus, & ædificiorum tuorum magnificentiam. Sed neque ſinam te exaltari & gloriari *in monte ſancto meo*, id eſt, in Templo quod in eo conſtructum habes; nam illud funditus excindam primò per Chaldæos, ſecundò per Romanos. Attamen excitabo in te, & ex te Templum longè nobilius ſpirituale, nempe Eccleſiam meam, ſanctam fidelium congregationem, cuius hoc Salomonicum Templum typum agit. Ac pro ſcribis, & Phariſæis, Principibuſque faſtuoſis: efficiam vt conſtes populo egeno, ſi terrenas opes ſpectes, ſed diuite gratiis, potente miraculis, ſplendenti virtutibus, Tales erant Apoſtoli, primi Chriſti Domini Diſcipuli. *Et derelinquam in medio tui populum*

pulum

pulum pauperem, *&c.* Hi quidem ſpiritu pauperes, qui à ſe rebuſque temporalibus nihil ſperabunt, ſuam in Deo ſolo collocabunt fiduciam. Non ſit diuites, qui à ſuis opibus vitæ ſubſidia, & felicitatis adiumenta petunt. *Reliquiæ Iſrael non facient iniquitatem*, *&c.* Iſraëlitæ illi, qui ad Meſſiam accurrent, non vt vos hactenus, faciet-alter alteri *iniquitatem*, calumniam ſcilicet, vim, dolum, ſed paucis omnes contenti, in commune paſcentur *Act.* 2. 44. & benè paſti tùm corporaliter tùm ſpiritualiter ſub fida paſtorum ſuorum cura læti hilareſque, ac ſecuri accubabunt in pinguibus Eccleſiæ paſcuis, primùm in hac vita ad modicum tempus, deinde ſatiandi in altera in perpetuas æternitates.

Verſ. 14. 15. 16. *Lauda filia Sion*, *&c.* Iſraël iam Chriſtiane tot beneficiis aucte & decorate à Deo cum iubilo, & lætitia in gratiarum actionem carmina modulare. *Abſtulit Dominus iudicium tuum*, *&c.* Cauſas captandæ à te iobilationis exprimam. Primò Deus abſtulit iudicium, quo reus agebaris tot tantorumque ſcelerum, & propter ea æternæ damnationis. Nam renato per Chriſtum omnem culpam pœnamque condonabit. Secundò, auertit à te iuratos inimicos tuos dæmones, infernum, mortem, iugum Moſaicæ legis: vt non ipſa amplius dominentur tibi, ſed tu illis dominetis, & ſolus Dominus tibi dominetur. *In die illa dicetur Ieruſalem*, *&c.* Sic erunt illo tempore illa Dei beneficia manifeſta, vt omnes etiam externi populi admirabundi, ac gratulabundi clament, dicantque Ieroſolymæ, vt metum procul, & ſollicitudinem abiiciat, bono ſit, atque erecto animo, nec manus habeat, vt ante ſolutas & infirmas.

Verſ. 17. 18. *Dominus Deus tuus in medio tui fortis*, *&c.* Tertio, habebis tecum Dominum bellatorem, & fortem, qui te ſeruet, & protegat. Quo ſeruatore, & auſpice inanis erit humana ſedulitas, & potentia futilis. Tunc verò temporis in lætitia tua ipſe quoque lætabitur, & tuas laudes libenter admittet. Quartò, *ſilebit* Chaldæus, *abſcondet delicta tua.* Hæc eſt, non exprobrabit tibi ſcelera tua præterita: non etiam ob præſentes infirmitates, aut leuiores lapſus vltor ſtatim exurget; ſed ſilentio inoluet, donec reſipiſcas, & pœnitentia deleas admiſſa. LXX. vertunt, *Innouabit te*, idque in dilectione ſua, id eſt, propter ingentem amorem, quo te proſequitur. *Nugas, qui à lege receſſerant cōgregabo*, *&c.* Quintò homines nugaces, abiectos, viles, nullius pretij (ſic Tullius, Plinius Plautus hoc verbum vſurpant) qui ob nugacia terræ bona; & nugaces ſuas traditiones à lege Dei, quæ Chriſtum illis digito demonſtrat, iam ab olim receſſerunt: & ſi contemnentes, ac deſerentes me poſſem iuſtè tanquam quiſquilias & nugas contemnere: quia tamen ex te erant, ô chara mihi priorum fidelium ſynagoga, congregabo illos ad me, & ad te, nunc inchoatè per Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, complerè autem ſub finem mundi, quando *omnis Iſrael ſaluus erit. Rom.* 11. 25. *Nugas* appellat eos, qui à Dei lege recedunt: homines ſcilicet nugaces, abiectos, viles. Nec enim meliori titulo digni ſunt Iudæi, qui pertinaciter Chriſti negant aduentum. Hæretici, qui fidei præſcripta non tenent. Et peccatores tot acceptis beneficiis audent diuinam legem violare.] Hos, inquit, *congregabo, quia ex te erant.* Ex proauis enim iuſtis ducere originem Deum non ſemel allicit, vt memor parentum iuſtitiæ, ad ſe miſericors filios adducat peccatores, & opportuno pœnitentes auxilio vulneribus medeatur.]

Nugaces abiecti, ac viles ſunt omnes peccatores.

Ex parentibus iuſtis procedere, confert nonnunquam ad miſericordiã à Deo obtinendam.

Verſ. 19. 20. *Ecce ego interficiam omnes*, *&c.* Sexto, interficiam omnes tyrannos, hæreticos ſchiſmaticos, qui te ô Eccleſia noua, afflixerint: in die iudicij omnes etiam impios, & hoſtes tuos æterna morte, & tartareo ſupplicio mulctabo. Septimo, Saluabo claudicantem ex te, & horrore tormentorum nutantem firmabo, ac ſtabiliam gratia & ope mea cœleſti. Octauò, collectionem fidelium, quæ vel iuſſu tyrannorum eiecta fuerat è domo & Vrbe paterna: vel metu eorumdem vltrò receſſerat, in exilium, congregabo, & poſt liminio ſuæ patriæ reſtituam: vt ibi ſint in honore, & laude, vbi prius confuſione fuerant affecti. Factum id per Conſtantinum Magnum, & alios ſubſecutos Imperatores ac Principes Chriſtianos, vt Auctores affirmant. *In tempore illo, quo adducam vos*, *&c.* Hæc, quæ præmiſi, exequar in tẽpore, quo vos ad optatam libertatem, & pacem etiam temporalem adducam. Efficiamque, vt apud omnes populos clarum obtinearis, atque glorioſum nomen. Neque diù hoc glorioſi nominis beneficium differam, dicit Dominus. Illi ijdem, qui ab exilio redierint, oculis ſuis exhiberi conſpicient. Portò Iudæi ſub tempora Babylonica variè vexatus eſt, ex patriis finibus extorris, & poſtea variis ſucceſſibus in Romanorum poteſtatem adducti. Poſtea tamen adducti fuere in honorem & nomen, ad Eccleſiæ ſcilicet ſinum, id eſt, ad Dei complexum, & familiam Chriſti Domini.

AGGÆUS.

CAPVT PRIMVM.

Populum reprehendit, quod negligeret Templum Domini inſtaurare. Indicit ei, voluntatem Dei eſſe, vt illicò ſacræ extructioni manum admoueret. Pij proceres Prophetæ oraculo obſequuntur.

1. IN anno ſecundo Darij regis, in menſe ſexto, in die vna men-
ſis, factum eſt verbum Domini in manu Aggæi prophetæ,
ad Zorobabel filium Selathiel, ducem Iuda, & ad Ieſum,
filium Ioſedec, Sacerdotem magnum, dicens: 2. Hæc ait
Dominus exercituum, dicens: Populus iſte dicit: Nondum
venit tempus domus Domini ædificandæ. 3. Et factum
eſt verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens: 4. Numquid tem-
pus vobis eſt vt habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta? 5. Et
nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras.
6. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum: comediſtis, & non eſtis ſatiati: bi-
biſtis, & non eſtis inebriati: operuiſtis vos, & non eſtis calefacti: & qui mer-
cedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum. 7. Hæc dicit Dominus exer-
cituum: Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras: 8. aſcendite in montem, porta-
te ligna, & ædificate domum: & acceptabilis mihi erit, & glorificabor dicit Domi-
nus. 9. Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus: & intuliſtis in domum,
& exufflaui illud: quam ob cauſam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea
deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam. 10. Propter hoc ſuper
vos prohibiti ſunt cæli ne darent rorem, & terra prohibita eſt ne daret germen ſuum:
11. & vocaui ſiccitatem ſuper terram, & ſuper montes, & ſuper triticum, & ſu-
per vinum, & ſuper oleum, & quæcumque profert humus, & ſuper homines, &
ſuper iumenta, & ſuper omnem laborem manuum. 12. Et audiuit Zorobabel
filius Salathiel, & Ieſus filius Ioſedec ſacerdos magnus, & omnes reliquiæ populi,
vocem Domini Dei ſui, & verba Aggæi prophetæ, ſicut miſit eum Dominus Deus
eorum ad eos: & timuit populus à facie Domini. 13. Et dixit Aggæus nuntius
Domini de nuntiis Domini, populo dicens: Ego vobiſcum ſum, dicit Dominus.
14. Et ſuſcitauit Dominus ſpiritum Zorobabel filij Salathiel, ducis Iuda, & ſpiri-
tum Ieſu filij Ioſedec ſacerdotis magni, & ſpiritum reliquorum de omni populo: &
ingreſſi ſunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei ſui.

COMMENTARII.

1. *Populum reprehēdit, quod negligeret, Templum Dei inſtaurare.*

VERS. 1. 2. *In anno ſecundo Darij Regis, &c.* In anno ſecundo Regni Darij filij Hiſtaſpis, menſe ſexto, & die illius prima, hoc à Domino vaticinium accepit Aggæus Propheta, quod proferret ad Zorobabelem ducem Salatielis filium, & ad Ieſum filium Ioſedec, Sacerdotem magnū. *Hæc ait Dñs exercituum, dicens: Populus iſte dicit, &c.* Sic ad vos ô magni populi Principes, ait Dominus exercituum Deus; ſæpè populus iſte & ſecum tacitus, & publicè clamat, nondum eſſe ædificandi Templi tempus opportunum. Hic Darius non erat Medus ille Rex, quia iam pridem obierat: neque Artaxerxes Longimanus, neque Darius Nothus, quia hi diu poſt Eſdram, & Aggæum vixerunt; ſed Darius Hyſtaſpis filius, qui à ſatrapis electus per hinnitum equi poſt Cambyſem, & Eſmerdem Magum Rex Perſarum fuit. Zorobabel autem de quo in præſenti, vocatur filius Salathiel filij Ioachim ſeu Iechoniæ Regis Iuda, ad diſtinctionem alterius Zorobabelis filij Phadaiæ filij eiuſdem Iechoniæ, & fratris prædicti eiuſdem Salathielis. * Aptè quidem Propheta populi errata ad Principes defert, eos tacitè reprehendens. Ex incuria enim Principum ſubditorum promanant exceſſus.]

Ex Principum incuria exceſſus ſubditorum promanant.

Verſ. 3. 4. 5. Et factum eſt verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ, &c. Hoc rurſus verbum accepit Aggæus à Domino quod referret ad populum: Cum non minus ſeuerè cautum ſit, ne priuatæ domus ædificentur, quàm ædis

Deo

Deo ſacta: quid vos contempto publico ac religioſo Dei ſacrario, quaſi nondum Illius ædificandi opportuna maturitas aduentaſſet, tam audacter & auidè in priuatarum ædium non ſolùm commodam, ſed ambitioſam etiam fabricam incumbitis? * Hinc taxatur procerum ambitioſum ſtudium ad palatia extruenda, ad domos rurales ſummis ſumptibus excitandas, quando penuria temporum ſacri Miniſtri non habent, vnde poſſint neceſſarium Templis ornatum adhibere.] *Et nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras.* Igitur nunc audite, quid per me Deus vobis velit enunciari. Reputate, ait Dominus, apud vos, quo cogitationes veſtræ, ac ſtudia ſpectarint, & quis illa exitus, ac euentus exceperit; & ex illis, ſi modò in vobis aliquid eſt conſilij, dignoſcetis, quam veſter labor fuerit Domino acceptus.

Taxantur, qui domos extruunt ſibi magnificas, quādo Templis neceſſarius deficit ornatus.

Verſ. 6. Seminaſtis multum, &c. Cogitate, quam vobis ager exiguum ex copioſo ſemine fructum retulerit, neque enim triticum famem, neque vinum ſitim potuit explere: neque veſtis, quam ex ouium vellere texuiſtis, veſtrum corpus fouit, ac calefecit: & quidquid ex mercatura ac negotiatione lucri reportaſtis, perinde fuit, ac ſi illud in perforatum ſaccum foret immiſſum. * Porrò in ipſa abundantia rerum indiget, qui contra Dei voluntatem opum ſtudet acquiſitioni.]

Qui contra Dei placitū ſtudet opib' acquirendis in ipſa indiget, abundantia.

Verſ. 7. 8. 9. Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras, &c. Iubet Dominus iterum, vt ſtudia veſtra, & eorum euentum recognoſcatis. Si ergo vultis, dicit Dominus, gratum aliquod opus exercitare, Libanum conſcendite, & indè ad Templi fabricam pretioſa ligna comportate. Hoc ego ſtudium lubens accipiam, quia in eo meæ mihi gloriæ ſeruieris. * Dei equidem promouendæ ſtudium impendit quiſquis extruendo, inſtaurando, aut exornando Templo adijcit opus.] *Reſpexiſtis ad amplius, &c.* Cum magnos fructus ex copioſo ſemine iacto expectaretis, multo minus quam putabatis, retuliſtis: & exiguum illud, quod in horreis aſſeruaſtis, pertenuem vobis retulit vſum. Ego enim feci, vt meſſis tota in ſpicas euanidas, & in inanes abiret ſtipulas. Huius verò laboris inutilis ea eſt cauſa: quia quilibet è populo ſuam potius captat commoditatem, quam gloriæ meæ incrementum; domui enim ſuæ exædificandæ aſſiduam, ac hilarem nauat operam: interim domus mea quaſi vile aliquid foret, deſerta relinquitur. * Vndè exiſtimas Regnis famem, inopiam, reliquaque incommoda prouenire? Planè quia à Dei Eccleſia ſeu Eccleſiaſticis tributa tanquam à ſæculari plebe exiguntur. Si

Dei promouet gloriam, qui Templo ornādo opus impendit.

Principes efficiūtur inopia cū Eccleſiam efficiunt tributariam.

indiget Dei Templum ſacerrimum, quomodò ab irato Numine Principes potientur abundantia?]

Verſ. 10. 11. Propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cæli, &c. Propter hoc prohibitus eſt benignus cælorum influxus, ne terram irrigaret, quo homo familiæ alendæ ex agro ſubſidia colligeret: & quo campus herbeſcens pecudi, atque armento pabula præpararet. *Et vocaui ſiccitatem ſuper terram, &c.* Hanc ergò ob cauſam ſterilitatem induxi terræ, & montibus: terræ quidem nè habeat, quo homines paſcat: montibus, vt pecudum ac pecorum fami ſuccurrere non valeant.

Verſ. 12. Et audiuit Zorobabel filius Salatiel, & Ieſus filius Ioſedec Sacerdos magnus, &c. Audierunt hæc Aggæi monita, ac præſcripta, quæ à Deo acceperat, vt illis aperiret Zorobabel filius Salatielis, & IESVS Pontifex. Tunc verò populus concuſſus eſt timore, nè à Domino grauius aliquod infortunium acciperet. Dicit Aggæus, hæc monita Zorobabelem, & Ieſum audiiſſe, nec addit etiam audiſſe populum: cum illis multi alij aderant è plebe, vt Doctores affirmant. * Cur autem annotans populum affectum fuiſſe timore, verba Prophetæ cum audiret, non idem de Principe Zorobabele, ac IESV Pontifice affirmauit? Certè quià dum illum populi expoſuit timorem, eodem fuiſſe Principes affectos aſſeruit. Ad affectum enim Principum ſuos ſubditi mores componere aſſolent.] 2.

Pij procerum monitis Prophetæ obſequuntur.

Ad affectum Principū ſubditi ſuos mores componunt.

Verſ. 13. 14. Et dixit Aggæus nuncius Domini, &c. Aggæus Dei legatus, de nunciis, ac mandatis multis, quæ à Domino acceperat, hoc ad populum protulit, quo Deus dicebat, ſe in Templi fabrica cum populo patronum, & auſpicem futurum. *Et ſuſcitauit Dominus ſpiritum Zorobabel, &c.* Hac tàm grata promiſſione, excitauit Deus, confirmauitque animos ducis Zorobabelis, & Sacerdotis IESV, ac totius Iudæorum populi. Quare accinxere ſe ad præclari operis celerem extructionem: & cum menſe ſexto, & eius prima die ad ſtudium illud Propheta populum fuiſſet adhortatus, eiuſdem menſis *Elul* (qui noſtro partim Auguſto, partim Septembri reſpondet) die vigeſima quarta interruptum iam pridem opus abſoluere tentauerunt. * Ea recolens verba, *ſuſcitauit Dominus ſpiritum Zorobabel, &c.* cum videris, aliquem Templo extruendo, reficiendo, aut ornando ſtudium impendere, crede eius procul dubio ſpiritum à Deo eſſe excitatum. Huiuſmodi enim opera cæleſti ſunt gratiſſima Numini, nec ſine eius ſuſcitatione exercentur.]

Gratum admodùm Deo eſt, quodlibet circà Tēpli ornatum ſtudium.

CAPVT II.

Vt Iudæos fortius alliciat ad Templi inſtaurationem, promittit, maiorem fore Templi iſtius gloriam, quam fuerat primi à Salomone conſtructi, eo quod in Templo inſtaurato docturus erat Chriſtus, miraculaque excitaturus. Eis qui illicò eius inſtaurationi operam dederint, omnium bonorum offert ex Dei nomine profluentiam.

1. IN die vigeſima & quarta menſis, in ſexto menſe, in anno ſe-
cundo Darij regis. 2. In ſeptimo menſe, vigeſima & pri-
ma menſis, factum eſt verbum Domini in manu Aggæi, pro-
phetæ dicens: 3. Loquere ad Zorobabel filium Salathiel
ducem Iuda, & ad Ieſum filium Ioſedec ſacerdotem mag-
num, & ad reliquos populi, dicens. 4. Quis in vobis eſt de-
relictus, qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima? & quid
vos videtis hanc nunc? numquid non ita eſt, quaſi non ſit in oculis veſtris? 5. Et
nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus: & confortare Ieſu fili Ioſedec ſacer-
dos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum, & fa-
cite (quoniam ego vobiſcum ſum, dicit Dominus exercituum) 6. Verbum quod
pepigi vobiſcum cùm egrederemini de Terra Ægypti: & ſpiritus meus erit in me-
dio veſtrum, nolite timere. 7. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc
vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam.
8. Et mouebo omnes Gentes: ET VENIET DESIDERATVS cunctis Gen-
tibus: & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. 9. Meum eſt
argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum. 10. Magna erit glo-
ria domus iſtius nouiſſimæ plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco
iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. 11. In vigeſima & quarta noni men-
ſis, in anno ſecundo Darij regis, factum eſt verbum Domini ad Aggæum prophe-
tam, dicens. 12. Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga ſacerdotes legem,
dicens: 13. Si tulerit homo carnem ſanctificatam in ora veſtimenti ſui, & teti-
gerit de ſummitate eius panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut om-
nem cibum: numquid ſanctificabitur? Reſpondentes autem ſacerdotes, dixerunt:
Non. 14. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, nun-
quid contaminabitur? Et reſponderunt ſacerdotes, & dixerunt: Contaminabitur.
15. Et reſpondit Aggæus, & dixit: Sic populus iſte, & ſic gens iſta ante faciem
meam, dicit Dominus, & ſic omne opus manuum eorum: & omnia quæ obtulerunt
ibi: contaminata erunt. 16. Et nunc ponite corda veſtra à die hac & ſuprà, ante-
quam poneretur lapis ſuper lapidem in templo Domini. 17. Cùm accederetis
ad aceruum viginti modiorum, & fierent decem, & intraretis ad torcular, vt expri-
meretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti. 18. Percuſſi vos vento vrente, &
aurugine, & grandine omnia opera manuum veſtrarum: & non fuit in vobis, qui
reuerteretur ad me, dicit Dominus. 19. Ponite corda veſtra ex die iſta, & in futu-
rum, à die vigeſima & quarta noni menſis: à die, qua fundamenta facta ſunt tem-
pli Domini, ponite ſuper cor veſtrum. 20. Numquid iam ſemen in germine eſt: &
adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum oliuæ non floruit? ex die iſta
benedicam. 21. Et factum eſt verbum Domini ſecundò ad Aggæum in vigeſima
& quarta menſis, dicens: 22. Loquere ad Zorobabel ducem Iuda, dicens: Ego
mouebo cœlum pariter & terram. 23. Et ſubuertam ſolium regnorum, & contc-
ram fortitudinem regni Gentium: & ſubuertam quadrigam, & aſcenſorem eius:
& deſcendent equi, & aſcenſores eorum: vir in gladio fratres ſui. 24. In die illa,
dicit Dominus exercituum, aſſumam te Zorobabel fili Salathiel ſerue meus,
dicit Dominus: & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi, dicit Dominus
exercituum.

COMMEN

COMMENTARII.

Promittit futuram Templi inſtaurandi gloriam, futuram maiorē, quàm fuit Salomonis tempore.

1. VERS. 1.2.3. *In die vigeſima, &c.* In die vigeſima quarta menſis ſexti, cœperunt Iudæi aggredi Templi inſtaurationem. Pendent hoc verba à fine præcedentis capitis. Menſe autem ſeptimo, qui eſt Septēber, & die illius vigeſima prima, hoc verbum rurſus à Domino ad populum Aggæus accepit. Loquere (ait Dominus ad Aggæum) & meo nomine dic Zorobabeli Salatielis filio Iudæorum duci, & Ieſu Sacerdoti magno, & populo reliquo in hæc verba: *Quis in vobis eſt derelictus, qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima? & quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita eſt quaſi non ſit in oculis veſtris?* Quis eſt inter vos ex illa captiuorum multitudine reliquus, qui ex hac Vrbe abducti à Chaldæis fuere: quis, inquam, eſt, qui domum iſtam Dei à Salomone prius ædificatam in ſua maieſtate, ac ſplendore licuit intueri? O qualem nunc vos præſentem intuemini? Annon eiuſmodi eſt, vt cum ſuperiori compoſita nihili inſtar videatur?

Verſ. 4.5. Et nunc confortare Zorobabel. &c. O Zorobabel populi Princeps & dux: & tu Iesv fili Ioſedec Sacerdos magne: & vos denique quotquot eſtis in populari multitudine, in opus hoc ſacrum conſtanter incumbite; vobis res ex votis ſuccedet. Ego enim qui Dominus ſum exercituum bellator, & fortis, nuſquam abero, cuius conſiliis nulla hominum audacia repugnabit impune. * Hoc habent opera, quæ in Dei exercentur obſequium: Deum ſemper protectorem habent, vt ex vobis ſuccedant. *Verbum, quod pepigi vobiſcum, &c.* Confortamini iterum: ego enim implebo promiſſum quod à me accepiſtis, cum excuſſo Ægyptiorum iugo, & de illorum finibus egreſſi viæ ne ducem habuiſtis. Ego, inquam, vobiſcum adero, neque à vobis, dum Templi mei fabricæ operam dederitis, ſtudium mittam. Timorem igitur omnem procul abiicite. Profectò vnus fermè menſis fuerat elapſus, ex quo populus ad pertexendam Templi fabricam animum adiecerat, in quam incubuiſſe ſtrenuè videbatur. Attamen rurſus aliud Propheta mandatum perfert à Domino, quo magis accendat, ac confirmet animos, quos ab opere moleſta quædam cogitatio tardabat: nempè cum viderent opus illud, quod moliebantur quam longiſſimè abeſſe ab eo, quod Salomon multis antè ſæculis regiis planè ſumptibus excitarat.* Languentes igitur animos iterum Aggæus accendere ſtudet. Vnde colligo ſacri verbi iterationem neceſſariam eſſe ad virtutis opera perſuadenda, & confirmanda. Ideò Apoſtolus egregius Prædicator, *Argue*, inquit, obſecra *opportunè, importunè.* Importunitas enim ſeu frequens iteratio ſermonum opportuna eſt ad ſtabilem morum compoſitionem.]

Pia opera, vt ſuccedant ex votis, Deum ſemper protectorem habent.

Neceſſaria eſt frequens Concionum iteratio ad ſtabilē morum auditoris compoſitionem.

Verſ. 6.7.8. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc vnum modicum eſt, &c. Adhuc ego ſemel idque breuiter, ait Dominus, efficiam, vt in cælo, & in terra graues ſint rerum motus; & in mari, lociſque, quæ extant è pelago, magna mutatio. *Et mouebo omnes Gentes, &c.* Tunc verò cum magna præceſſerit omnium gentium, populorumque commotio, veniet Meſſias, quem omnium vota, preceſque deſiderant. Et domus hæc, quæ nunc vobis exigua & ex rudi materia perfecta exiſtimatur, propter Meſſiæ præſentiam ſingulari gloria, & ſplendore replebitur. Hæc dicit Dominus, cuius verbis pondus deeſſe non poteſt. * Ediſce hinc, omnes Baſilicas quantumcumque exiguas, & viles aſpectu ex Chriſti Domini in Euchariſtiæ præſentia, adeò diuinis oculis eſſe amplas & magnificas, vt nullarum præſentia Templum Salomonicum poſſit inſtar tugurij reputari.] *Meum eſt argentum & meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum.* Non eſt, quod vos conturbet, quod non ſatis ad tanti operis ſumptus argenti ſit, & auri: nam præterquam quod maiora ſunt Templorum ornamenta, quam quæ ab argento, & auro recipiunt, pietas extruentium, & deuotio: ad præclaram huius Templi fabricam, ad reliquoſque ſumptus & ornamenta, horum quoque vobis copia ſuppetet. Quicquid enim eſt auri, quidquid argenti, id totum meum eſt, & illud libere pro mea diſpenſo voluntate.

Exiguum altare, vbi adeſt Chriſtus in Euchariſtia, Templū Salomonicū longè ſuperat.

Verſ. 9. Magna erit gloria Domus iſtius nouiſſimæ, &c. Multò erit illuſtrior gloria ſecundi Templi, quam eius, quod tanto artificio, & tam profuſis ſumptibus Salomon exædificauit; quia deſideratus gentibus illud ingredietur. Nec eſt cur quicquam ab infenſis vicinorum odiis aduerſum timeatis, qui moram prius, & impedimentum intulere: ego enim vobis pacem indulgebo, ne quis Satan, aut malus occurſus fabricam vt antè remoretur. Prætereà dabo vobis omnem pacem, & proſperitatem per Chriſtum, qui de cælis ſecum illam deuehet in terras, & plena manu effundet: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Ioa. 14. 27.

Verſ. 10.11.12.13.14. In vigeſima & quarta noni menſis, in anno ſecundo Darij Regis, &c. Rurſus anno ſecundo Regis Darij Hiſtaſpis filij, in menſe nono, qui eſt Nouember, & illius die vigeſima quarta, Aggæus Propheta hoc à Deo mandatum accepit. *Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga Sacerdotes legem, dicens, &c.* Sic ad Prophetam Dominus: Interroga ô Aggæe, Sacerdotes de lege, & illos hunc in modum alloquere. Si in veſtis lacinia homo ſanctificatas carnes exceperit: & deinde extrema veſtimenti ora eſculentum aliquid, poculentum vetetigerit, numquid ex illo attactu ſanctum iudicabitur? Sacerdotes autem negatiuè reſponderunt. *Et dixit Aggæus, &c.* Ad quos rurſus Aggæus: ſi pollutus horum aliquid tetigerit, numquid contactu ſuo illud contaminabit? Sacerdotes verò affirmatiuè reſponderunt. Binas itaque quæſtiones Propheta propoſuit Sacerdotibus, vt ex præſcripto legis reſponderent. Prima quæſtio deducitur ex *Leuit.* 6. 27. cui rectè Sacerdotes fecere ſatis. Nam licet caro Deo oblata ſi tangat veſtem, illam ſanctificet, vti lex ſancit: non tamen idcircò veſtis, ſic ſanctificata vim habet vlterius ſanctificandi alias res quas tangit. Secunda quæſtio deducta eſt ex *Num.* 29. 12. & 22. vbi aſſeritur, contaminatum cadaueris contactu contaminare, & immunda reddere, quæcumque tangit. *Et reſpondit Aggæus, & dixit: ſic populus iſte, & ſic gens iſta ante faciem meam, &c.*

Cum autem Sacerdotes affirmaſſent, addidit Propheta: Eodem, inquit Dominus, modo in conſpectu meo populus iſte contaminatus eſt, & manuum ſuarum opus omne contaminat: illa etiam ſacrificia, ac dona, quæ offert, immolatque ad altare. Itaque ô Iudæi & vos, quia immundi fuiſtis ex inobedientia, & contemptu ſacræ fabricæ non potuiſtis ab hoc peccato mundari quibuſcumque victimis Deo oblatis, quin potius eadem inobedientia contaminaſtis omnia alia opera & actiones veſtras, quibus illam inobedientiam fulciebatis, v. gr. fabricam priuatarum ædium veſtrarum, & commodorum veſtrorum procurationes, quibus ſponte vos à ſacra domus meæ fabrica diſtrahebatis. * Inobedientia quidem omne opus non ſolùm indifferens imò, & ex ſe bonum & iuſtum commaculat. Vndè ſi quis contra obedientiæ præſcriptum, oret, concionetur, reliquaque erga proximos miniſteria gerat, contaminata eſſe ab inobedientia, & à Deo minime credat approbari.]

Inobedientia quæcumque opera alias recta contaminat, & reddit immunda.

2\. *Promit bonorum abundantiam Templi renouationis operam nauantibus.*

Verſ. 15. 16. 17. *Et nunc ponite corda veſtra à die hac, &c.* Qualia veſtra dona fuerint, ac victimæ hinc facilè colligere licebit. Renouate ſuperiorem memoriam ab illo die, ex quo interrupta fuit Templi conſtructio, ad illud vſque tempus, in quo incœpta eſt ædificatio: & inuenietis nihil vobis poſt interruptam fabricam ex votis contigiſſe. *Cum accederetis ad aceruum viginti modiorum, &c.* Certè ex aceruo frumenti, ex quo viginti modios expectabatis, decem retuliſtis. Et cum ex torculari exprimendum tantum muſti putaretis, quantum quinquaginta lagenas poſſet implere, nihilo plus inde accepiſtis, quam quod pro viginti lagenarum menſura ſufficeret. *Percuſſi vos vento vrente, &c.* Cum percuſſiſſem vos inopia & fame, dum agros magno labore, ac impendio ſatos vento vehementer noxio, quique vim haberet vrendi: deinde grandine & aurigine corrumperem. At cum tam diù veſtra, ac vos aſſiduis attriuiſſem incommodis, nemo tamen animo ad meliora mutato, fuit ad me conuerſus. * Lapideum eſt cor illud, quod immiſſæ à Deo tribulationes non emolliunt. Siquidem tribulatio probatiſſimum eſt ad conuerſionem hominum medicamen. Vndè quaſi admiratione affectus cœleſtis Medicus, ait: *Et non fuit in vobis* poſt tot laborum ſuſtinentiam, *qui reuerteretur ad me.*]

Tam agnata eſt medicina ad peccatorũ reductionem laborũ preſſura, vt quaſi nimium ſit, illam laboribus ſcũ non conuerti.

Verſ. 18. 19. *Ponite corda veſtra ex die iſta, &c.* Nunc verò à die hac, qua intermiſſum opus cœpit continuari, à die nempè noni menſis vigeſima rerum veſtrarum, atque laborum futuros conſiderate exitus: & ex diſſimili prouentu dignoſcetis, quænam fuerit ſterilitatis præteritæ cauſa. *Numquid iam ſemen in germine eſt, &c.* Vt autem vos ſedulam, ac piam de extruendo Templo curam ſuſcepiſtis, ſic ero quoque ego de veſtra commoditate ſollicitus. Et licet nullum appareat tam in frugibus, quam futuræ fertilitatis indicium, quia neque meſſes germinant, neque arbores florent, ex quo de prouentu futuro ſumi aſſolet coniectura; tamen ex hac die in poſterum labori veſtro benedictio mea fœcunditatem impertitur. * Templorum enim extructores, altariúmve exornatores Deum ſibi debitorem efficiunt: vndè infallibilis erit ſolutio.]

Templorum ſeu altarium ornatores Deum ſibi debitorem efficiunt.

Verſ. 20. 21. 22. 23. *Et factum eſt verbum Domini ſecundo ad Aggæum in vigeſima quarta menſis, dicens:* Rurſus eadem die vigeſima quarta noni menſis, locutus eſt Dominus ad Prophetam hunc in modum: *Loquere ad Zorobabel ducem Iuda dicens, &c.* Loquere ô Aggæe, ad Zorobabel ducem Iuda, & à me hoc illi mandatum perfer. En omnia ô Zorobabel ego cælo, terraque conturbabo. *Et ſubuertam ſolium Regnorum, &c.* Tunc Regum thronos, ſceptraque ſubuertam, & illorum atteram ſpiritus, & vires: perdam currus, & qui eos conſcendit: perdam equos, & qui in illis inequitant. Et eò adducetur animorum diſcordia, vt ipſi etiam fratres mutuo ſe vulnere conficiant. *In die illa, dicit Dominus, exercituum, aſſumam te Zorobabel, &c.* Quo tempore ô Zorobabel, varij caſus gentium agitabunt Imperia, te tamen communis calamitas non attinget: aſſumam enim te, & eximam à communi plaga, Neque à me aliter accipieris, dicit Dominus, quam ſolent illi, quorum ab amicis in ſignatorio annulo exprimuntur imagines.

LIBER QVINTVS. COMMENTARII LITERALES, ET Morales.

ZACHARIAS, MALACHIAS.

PRÆLVSIO.

In vtriuſque Prophetæ nominibus meæ Dominæ myſterium agnoſco. Maria eſt mirabiliũ Dei memoria. Nam ſi *Zacharias* idem eſt Hebræis ac *Memoria Dei*, verè Dei mirabilium memoria eſt *Maria:* quidquid enim ex Dei donis auguſtiſſimis ſparſum eſt Diuis, in vna Maria quaſi in memoriali, ſeu compendio reperitur: vndè à Patribus, à Bonauentura ſpeciatim omnium gratiarum epilogus variis ſimilitudinibus appellatur. Confirmat Deiparæ elogium *Malachias*, qui *Angelus Domini* Hebraïcè dicitur, Maria epilogus Gratiæ. non quidem natura, vt voluere Origenes, & Tertulianus: ſed moribus, & officio. Refert hîc Archangelum Gabrielem, qui Mariam *gratia* plenam aſſeruit. Vt videas aptiſſimè gratiarum epilogum illam me compellaſſe. Mare enim profundiſſimum eſt, (cum Bonauentura loquor) ad quod omnia gratiarum flumina Angelos & homines exundantia profluxére.

ZACHARIAS.

CAPVT PRIMVM.

Iudæos admonet, vt relictis idolis, ob quæ tot ſubiëre incommoda, ad Deum colendum totos ſe dedant. Equis varij coloris variarum Gentium Angeli repræſentantur. Iudæorum iam felicitatem, futuram, iam aduerſa prælapſa videt.

1. IN menſe octauo, in anno ſecundo Darij regis, factum eſt
verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiæ filij Addo,
prophetam, dicens: 2. Iratus eſt Dominus ſuper patres
veſtros iracundia. 3. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus
exercituum: Conuertimini ad me, ait Dominus exerci-
tuum: & conuertar ad vos, dicit Dominus exercituum.
4. Ne ſitis ſicut patres veſtri, ad quod clamabant prophetæ
priores, dicentes: Hæc dicit Dominus exercituum: Conuertimini de viis veſtris
malis, & de cogitationibus veſtris peſſimis, & non audierunt, neque attenderunt
ad me, dicit Dominus. 5. Patres veſtri vbi ſunt: & Prophetæ numquid in ſempi-
ternum

ternum viuent? 6. Verumtamen verba mea, & legitima mea, quæ mandaui ſeruis
meis prophetis: numquid non comprehenderunt patres veſtros, & conuerſi ſunt,
& dixerunt: Sicut cogitauit Dominus exercituum facere nobis ſecundùm vias no-
ſtras, & ſecundùm adinuentiones noſtras, fecit nobis? 7. In die vigeſima & quarta
vndecimi menſis Sabath, in anno ſecundo Darij, factum eſt verbum Domini ad
Zachariam filium Barachiæ, filij Addo, prophetam, dicens: 8. Vidi per noctem,
& ecce vir aſcendens ſuper equum rufum, & ipſe ſtabat inter myrteta, quæ erant in
profundo: & poſt eum equi rufi, varij, & albi: 9. Et dixi: Quid ſunt iſti, Domi-
ne mi? & dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: Ego oſtendam tibi quid ſint
hæc. 10. Et reſpondit vir, qui ſtabat inter myrteta, & dixit: Iſti ſunt, quos
miſit Dominus vt perambulent terram. 11. Et reſponderunt Angelo Domini,
qui ſtabat inter myrteta, & dixerunt: Perambulauimus terram, & ecce omnis ter-
ra habitatur, & quieſcit. 12. Et reſpondit Angelus Domini, & dixit: Domine
exercituum vſquequò tu non miſereberis Ieruſalem, & vrbium Iuda, quibus ira-
tus es? Iſte iam ſeptuageſimus annus eſt. 13. Et reſpondit Dominus Angelo, qui
loquebatur in me verba bona, verba conſolatoria. 14. Et dixit ad me Angelus,
qui loquebatur in me: Clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus
ſum Ieruſalem & Sion zelo magno. 15. Et ira magna ego iraſcor ſuper gentes
opulentas: quia ego iratus ſum parum, ipſi verò adiuuerunt in malum. 16. Pro-
pterea hæc dicit Dominus: Reuertar ad Ieruſalem in miſericordiis: & domus mea
ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum: & perpendiculum extendetur ſuper
Ieruſalem. 17. Adhuc clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc
affluent ciuitates meæ bonis: & conſolabitur adhuc Dominus Sion, & eliget adhuc
Ieruſalem. 18. Et leuaui oculos meos, & vidi, & ecce quatuor cornua. 19. Et
dixi ad Angelum: qui loquebatur in me: Quid ſunt hæc? & dixit ad me: Hæc ſunt
cornua, quæ ventilauerunt Iudam, & Iſraël, & Ieruſalem. 20. Et oſtendit mihi
Dominus quatuor fabros. 21. Et dixi: Quid iſti veniunt facere? Qui ait, di-
cens: Hæc ſunt cornua quæ ventilauerunt Iudam per ſingulos viros, & nemo eorum
leuauit caput ſuum: & venerunt iſti deterrere ea, vt deiiciant cornua gentium, quæ
leuauerunt cornu ſuper terram Iuda vt diſpergerent eam.

COMMENTARII.

1\.

Monet Iudæos, vt abiectis idolis, ſe ad Deum conuertant.

VERS. 1.2. *In menſe octauo, &c.* In menſe octauo, (qui & Marcheſuam) anno ſecundo Darij Hiſtaſpis Regis Perſarum, Zacharias filius Barachiæ, nepos Addo Dominum ad ſe his verbis loquentem audiuit: Grauiter ego dominus in patres veſtros ſum indignatus. *Hæc dicit Dominus exercituum.* Hæc ergo meo ex nomine ô Zacharia, ad eorum filios annunciabis. Quinam *Addo*, cuius nepos dicitur Zacharias? Porrò ſi fuit ille Addo, qui chronica Regum Iuda ſcripſit 2. *Paral.* 13.15. & Ieroboamo ob erectos vitulos aureos prædixit interitum 3. *Reg.* 13. 1. non potuit eſſe auus noſtri Zachariæ, ſed ſextus vt minimum attauus illius. Probabilius putarim non fuiſſe eumdem, ſed alium ipſi cognominem.

Verſ. 3.4. Conuertimini ad me, &c. Conuertimini ad me dicit potens, & bellator Deus: & ego conuertar ad vos: dicit idem Dominus bellator, & potens, ad vos debellandos, & exitio addicendos.* Vndè colliges ineffabilem diuinæ benignitatis affectum, qui eis minimè indigens, & potens illos tunc inimicos omninò delere, æternæque damnationi tradere, eos rogat. & allicere ad ſui amicitiam paterno procurat affectu.] Cauete, ait, ne parentum veſtrorum ſequamini inſaniam, ad quos eadem fiebant Prophetarum verba, qui in nomine Dei exercituum in eumdem omninò modum ſic clamabant: Relinquite, quam ingreſſi eſtis ſceleratam viam, & ad me conuertimini. Concionis itaque Dei hoc argumentum: *Conuertimini ad me.* Concionator verus Zacharias hoc eodem vtitur: *Conuertimini ad me.* * Vt ediſcas argumenta concionum, quæ ad peccatorum conuerſionem, & correctionem morum non diriguntur, minimè eſſe a Domino, nec poſſe ſacrum Præconem adiicere: Hæc *ait Dominus exercituum*] Neque tamen (addit) audierunt me admonentem benignè, aut dignum exiſtimarunt, ad quem oculos, ac mentem conuerterent, dicit Dominus.

Ineffabilis Dei in peccatores pietas.

Verus Concionator eſt, qui nulla argumenta ingeris in Concione, quæ ad peccatorum conuerſionem non pertineat.

Verſ. 5.6. Patres veſtri vbi ſunt, &c. Vbi ſunt ſtulti illi parentes veſtri, qui cum riſu verba mea excipiebant? Vbi ſunt Prophetæ, qui vobis vera licet dura prædixere? Iam tempus aderit, in quo prophetia vera per tempora longa ſilebit. Prophetæ enim illi iam obiére: & qui vos nunc admonent, in æternum non viuent. Quare dum licet, audite nunc Prophetarum oracula. * Magno ſupplicio iratus propter ſcelera Deus veros Concionatores è viuis abſtrahit.] *Verùmtamen verba mea, & legitima mea quæ mandaui ſeruis meis Prophetis, nunquid nõ comprehenderunt patres veſtros, &c.* Defecerunt iam parentes veſtri, qui nullum ineſſe pondus Prophetarũ putabant oraculis; experti iam magno ſuo incommodo veriſſima eſſe, quæ à me ipſis minaci Prophetarum voce fuere prædicta. Et iam in mediis malis deprehenſi, qui cæci in proſperitate fuerunt, ad mentem meliorem

Magno ſupplicio Deus veros Concionatores è viuis abſtrahit.

traducti

traducti vexatione, heù nimis ſerò dixere : En iuſtè à Domino ſæuiente patimur quod iuſtè noſtra veſana conſilia io noſtrum caput facienda decreuerat.

2. *Verſ.7.8. In die vigeſima quarta vndecimi menſis Sabath,&c.* In vigeſima quarta die menſis vndecimi,qui & Sabath;tertio ſcilicet menſe poſt priorem viſionem, anno ſecundo Darij Perſarum factum eſt verbum Domini Zachariam filium Barachiæ nepotem Addo inſtruens. *Vidi per noctem, &c.* Quaſi in Babylone degerem, vt anteà captiuus, per noctem videbar mihi videre virum ruſo equo inſidentem in profundo fluminis inter myrtos, quæ vtramque fluminis ripam coronabant : & eodem in loco poſt illum alios qui équis ruſis, maculoſis, & albis vehebantur. Viſio hæc deſignat Babiloniam adiacentem Euphrati, & Tigri. Inde enim S Michael Iudæorum partem aliquam eduxerat nuper ſub Cyro : & partem aliam paulo poſt deducturus iam venit. Michaelem ſequuntur multi alij equi & equites, quidam *ruſi*, nempè Angeli præſides Gentium ſanguinolentarum infeſtarum Iudæis, puta Chaldæorum, Aſſyriorum, Samaritanorum, &c. quidam *albi* præſides Gentium pacificarum, & amicarum Iudæis, nempè Perſarum, & Medorum : reliqui varij coloris præſides Gentium nunc bene, nunc malè Iudæis affectarum,quales erant Ægyptij, Tyrij, Sidonij, Syri, & alij ſimiles. * Vt Angelorum cuſtodum ponderes charitatem, quorum affectus hominum, quos cuſtodiunt ita fortunæ accomodatur, vt mœroris, aut lætitiæ colorem aſſumat.]

Equis varij coloris Angeli tutelares Nationum figurantur.

Angelus cuſtos hominis,quem cuſtodit triſti, aut læto induitur colore.

Verſ.9.10. Et dixi: Quid ſunt iſti, &c. Tunc ad Angelum cuſtodem meum qui in me loquebatur, quique mihi dux futurus erat, & Magiſter dixi : Domine mi, iſti, qui equeſtres veniunt, quinam ſunt ? Angelus autem reſpondit : Nihil te iſta cura, ô Zacharia conturbet audi tu attentè, & vide, quæ dicuntur, ac fiunt,mei muneris erit præſtare,vt tu hæc clarè & ſine errore dignoſcas. * Ad ea, quæ ad ſpiritum attinent dignoſcenda,ne error miſceatur, Angelum cuſtodem tibi adhibe conſiliarium.] *Et reſpondit vir, qui ſtabat inter myrteta, &c.* Tunc verò qui inter myrtera mihi primus apparuit morem gerens Angelo mei cuſtodi reſpondit ſatis quidem obſcurè, ita vt neceſſaria mihi fuerit poſtea lux ab Angelo qui familiaris mihi hærebat, dixit itaque : Hi: quos ruſis, verſicoloribus, albiſque equis conſpicis inſidere, ſunt quibus Dominus id negotij iniunxit, vt vniuerſam terram luſtrarent.

Angelum cuſtodē conſiliarium adhibe ad ea, quæ ad ſpiritum attinent, ne adſit error.

3. *Verſ.11.12. Et reſponderunt Angelo Domini, &c.* Illi verò equites præſides prouinciarum, quibus mandatum erat, vt terram obirent, dixerunt Archangelo Michaeli, qui ſe mihi inter myrtas obtulerat : præſtitiſſe ſe quod ſibi à Deo iniunctum eſſet negotij : quare luſtra tam eſſe terram, omnemque ſine vllo bellorum motu pacatè inhabitari : neque iam amplius regiones illas Gentium contra Iudæam quondam ſibi inimicam quidquam moliri. *Et reſpondit Angelus Domini, &c.* Audiens autem Angelus meus cuſtos, habitari omnia, eſſeque pacata, & videns rem Iudaicam multis modis vbicumque turbari, ſic eſt ad Dominum locutus (viſio enim iam equeſtris receſſerat:) Domine exercituum, ſi pacata ſunt omnia, ſi alij populi quiete fruuntur : cur te non miſeret, Ieruſalem, & aliarum Iudæ ciuitatum, quæ deſertæ ſunt, & à vicinis hoſtibus quotidie tentantur ? En ſeptuageſimus voluitur annus ex quo Vrbe, & Templo iam omnino caremus : quæ exuſta atque euerſa fuere ſub Rege Sedecia decimo nono anno poſt quam res Iudaica perire cœpit. * Rogat itaque Angelus, Cur Gentilibus pace fruentibus Iudæi mille affliguntur incommodis ? Cui reſpundere poſſem, quod ipſi eſt ſatis compertum. Nempè ex Deo irato pacem impiorum Gentilium procedere : ex benigno autem piorum afflictiones ortum ducere ; his enim purgatur à vitiis animus, & ad virtutis opera roboratur.] Dominum autem reſpondentem audiamus.

Iudæorum aduerſa prælapſa recenſet, proſpera futura prænunciat.

Deus iratus ſolet peccatores donare pace,& benignus iuſtos afflictione torquere.

Verſ. 13. 14. 15. Et reſpondit Dominus Angelo, &c. Reſpondit Dominus Angelo qui intra me loquebatur, verba ad leniendum Iudaicæ gentis dolorem opportuna. Quæ vt ego ad populum clara voce referrem. Angelus imperauit. *Hæc dicit Dominus exercituum : Zelatus ſum Ieruſalem, &c.* Vehementer, ait Dominus, me populi mei dolor tangit, & ad furorem inflammat contra Gentes,quæ ſibi in illos,pluſquam à me conceſſum eſt,iuris, & crudelitatis abſumpſere. Ego enim vt pater licet ſeuerè, modicè tamen pro meritis populo meo ſuccenſui : & vt medicus optimus ſolum curans illorum morbo medicinam adhibere. At illi, qui mei benigni conſilij miniſtri ac adiutores eſſe debuerunt, hoſtili prorſus animo ad ea incommoda, quæ ego præſcripſi plurima alia addidere, à quibus paternus animus abſtinuiſſet, & qui mei conſilij potius vellet miniſter eſſe, quam ſuo furori ſatisfacere. * Diſcant hinc Iudices, quibus Deus reorum ſcelera puniendi ius tradidit, paterna illius benignitate vti, cuius conſilij facti ſunt coadiutores.]

Iudices in reis puniendis, Dei paternam benignitatem æmulentur.

Verſ.16. 17. Propterea hæc dicit Dominus, &c Quia ergo populus durè eſt vexatus, propterea hæc dicit Dominus : ſicut offenſus viſus fui à Ieroſolyma recedere : Sic etiam miſericors ad illam reuertar. Efficiamque vt domus mea in ipſa rurſum inſtauretur, extendaturque perpendiculum ſuper Ieruſalem, vt non temerè & raptim, ſed ex arte, atque quietè ædificetur. *Adhuc clama dicens, &c.* Iuſſus ſum ab Angelo rurſus nomine Domini exercituum clamare : Vt antè excidium Ieruſalem, populique exilium, Ciuitates omnium rerum abundantia diffluebant, vtpotè à Domino electæ : ſic etiam rurſum affluentibus abundantia Ciuitatibus, Dominus Sion conſolabitur, & eliger adhuc Ieroſolymam ad illum decorem, & gloriam, quàm priori obtinuerat in ſtatu. * Et quandonam afflictio à Domino immiſſa ad peccatoris reductionem, non fuit proximæ felicitatis indicamentum?]

Afflictio à Deo immiſſa, proximè felicitatis ſolet eſſe documentum.

Verſ.18.19. Et leuaui oculos meos, &c. Iterum cum oculos eleuarem, oblata eſt mihi ſpecies altera plena conſolationis. Videre enim videbar cornua quatuor. *Et dixi ad Angelum, &c.* Interrogatus à me Angelus, qui mecum loquebatur, reſpondit, quatuor illa cornua quatuor eſſe nationes, quæ ad illum vſque articulum variè & durè Dei populum fuére inſectatæ. Exiſtimo quatuor cornibus (veriſimiliter fer-

ſeis) ſignificari non quatuor Monarchias vt volunt nonnulli, ſed vniuerſim omnes populos ex quatuor orbis gregis, qui tam duas, quam decem Tribus bellis attriuere: puta Ammonitas, & Moabitas ab Oriente: Philiſthæos ab Occidente: Idumæos, & Ægyptios à Meridie: Aſſyrios, & Chaldæos ab Aquilone.

Verſ. 20. 21. Et oſtendit mihi Dominus quatuor fabros, &c. Poſtquam mihi obiectum fuit illud quatuor cornuum ſpectrum, alterum totidem fabrorum occurrit. Tunc vero Angelus interrogatus reſpondit. *Qui ait dicens: Hæc ſunt cornua, &c.* A quatuor cornibus ſeu à nationibus ex quatuor mundi plagis irruentibus ſic ventilatus eſt populus meus, vt nemo, his vrgentibus cornibus, caput leuarit. Nunc verò à Domino immiſſi ſunt hi fabri, (ferrarij quidem) qui cornibus illis ferreis vim ac poteſtatem adimant, & conterant Gentes, quæ vt diſpergerent populum cornu leuauerunt. Quatuor fabros Angelos Iudææ tutelares eſſe crediderim. His verò Symbolis deſignari, ſublatum iri hoſtibus Iudæorum vires omnes ad impediendam Templi, Ieroſolymæ & reliquarum Iudææ Vrbium inſtaurationem: quod ex cap. ſequenti manifeſtè colligitur.

CAPVT II.

Funiculo menſorio Angelus Ieroſolymam inſtaurandam mox à Zorobabele & Nehemia immenſa ferè amplitudine metitur à magna admodum Iudæorum multitudine habitandam. Ideò Iudæos in Chaldæa reliquos, nec auſos metu vicinorum hoſtium in patriam redire, inuitat, vt audacter eò ſe transferant.

1. ET leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir, & in manu eius
funiculus menſorum. 2. Et dixi: Quò tu vadis? Et dixit
ad me: Vt metiar Ieruſalem, & videam quanta ſit latitudo
eius, & quanta longitudo eius. 3. Et ecce angelus, qui
loquebatur in me, egrediebatur, & angelus alius egrediebatur in occurſum eius. 4. Et dixit ad eum: Curre, loquere
ad puerum iſtum, dicens: Abſque muro habitabitur Ieruſalem, præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius. 5. Et ego ero ei,
ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloria ero in medio eius. 6. O, ô fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus: quoniam in quattuor ventos cæli diſperſi
vos, dicit Dominus. 7. O Sion, fuge quæ habitas apud filiam Babylonis: 8. quia
hæc dicit Dominus exercituum: Poſt gloriam miſit me ad gentes, quæ ſpoliauerunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei: 9. quia ecce ego leuo manum meam ſuper eos, & erunt prædæ his, qui ſeruiebant ſibi: & cognoſcetis
quia Dominus exercituum miſit me. 10. Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego
venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. 11. Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: &
ſcies quia Dominus exercituum miſit me ad te. 12. Et poſſidebit Dominus Iudam
partem ſuam in terra ſanctificata: & eliget adhuc Ieruſalem. 13. Sileat omnis caro
à facie Domini: quia conſurrexit de habitaculo ſancto ſuo.

COMMENTARII.

1. *Funiculo menſorio Angelus Ieroſolymam inſtaurandam premittit.*

VERS. 1. 2. *Et leuaui oculos meos, &c.* Eleuans oculos vidi Angelum Michaëlem viri forma cum funiculo, quo aſſolēt Architecti longitudinem ac latitudinem ædificiorum dimetiri, an iuſta ſit partium omnium ſymmetria & proportio. Hoc Symbolo innuebat Michaël, ſe iam accingi ad inſtaurandam Ieroſolymam, & reliquas Iudææ Ciuitates. *Et dixi: Quo tu vadis?* Rogatus autem à me vir ille, quo tenderet, reſpondit, ſibi metiendam eſſe Ieroſolymam, explorandúmque funiculo, quanta eſſet longitudo, ac latitudo regiæ illius Ciuitatis. * Archangelus ſapientiſſimus, prius quam operi manus adhibeat, præmittit funiculi menſorij directionem: vt nos edoceat qui ſeduci facile poſſumus, nullum opus inire, ſine funiculi prudentiæ directione.] *Nullū opus incundum ſine pieuia prudētiæ directione.*

Verſ. 3. 4. 5. Et ecce Angelus, &c. Angelus verò mihi familiaris cuſtos ſcilicet, egredi viſus eſt à meo latere: cui Angelus ſuperior Michaël occurrit, à quo Angelus, qui loquebatur in me, nec à me recedebat, mandatum accepit, vt me his verbis doceret, & inſtrueret: *Et dixit ad eum curre, &c.* Dixit itaque Michaël: Redi ô cuſtus Zachariæ, ad eum, cui hunc in modum loqueris: Adeſt iam tempus longè benignius Solymitanæ Vrbi,

bi, quæ ſic ciuibus, & iumentis abundabit, vt cum tantam multitudinem murorum nequeat ambitus continere, extrà mœnia quantumuis lata plurimi cogantur habitare. *Et ego eroei, ait Dominus, murus in circuitu, &c.* Neque illis, quibus extrà mœnia habitare continget, ab hoſtium vi, atque inſidiis timendum eſt aliquid; ego enim illis pro muro aduerſus hoſtium vim oppoſitus, non ſolùm tutos, ſed & glorioſos præſtabo: & in medio populi glorioſus ero. * Et quidem Deus tùm maximè glorioſus oſtenditur, cum ſuos protegit, & honorat.]

Tunc Deus maxime oſtenditur glorioſus, cum ſuos protegit.

Verſ.6.7.8. O ò fugi te de terra Aquilonis, &c. Igitur cum omnia iam expedita ſunt ad reditum, & propè eſt, vt in patrio ſolo pacificè, & commodè degatis. O vos, qui in babylone durum traxiſtis exilium, fugite. Quoniam ſi Babylone ſubſtiteritis, ex nunc diuino decreto meo in quatuor ventos cæli, ſeu in omnes orbis prouincias diſperſi vos, te ipſa ſuo tempore diſperſurus. Expugnata enim per Darium Hiſtaſpis Babylone iam iterum rebelli (quod facto biennio poſt hanc Zachariæ prophetiam, nempe quarto anno Darij, induſtria Zopyri ſeipſum mutilantis, & ad obſeſſos transfugientis, vt narrat Iuſtinus *lib.1.*) vos Iudæi quoque iſtic deprehenſi, diſpergemini, & quaſi ſocij rebellium mulctabimini; atque vt minimum, in nouum trahemini exilium, nouaque captiuitate daprimemini. * Et quidem qui è loco, vbi captiuus ſpiritualiter extitit non illicò fugit, nouam trahet animi captiuitatem.] *& Sion, fuge, &c.* Propterea, inquam, Sion, de Babylone propterea, Domino iterùm atque iterùm iubente, Dominus exercituum (dixit Angelus meus cuſtos, Michaëlis nomine) id mihi negotij dedit, vt poſtquam te ô Sion, in tuam ſedem reuocatam glorioſam reddidero, cogitationem meam, atque vires conuertam ad perdendas Gentes, à quibus vexata, & ſpoliata fuiſti. Tam enim te Dominus diligit, vt compungi putet pupillam oculorum ſuorum ab eo, qui aliqua ratione ta

2\. Hortatur Iudæos exules ad patriã ſine mora redire.

Qui è loco, vbi captiuus fuit animus, nõ fugit, nouã trahet captiuitatem.

violauerit. * Hæc porrò Dei in nos ineffabilis charitas nos edocet, vt quoties viderimus aliquod contra Deum ſcelus patrari, quod quidem eum dirè quodammodo tangit, in pupilla oculorum nobis illud ſit vulnus, vt ex compaſſione lacrymas profundamus.]

Quodlibet peccatum ab aliis cõmiſſum nobis ſit vulnus in pupilla oculorum.

Verſ.9.10. Quia ecce ego leuo manum meam ſuper eos, &c. Ego enim iam leuo manum meam in Gentes tibi hactenus infenſas: breuique efficiam, vt prædæ tibi ſint, qui multiplicem à te prædam abſtulere. Tunc autem (addit Propheta) ô Sion cognoſces, miſſum me à Deo fuiſſe, cum proximus rerum prædictarum euentus fidem facturus ſit certam meæ promiſſionis. *Lauda & lætare Sion, &c.* Lauda ergo ô Sion, diuinam in te benignitatem; & exulta. Quià dicit Dominus: Ecce ego ad te clemens redeo, vt habitem, ſicut olim antè captiuitatem, in medio tui. * Deo à te ob crimina recidente, plora; ad te ob pœnitentiam reuertente, exulta; peccatum mœror, gratiam lætitia comitatur.]

Peccatum mœror, gratiam lætitia comitatur.

Verſ. 11.12.13. Et applicabuntur Gentes multa ad Dominum, &c. Magni fient ad te vndecumque Gentium concurſus; quas ego tanquam meum mihi populum amplectar. Et iterum, atque iterum affirmo, in medio tui futurum mihi eſſe domicilium. Et tunc ſcies ô Sion; (adiicit Michæas) eſſe me à Domino immiſſum. *Et poſſidebit Dominus Iudam, &c.* Poſſidebit Dominus Iudæam populum ſibi vt quondam, ſic etiam nunc è multis electum. Non vt hactenus in Babylone terra execrabili cum ignominia: Sed in Ieroſolyma multis à ſe modis ſanctificata, cum gloria. *Sileat omnis caro à facie Domini, &c.* Paueat ergo omnis caro Deum, quia ipſe in medio populi habitat: & ex medio populi bellator aſſurget contra eos, qui aut ipſi, aut eius populo hoſtes eſſe voluerint. * Qui timet ab hoſtibus diuexari, ſi à ſe per ſcelus Dominum ablegauit, ad ſe per pœnitentiam rurſum alliciat. Bellator enim veniet, ſi redit amicus.]

Cum Deus ad peccatorẽ pœnitentem amicus redit, ſimul bellator ad eius protectionẽ oſtenditur.

CAPVT III.

Ieſum Ioſedec filium iubet Angelus pontificiis veſtibus indui, vt cultum diuinum inſtauret. Eidem Orientem, id eſt, Chriſtum promittit æternum futurum nouæ Eccleſiæ Pontificem.

1\. ET oſtendit mihi Dominus Ieſum Sacerdotem magnum ſtan-
tem coram angelo Domini: & ſatan ſtabat à dextris eius vt
aduerſaretur ei. 2. Et dixit Dominus ad ſatan: Increpet
Dominus in te ſatan: & increpet Dominus in te, qui elegit
Ieruſalem: numquid non iſte torris eſt erutus de igne? 3. Et
Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciem an-
geli. 4. Qui reſpondit, & ait ad eos qui ſtabant coram ſe,
dicens: Auferte veſtimenta ſordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abſtuli à te Ini-
quitatem tuam, & Indui te mutatoriis. 5. Et dixit: Ponite cidarim mundam ſu-
per caput eius. Et poſuerunt cidarim mundam ſuper caput eius, & induerunt eum
veſtibus: & Angelus Domini ſtabat. 6. Et conteſtabatur Angelus Domini Ie-
ſum, dicens: 7. Hæc dicit Dominus exercituum: Si in viis meis ambulaueris, &

cuſtodiam meam cuſtodieris : tu quoque iudicabis domum meam, & cuſtodies atria mea, & dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic aſſiſtunt. 8. Audi Ieſu ſacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes ſunt. ecce enim ego ADDVCAM SERVVM MEVM ORIENTEM. 9. Quia ecce lapis, quem dedi coram Ieſu : ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt : ecce ego cælabo ſculpturam eius, ait Dominus exercituum : & auferam iniquitatem terræ illius in die vna. 10. In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum ſuum ſubter vitem, & ſubter ficum.

COMMENTARII.

2.

Michaël iubet Ieſum pōtificẽ vestibus indui, vt Templum inſtauret.

VERS. 1. *Et oſtendit mihi Dominus Ieſum Sacerdotem, &c.* Oſtendit Dominus mihi viſionem aliam communi Iudæorum ſolatio ſeruientem. Nempè Ieſum Sacerdotem filium Ioſedech, qui reus aſtabat coram Angelo, qui diuinam referens perſonam, agebat Iudicem, cui quidem IESV vt aduerſaretur, Satan à dextris aderant. Reum dixi Ieſum tribunali adſtare : cuiusnam quæſietis peccati? An iniquitas erat populi, quam portare Sacerdos debet, ſicut portat filiorum Iſraël nomina? Si hoc dicamus, nihil ab Scripturæ vſu dicemus alienum. * Certè peccata ſubditorum Præſuli attribuuntur.] Attamen aſſeruerim etiam peccata propria huius Sacerdotis fuiſſe; quia vt ex Aggæo conſtat, peccarat populus, neque exigua pars culpæ ad Sacerdotem pertinebat, cum populum à peccatis corrigere debuiſſet. * Prælatus non taxans ſubditorum ſcelera, reus eorum eſſe dicitur] Accedit, quòd Eſdræ *lib. 1. cap.* 10. filij IESV Sacerdotis narrantur vxores alienigenas duxiſſe : imò idem geſſiſſe quoque iſtum IESVM, Doctores affirmant. Quaſi parens filiis dediſſet huius tranſgreſſionis exemplum. * Grauiſſimè taxandi parentes, qui incautè in filiorum conſpectu delinquunt : cum filij iniqui ſit frequens (inepta licet) excuſatio, ſe à parente didiciſſe.]

Peccata ſubditorum Præſuli attribuuntur.

Subditorum ſcelerus reus eſt prælatus, qui eos non corripit.

Grauiſſimè taxandi parentes, qui in filiorum cōſpectu delinquunt.

Verſ. 2. Et dixit Dominus ad Satan, &c. Cum Satan cauſam vrgeret, & Ieſum Sacerdotem premeret vehementer, neque fas eſſe diceret, Ieroſolymam inſtaurari, cum peccatum populi, cuius perſonam gerebat Sacerdos, nondum fuiſſet expiatum : Angelus reſpondit : Increpet te Dominus Satan, quando tam inique Sacerdotem increpas : te, inquam, Dominus increpet, qui Ieruſalem contra cuius fabricam tantoperè niteris, ſibi ex omnibus elegit. An aliquid prætereà pœnarum expetendum putas ab infelici populo, ac Sacerdote : neque ſatis arbitraris dediſſe ſupplicij eos, qui quaſi vſtulatum lignum, & tantùm non redactum in fauillam ſumpti ſunt ab incendio?

Verſ. 3. 4. Et Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis, &c. ſtabat autem Ieſus coram Angelo ſqualidis veſtimentis amictus, vti reus, nudo capite, intonſa coma, oculis flebilibus in Iudicem Michaëlem defixis, gratiam orans, & opem. * Agit Sacerdos hic typum veri Ieſu cum Lucifero primùm in deſerto, dein in horto Gethſemani, denique in cruce colluctantis coram diuino tribunali, vere ſordidati, tum ſceleribus noſtris, tum ſanguine ſuo, ſputis, ſanie & vulneribus ab hoſte inflictis. Et tamen his ipſis ſordibus, plagis, ac vulneribus Luciferum ſternentis, & de toto inferno, ac mundo triumphantis. Ex D. Ambroſio *ad Pſal.* 118. 35. accepi.] *Qui reſpondit, & ait ad eos, qui ſtabant coram ſe, dicens : Auferte veſtimenta ſordida ab eo. Et dixit ad eum : Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis.* Tunc Michaël, qui Dei nomine Iudicem agebat, ad eos, qui quaſi adminiſtri aderant, ſic profatur : Auferte iàm quicquid in Sacerdote eſt ſqualoris. Et ad Sacerdotem conuerſus inquit : En abſtuli abs te ſordes, quas, quia ex iniquitate tibi adhæſere, iniquitatem voco : & indui te mutatorus, id eſt, lautis, atque pretioſis gratiæ veſtibus. * Ecce vim pœnitentiæ in momento miſerum peccatoris ſtatum in felicem iuſti conuertentis.]

Chriſtus in paſſione ſordidis veſtibus indutus de diabolo, ac mundo triumphat.

Pœnitentia conuertit in momẽto miſerum peccatoris ſtatum in felicem iuſti.

Verſ. 5. 6. 7. Et dixit : Ponite cydarim mundam ſuper caput eius, &c. Et iterum ad miniſtros conuerſus ait : Ponite cydarim Sacerdotalem nempè tyaram, ſeu mitram ſuper caput Ieſu Sacerdotis. Illi quamprimum ad præcipientis imperium cydarim expediunt, imponuntque capiti, & ſplendentibus amiciunt ornamentis. * Hoc inferiores cæleſtis Iudicis geſſere miniſtri. Cæleſtis, inquam, nam ſi terreni Magiſtratus miniſtri eſſent, facilius ad denudandum vel Sacerdotem manus exererent.] *Et Angelus Domini ſtabat, &c.* Neque receſſit Angelus, donec imperata complerentur : qui denunciauit Sacerdoti ſolemni formula, ac conteſtatione dicens : Vias Domini cuſtodi, eiuſque præcepta ſerua, ſi vis dignitatem Sacerdotalem tibi eſſe perpetuam. Cuius id eſt proprium, vt dumum Dei populum Iſraeliticum iudices, & Templum cuſtodias, & quæ ad eius ſanctitatem pertinent, diligenter cures. Quod vt Sacerdos minori cum moleſtia gerat, promittit Archangelus Dei perſonam agens, daturum ſe aliquos Angelos, qui ad ea procuranda ſemper aſſiſtant, ex eorum numero, qui tunc aderant, & quibus ad ſupradicta miniſteria miniſtris vtebatur. * Sacerdotibus Angeli libenter peruolant miniſtrare ad ea, quæ ad Sacerdotale attinent munus]

Inferiores iudicans miniſtri nō veſtiunt, ſed denudant litigantes.

Angeli Sacerdotū coadiutores, & miniſtri libēter ſunt.

2.

Verſ. 8. Audi Ieſu Sacerdos magne, &c. Audi iam ô Ieſu Pontifex, tu, & qui tecum ſunt viri Prophetæ, qui huius oraculi futuri ſunt annunciatores, & teſtes, rem omninò magnam, & quam adumbrant ea, quæ in hoc mirabili ſpectro ſunt oblata. Ecce enim ego adducam ſeruum meum, germen electum, nempè Ieſum ſeruatorem. * Igitur poſt quinque ſæcula Deus in orbis theatrum, ac primo in Iudæam è cælis adduxit excellentiſſimum illum ſeruum, imò Filium ſuum Meſſiam germen, ſeu ſurculum cæleſtem ſimul & terreſtrem, diuinum & humanum : ſecundùm diuinam ſuam natu-

Promittit, verū Ieſum venturum mundi reſtauratorem.

Quam ob rē Chriſtus Oriens appelletur, ſol vnique, & germen.

ram

tam ex Dei vtero ab æterno *orientem*, ſecundum humanam ortum tempore è virginis vtero. Vndè meritò nomen illi *Oriens* tam ex *alto*, vtpotè Sol mundum illuminans: quam ex imò, ſeu è terra, inſtar arboris vitæ, ſanans, & inſtaurans omnia.]

Verſ. 9. 10. *Quia ecce lapis, quem dedi coram Ieſu, &c.* Sicut tu ô Ieſu Sacerdos, poſt exilij ſordes cum ſtola & Cydari glorioſè ſplendes: ſic Ieſus ſeruator, cuius agis typum, ex alio non diſſimili ſqualore pulcher exſurget. Vides, vt lapis iſte tibi obiectus impolitus, & ab omnibus reprobatus apparet? Hic à Deo artifice ſummo, magno ſtudio cælabitur. Super illum enim ſeptem oculi ſunt, ſeu attentio magna in cælaturam eius intenta. Quo autem tempore cælatus fuerit lapis ille, die vna, qua cælatura finietur, auferetur iniquitas terræ: ſicut abs te nunc iniquitas fuit ablata. * *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt, ecce ego cælabo ſculpturam eius.* Paſſionis Domini hîc Patres myſterium agnoſcunt. Cælatur enim lapis Chriſtus, dum claui, lancea, ſpinæ flagella vulnera aperiunt. Super quæ ſeptem, ſeu innumeri oculi compaſſionis affectu lacrymas profundunt.] * Quod ſi oculi lapidi ſint agnati: innuitur, lapide vulnerato, vulnerandos ſimul eſſe oculos, vt profluente ſanguine ex Ieſu corpore, humana compaſſio lacrymas pariter ſanguineas è nobis eliceat.] * Quod ſi te ex aliquorum ſententia alludit Propheta ad ſeptem primates Regni Perſarum, qui teſte Heſychio, & Suida *Oculi Regis* vocabantur: ſicut erant & alij, qui nominabantur *Regis aures*: edocemur regios Miniſtros non videre ſibi, ſed Regi cuius oculi ſunt. Vndè debent illi cuncta manifeſtare clarè & diſtinctè, quemadmodùm oculi nobis ea, quæ obiiciuntur manifeſtant.] *In die illa, &c.* Tunc effulgebit terræ pax vſque adeò ſecura, vt quod ante non licebat, mutuo ſe amici ad otium, & delicias inuitent, qui tutò ſub vite, ac ficu dies feſtiuos, ac geniales agent. Hac phraſi ſignificant Hebræi plenam pacem, opulentiam, & ſecuritatem. Sicut ſub Salomone 3. *Reg.* 4. 25. cum quiſque dicitur habitaſſe *ſub vite ac ficu ſua*, ſignificatur, ipſo imperante, plenam fuiſſe pacem, & omnium bonorum copiam. Hîc Domini reſurgentis pacem *datam* Diſcipulis, & cunctis fidelibus *relictam* Patres acclamant.

Chriſtus in paſſione lapis vulneribus plenus, quem noſtræ lacrymæ comitantur.

Paſſio Chriſti è nobis ſanguineas lacrymas deberet elicere.

Regij Miniſtri ſunt Regis oculi. Vnde debent ei cuncta obiecta clarè manifeſtare.

CAPVT IV.

Prædicit, Zorobabelem Principem populi Templum Domini inſtauraturum. Laudibus tam hunc quàm Ieſum Pontificem effert Templi, ac Reipublicæ Iudæorum inſtauratores.

1\. ET reuerſus eſt angelus, qui loquebatur in me, & ſuſcitauit me,
quaſi virum qui ſuſcitatur de ſomno ſuo. 2. Et dixit ad me:
Quid tu vides? Et dixi: Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ eius
ſuper illud: & ſeptem infuſoria lucernis, quæ erant ſuper caput
eius. 3. Et duæ oliuæ ſuper illud, vna à dextris lampadis: &
vna à ſiniſtris eius. 4. Et reſpondit, & aio ad angelum, qui loquebatur in me, dicens: Quid ſunt hæc, domine mi? 5. Et reſpondit angelus, qui loquebatur in
me, & dixit ad me: Numquid neſcis quid ſunt hæc? Et dixi: Non, domine mi.
6. Et reſpondit, & ait ad me, dicens: Hoc eſt verbum Domini ad Zorobabel, dicens: Non in exercitu, nec in robore, ſed in ſpiritu meo, dicit Dominus exercituum. 7. Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum: & educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius. 8. Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: 9. Manus Zorobabel fundauerunt domum iſtam, & manus
eius perficient eam: & ſcietis quia Dominus exercituum miſit me ad vos. 10. Quis
enim deſpexit dies paruos? & lætabuntur, & videbunt lapidem ſtanneum in manu
Zorobabel. Septem iſti oculi ſunt Domini, qui diſcurrunt in vniuerſam terram.
11. Et reſpondi, & dixi ad eum. Quid ſunt duæ oliuæ iſtæ, ad dexteram candelabri,
& ad ſiniſtram eius? 12. Et reſpondi ſecundò, & dixi ad eum: Quid ſunt duæ ſpicæ oliuarum, quæ ſunt iuxta duo roſtra aurea, in quibus ſunt ſuffuſoria ex auro? 13. Et ait ad me, dicens: Numquid neſcis quid ſunt hæc? Et dixi: Non, domine mi. 14. Et dixit: Iſti ſunt duo filij olei, qui aſſiſtunt Dominatori vniuerſæ
terræ.

COMMENTARII.

1. *Prædicit Zorobabelem Templum instauraturum.*

VERS. 1. 2. *Et reuerſus eſt Angelus, &c.* Cum à præfatis viſionibus aliquid moræ interceſſiſſet, rediit ad me Angelus mihi familiaris, & me attentum, & vigilem eſſe fecit, perinde atque ſi è ſomno dormientem excitaſſet. * Officium Angeli cuſtodis eſt ſuos excitare alumnos, ſi quando circa rem ſpiritus ſomno, aut langore corripiantur.] *Et dixit ad me: Quid tu vides, &c.* Cum autem eleuanti oculos mihi ſpectrum fuiſſet oblatum, ſciſcitanti Angelo quidnam viderem, reſpondi, aſpicere me candelabrum aureum ſimile Moſaico, in cuius vertice lampas ſeu vas concauum & ſphæricum erat, inſtar magnæ lampadis, intus plenum oleo, & supernè patens: maximaque flamma ardens, & collucens effulgebat. Hanc lampadem maiorem circumdare dixi ſeptem lucernas, ſeu lampades minores, quæ per totidem calamos arcuatim ex fundo maioris lampadis prodibant. Calami iſti erant concaui, inſtar fiſtularum: nam per eos deriuabatur oleum ex maiori lampade ad lucernas calamis inſiſtentes. Vndè & calami iſti vocantur *infuſoria*, olei ſcilicet in lucernas.

Angeli cuſtodis officium eſt, alumnos dormientes excitare in ſpirituum ... (margin: *Angeli cuſtodis officium eſt, alumnos dormientes excitare.*)

Verſ. 3. 4. 5. 6. *Et duæ oliuæ ſuper illud, vna à dextris lampadis, & vna à ſiniſtris.* Lenticulæ, cui impoſita erat ſumma lampas, & quam ſeptem lucernæ quaſi ex eius fundo pullulantes coronabant, inſculptæ erant ex auro duæ oliuæ, altera à dextris, altera à ſiniſtris lampadis, quæ lucebat in ſummo. *Et reſpondi, &c.* Tunc ego dubius, quid ſibi vellet tam illuſtris candelabri ſpecies, Angelum, qui mihi loquebatur, rogaui, vt me de candelabri illius ſignificatione inſtrueret. *Et reſpondit Angelus, &c.* Votis meis fecit ſatis, poſtquam intellexit; nihil de Candelabri portento mihi eſſe exploratum. *Et reſpondit, & ait ad me, dicens, &c.* Hoc ſigno hieroglyphico (inquit Angelus) quaſi ſermone ſuo Deus ad Zorobabelem Ducem populi alloquitur. Quemadmodum enim candelabrum hoc, in quo Templi & Ciuitatis quædam eſt vmbra, tam latè ſplendet, vt vides ſine vlla Zorobabelis opera, aut populi labore, ſed tantum mea virtute, ac conſilio: ſic etiam non tam Zorobabelis opera Ciuitas & Templum, quam mea virtute, atque conſilio inſtaurabuntur. * Vt ſacri Miniſtri edoceantur, ſplendida opera, quæ eorum manu, aut lingua prodeunt in lucem à Patre luminum accipere quod prodeant & rutilent.]

Quælibet ſacri Miniſtri opera ſplendida à Deo habent fulgorem, minimè à noſtra virtute.

2. *Ieſum, & Zorobabelem ex Templi inſtauratione commendat.*

Verſ. 7. *Quis tu mons magne corã Zorobabel, &c.* O mons magne dæmon ſcilicet, qui tam grauiter fers ad Dei gloriam aliquid inſtitui: ſiuè Babylonij, ac Samaritani, qui Templi Dei fabricam morari aut impedire intendiris: quem te exiſtimas, vt agente me, & protegente Zorobabelis conſiliis, ac ſtudiis opponis? Quantumcumque tumeas, & in altum efferaris, in planum redigeris. Quarè cum iam ô mons magne nihil impedimenti valeas afferre, rem Zorobabel eò deducet, vt imponat primarium ſeu ſummum lapidem, qui extremus eſt in ædificando, & ædificio toti ſpeciem, & firmitatem præbet. Neque minor erit gratia Templi à Zorobabele conſtructi, quam eius, quod à Salomone prius fuit excitatum. Verba illa, *Et exæquabit gratiam gratiæ eius* ſic alij exponunt: Tanta gratia, fauore, ac proſperitate ædificium perficiet, quanta cœpit. * Finis enim felix ex felici principio ducit plerumque ortum. Non ſolum *dimidium facti* (vti canebat ille) ſed totum plerumque *qui bene cœpit, habet*.]

Quaſi factum totum habet, qui bene cœpit.

Verſ. 8. 9. *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens:* Rurſus locutus ad me fuit Dominus, docuitque futurum, vt Domus illa, quæ priori non eſſet inferior, breui abſolueretur. *Manus Zorobabel fundauerunt domum iſtam, &c.* Eadem Zorobabelis manus, quæ primum demiſit fundaminis lapidem, imponet extremum, & opus perficiet. Tunc autem nullus erit veſtrum, qui dubitet, me à Domino exercituum fuiſſe immiſſum.

Verſ. 10. *Quis enim deſpexit dies paruos, &c.* Quis enim deſpiciat dies hos, in quibus parua patrantur? (*Oſee.* 1. 2. *magnus* vocatur *dies Iezrael*, eo quod in eo magna gererentur.) Occurrit tacitæ obiectioni, qua nonnulli conabantur extenuare opus Zorobabelis, dicentes: Egregia certè initia, magno operi ſuperſtruendo, & Salomonico Templo inſtaurando. Quibus reſpondet, non attendenda parua initia, exilem materiam, tenuia media. Coniiciant oculos in fabricæ progreſſum, videant, quantis incrementis exiguo tempore exſurgat. Profectò maxima lætitia afficientur, quicumque oculos coniicient in excelſam illam fabricam, quæ quotidie promouetur. Deo aſpirante, & Zorobabele Principe lapidem ſtanneum manu dirigente, quo iubet, ad perpendiculum aſſurgentes parietes exædificari. *Septem iſti oculi ſunt Domini, &c.* Poſtquam Angelus aperuit mihi quid in vniuerſum ſibi vellet candelabrum aureum: iam ſpeciatim exponit alias eius partes, ſiue ornamenta. Et in primis ſeptem lucernas totidem Dei oculos eſſe dicit, id eſt, ſeptem Angelos, qui toti mundo præſident, quique propter iniunctum ſibi à Domino miniſterium Dei oculi dicuntur. Et nunc quaſi collectis totius mundi viribus adiutores fiunt Zorobabelis ad Templi molitionem. * Eſt qui exiſtimet, ſeptenario eo numero, qui multitudinem in Scriptura ſignat, deſcribi omnes cæleſtes ſpiritus qui ad cuſtodiam hominum deputantur. Hi quidem Dei ſunt oculi: vt verearis in Angeli familiari conſpectu efficere, quod in Dei oculis nefas eſt agi.]

Angeli cuſtodes ſunt oculi Dei, ne ergò audeas coram illis delinquere.

Verſ. 11. 12. *Et reſpondi, &c.* Cum iam eſſem edoctus de toto candelabro, & ſpeciatim de ſeptem lucernis, reliquum erat, vt de duabus oliuis, quas cælatas in candelabro dixi, ab Angelo docerer. *Et reſpondi ſecundo, & dixi ad eum: Quid ſunt duæ ſpicæ olearum, quæ ſunt iuxta duo roſtra aurea*, in quibus ſunt ſuffuſoria *ex auro?* Cum mihi interroganti ſemel nihil Angelus reſpondiſſet, iterum vrgeo, ac rogo, quid eſſent duo illæ ſpicæ, aut rami oliuarum, qui ex roſtris candelabri aſſurgunt, id eſt, ex ea parte ſtipitis, quæ lenticulam ſuſtinet, & vnde erumpunt ſuffuſoria, ſeu fiſtulæ, per quas oleum in lucernas infunditur. * Edocemur, non ſemel nos Cælites rogaturos ea, quæ ad ſpiritualem eruditionem pertinent, ſed iterum atque iterum preces fundendas, donec optatis potiamur.]

Inſtandum orationi, donec potiamur optatis.

Verſ.

*Verſ.*13.14. *Et ait ad me dicens*, *&c.* Cum omnino negarem me noſſe, quænam eſſet duarum olearum ſignificatio. Angelus reſpondit: *Et dixit. Iſti ſunt duo filij olei ſplendoris*, *&c.* In illis (inquit) oliuis expreſſi ſunt duo ordines, qui oleo inungi, ac deſignari ſolent Regium ſcilicet, & Sacerdotalem. Qui cum vni, aut alteri regioni, aut miniſterio præſunt, vniuerſæ terræ Dominatoris ſunt adminiſtri. Deſignantur itaque per duos filios *olei*, ſeu *olea* duo Synagogæ ſupremi Principes vncti oleo, ſeu duo *Chriſti* Domini Ieſus vnctus Pontifex, & Zorobabel vnctus Princeps politicus. * Qui voluerit Eccleſiaſticum, aut politicum præſulatum rectè gerere *filius* ſit *olei*, benigniter curet ſubditos moderari. Manſuetudo enim Principis mira in ſubditis operatur. Allodit ad duos Cherubinos, quos ex ligno oliuarum, quaſi filios oleæ Salomon fabricauit.]

Manſuetudo Præſulis mira in ſubditis operatur.

CAPVT V.

Idololatriam eiuſque ſupplicium à Iudæis tranſlatum ad Babylonios voluminis, & amphoræ in Babylonem tranſlatæ, Symbolo ſignificat.

1. ET conuerſus ſum, & leuaui oculos meos: & vidi, & ecce volumen volans. 2. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Ego video volumen volans: longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum. 3. Et dixit ad me: Hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ: quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, iudicabitur: & omnis iurans, ex hoc ſimiliter iudicabitur. 4. Educam illud, dicit Dominus exercituum: & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus eius, & conſumet eam, & ligna eius, & lapides eius. 5. Et egreſſus eſt angelus, qui loquebatur in me: & dixit ad me: Leua oculos tuos, & vide quid eſt hoc, quod egreditur. 6. Et dixi, Quidnam eſt? Et ait, Hæc eſt amphora egrediens. Et dixit: Hæc eſt oculus eorum in vniuerſa terra. 7. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ. 8. Et dixit, Hæc eſt impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os eius. 9. Et leuaui oculos meos, & vidi, & ecce duæ mulieres egredientes, & ſpiritus in alis earum, & habebant alas quaſi alas milui, & leuauerunt amphoram inter terram & cælum. 10. Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quò iſtæ deferunt amphoram? 11. Et dixit ad me: Vt ædificetur ei domus in terra Sannaar, & ſtabiliatur, & ponatur ibi ſuper baſem ſuam.

COMMENTARII.

1. *Voluminis, & amphoræ ſymbolo ſignificat iniquitatem & ſupplicium à Iudæis tranſlatum eſſe in Babylonem.*

VERS. 1.2. *Et conuerſus ſum, & leuaui oculos meos: & vidi, & ecce volumen volans.* Hebr. pro *volumine* eſt מגלה *megilla*, id eſt, *membrana*, vel *charta conuolutilis*. Cum primùm ſpecies illa candelabri ſeceſſit, ad aliud ſpectrum oculos conuerti: & vidi volumen volans, ſeu explicatam chartam ferri per aërem. *Et dixit ad me: Quid tu vides? &c.* Rogatus ab Angelo, quid viderem, videre me reſpondi volumen, ſeu pellem ingentem in aëre volentem, quaſi longam viginti cubitis, & latam decem Porro LXX. legunt pro volumine מגל *magal*. id eſt, *falcem*. Quid cum falce volumini? * Volumina nonnulla prodeunt, tot iniuriis aduerſus alios exundantia, vt aptius falces exitiales, quam volumina, ſeu libri valeant vocitari.] Certè volumen ſeu falx volans innuebat, vindictam cæleſtem properare, & iam iam capiti Babyloniorum imminere.

Multa volumina iniuriis plena excuduntur, quæ falces aptius poſſent vocitari.

*Verſ.*3. *Et dixit ad me: Hæc eſt maledictio, &c.* Cum ergò quid eſſet in illo volumine ſcriptum non aſſequerer, ab Angelo didici contineri in eo maledictionem, ſeu diuinæ ſeueritatis ſupplicia, quæ in vniuerſam terram inuehuntur: in eos præcipuè, qui aut furaces habent manus, aut linguam periuram. Qui iuxta ea, quæ in eo volumine ſcripta ſunt, iudicium ſubibunt. * Et quo aptius diuinæ indignationis falx tenderet, quam ad periuros? * Annoto, non dixiſſe. Omnis periurus, ſed *Omnis iurans* iudicabitur. Quià qui ex conſuetudine iurat, multa aſſolet periuria patrare.]

Aptè falx diuinæ iræ ad iuratores tendit.

Qui ex conſuetudine iurat, ſolet multa periuria patrare.

*Verſ.*4. *Et ducam illud, dicit Dominus exercituum, &c.* Educam volumen illud, ait Dominus, oneratum minis, & irruet in eorum domum, qui aut aliena rapiunt, aut mendacio ſuo diuini nominis prætendunt ſanctitatem. Quod quidem citò egreſſurum non eſt ab illa domo, quam furta aut periuria contaminant:

minant: ſed in illa ſic bacchabitur diù vt nihil in ea relinquat à vaſtitate immune, non ligna, non lapides, non denique prioris ſtatus vel nuda veſtigia. * Sæpè Deus peieratores miſera punit egeſtate.] * At qui aliena rapiunt, ſemper ablata non ſolum inutilia ſibi, ſed noxia eſſe admodum experiuntur. *Conſumment* enim *ligna & lapides*, id eſt, nihil eorum, quæ licitè acquiruntur, ac poſſidentur, immune relinquunt.]

Sæpè Deus peieratores egeſtate punit.

Iniquè acquiſita inutilia ſunt, & licitè acquiſita perdunt.

Verſ. 5. 6. Et egreſſus eſt Angelus, &c. Egreſſus iterum Angelus cuſtos iuſſit, me rurſus oculos leuare ad aliud ſpectrum: contemplarique quidnam eſſet, quod nouum mihi portendebatur. *Et dixi: Quidnam eſt, &c.* Cumque rogaſſem quidnam illud eſſet, quod intuebar, reſpondit, amphoram mihi egredientem apponi. *Et dixit: Hic eſt oculus eorum in vniuerſa terra.* Noram quidem ex forma, & ex Angeli verbis illam eſſe amphoram: quid autem innueret ignorabam. Quare Angelus me ab ea ignoratione liberauit. Docuit enim me, amphoram illam oculum eſſe Iudæorum, qui morantur in terra; quia eò intentus eſt eorum oculus aut mens, vt amphoram illam, aut menſuram peccatorum impleant, cuius complementum ſtatim vltio diuina conſequetur. Porrò *Amphora* vulgaris eſt Iudæorum menſura tres modios capiens. Symbolum primò eſt menſuræ, ſeu cumuli peccatorum à Iudæis, & aliis Gentibus patratorum, aut patrandorum. Secundò menſuræ punitionis peccatis proportione commenſuratæ. * Et quidem plures impij ita feſtinant delinquendo hanc menſuram implere, vt aptè eorum *oculus*, ſeu ſtudium vocetur. Liceat vulgari idiomate explicare. *Danſe tanta priſa à pecear, que parece ponen le mira enllenar la medida.*]

Sic impij feſtinant menſuram peccatorũ implere, vt videantur ad id ſolum oculos, ac mentem intendere.

Verſ. 7. 8. Et ecce talentum plumbi portabatur, &c. Vix dùm ab Angelo hæc acceperam, cum ſe mihi rurſus aliud viſum obiecit. Ferebatur enim ſeorſum ab amphora maſſa plumbea ingens. Viſa autem eſt mihi emergere, extareque ex medio amphoræ quædam mulier. *Et dixit: Hæc eſt impietas, &c.* Mulierem illam impietatem eſſe ab Angelo didici. * Et cur impietas, quæ tantum habet roboris, in ſpecie viri non obiicitur? Certè quia nihil fœmina nequius, cum effrænatè prorumpit ad crimina.] Etiamſi in amphora eſſet illa mulier, extabat tamen, & eminebat capite: non enim iacebat omnino, ſed ſedebat intus. Aſt Angelus illam ſic intrò proiecit, vt nihil iam foras emineret. Et nè eſſet vlla emergendi facultas plumbeo talento, quod proximum eſſe dixi, os eius obſtruxit. * Talentum ſeu maſſa plumbi aliis Doctoribus eſt peccatum, quod immenſi eſt ponderis.] * Aliis verò grauis, rigidaque Dei ſententia, & ſupplicium æternum. Et quidem ipſum peccatum tam dirum eſt peccatori, vt pro interminabili gehennæ ſupplicio valeat compotari.] * Obſtruitur autem plumbo, ſeu peccato os mulieris, quia ſicut innocentia expedit linguam, ita peccatum eam debet alligare. Peccator enim (vt vulgari axiomate vtar) *Tiene porque callar.*] Anagogice hîc agnoſco perpetuitatem tùm culpæ, tum pœnæ ſceleratorum in inferno, vbi infami ore concluſo ad æternum ſilentium, carcerem, & tormentum damnati degunt, quaſi in ignita amphora conſtipati.

Nihil nequius fœmina praua.

Peccati magnum pondus.

Peccatum dirius gehẽna eſt peccatori.

Peccatũ linguam alligat confeſſione.

Verſ. 9. Et leuaui oculos meos, & vidi, &c. Cum primum iniquitas in mediam eſt amphoram coniecta, & plumbeo talento occluſa, nè vllum indè pateret effugium, ecce offertur mihi noua viſio. Videre etenim viſus ſum duas mulieres miluinis inſtructas alis, quibus inerat ſpiritus, id eſt, quæ velociſſimo volatu ferebantur. Hæ corripientes amphoram inter cælum, & terram ſublimem àſportarunt. * Haud ineptè mulieribus milui pennæ apponuntur. Muliebre enim genus ex Euæ matris raptu auarum, & rapax. De fœminis impudicis loquor, quas non amor, ſed lucrum, aut quæſtus ad illicita protipit.

Muliebre genus auarũ, & rapax.

Verſ. 10. Et dixi ad Angelum, &c. Et Angelum familiarem meum rogaui, quonam gentium à mulieribus aueheretur amphora, in qua latebat impietas? Ille vero reſpondit in Babylonem rapi: vbi diutiſſimè quaſi in proprio domicilio futura eſt: & ideò ei inibi domus ædificatur, & baſis extruitur, cui amphora inſideat. Vides Symbolo voluminis & amphoræ in Babyloniam deuectæ ſignificari, idololatriam eiuſque ſupplicium à Iudæis tranſlatam ad Babylonios: his imminere certum excidium, illis nihil mali amplius metuendum: ſed poſſe tutos, atque alacres patriam ſuam incolere, Templum, & Vrbes inſtaurare.

CAPVT VI.

Ad Babylonem, in qua vaſi iniquitas fixa erat deſtruendam, reliquæ orbis monarchiæ occurrunt, Zacharia vidente. His ſuccedit Meſſiæ nunquam non ſtabile Regnum, Ideo Ieſus Pontifex veri Ieſu typus aurea corona iubetur ſtipari.

1. ET conuerſus ſum, & leuaui oculos meos, & vidi: & ecce
quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium:
& montes, montes ærei. 2. In quadriga prima equi rufi, &
in quadriga ſecunda equi nigri, 3. & in quadriga tertia
equi albi, & in quadriga quarta equi varij, & fortes. 4. Et
reſpondi, & dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quid
ſunt hæc, domine mi? 5. Et reſpondit Angelus, & ait ad me:
Iſti ſunt quatuor venti cæli, qui egrediuntur, vt ſtent coram Dominatore omnis
terræ.

terræ. 6. In quia erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis: & albi egreſ-
ſi ſunt poſt eos: & varij egreſſi ſunt ad terram Auſtri. 7. Qui autem erant robu-
ſtiſſimi, exierunt, & quærebant ire & diſcurrere per omnem terram. Et dixit: Ite,
perambulate terram: & perambulauerunt terram. 8. Et vocauit me, & locu-
tus eſt ad me, dicens: Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis requieſcere fece-
runt ſpiritum meum in terra Aquilonis. 9. Et factum eſt verbum Domini ad me
dicens: 10. Sume à tranſmigratione, ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia; & venies
tu in die illa, & intrabis domum Iudæ, filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone.
11. Et ſumes aurum & argentum: & facies coronas, & pones in capite Ieſu filij Io-
ſedec ſacerdotis magni 12. & loqueris ad eum, dicens: Hæc ait Dominus exer-
cituum, dicens: ECCE VIR ORIENS NOMEN EIVS: & ſubter eum
orietur, & ædificabit templum Domino. 13. Et ipſe extruet templum Domino:
& ipſe portabit gloriam, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo: & erit ſacerdos
ſuper ſolio ſuo, & conſilium pacis erit inter illos duos. 14. Et coronæ erunt He-
lem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hem, filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini.
15. Et qui procul ſunt, venient, & ædificabunt in templo Domini: & ſcietis quia
Dominus exercituum miſit me ad vos. Erit autem hoc, ſi auditu audieritis vocem
Domini Dei veſtri.

COMMENTARII.

1. *Ad Babylonem deſtruendam reliqua orbis Monarchia conſpirant.*

VERS.1. *Et conuerſus ſum, & leuaui oculos meos, & vidi, &c.* Ex illa viſione voluminis, & amphoræ ad aliam mentem rurſus ac oculos conuerti. Et vidi quatuor quadrigas, in quibus totidem orbis Imperia notabantur, de duobus montibus æreis prodeúntes, intra quos quaſi intra clauſtra, & carceres tenebantur. Sicut Danieli *cap.2.* ita nunc Zachariæ quatuor proponuntur Imperia, quæ ordine ſucceſſerunt, & ſeſe mutuo euerterunt. Hi duo montes Symbolum agunt diuinæ potentiæ ac prouidentiæ, cuius duæ partes ſunt mens & voluntas, puta Sapientia & decretum, ſeu præordinatio, & executio. Hæ itaque quadrigæ quatuor duobus illis æneis ſeu fortiſſimis montibus, antequam prodirent, continebantur ne alias nationes bello infeſtarent, proinde ac ſi ſeptæ eſſent montibus validiſſimis, & inſuperabilibus. Cum autem adfuit tempus à Deo præſcriptum, vt Imperio potirentur, tunc egreſſæ fuere. Probabile reor, Prophetam hic alludere ad montem Taurum, ſeu Caucaſum, vbi duo montis iuga in fauces coëunt ſicut portæ ferreæ, non propriè dictæ, ſed ob loci munitionem ſic vocitatæ.

Verſ.2.3.4.5. In quadriga prima equi ruſi, &c. Quadrigam primam equi trahebant ruſi, ſecundam nigri, tertiam albi, quartam vero maculoſi & fortes. In prima Chaldæorum, in ſecunda Perſarum, in tertia Græcorum, in quarta Romanorum Imperium deſignabatur. *Et reſpondi, & dixi ad Angelum, &c* Me dubitantem de quadrigarum ſignificatione, ſic Angelus, quocum familiariter colloquebar, fuit affatus: Iſtæ quatuor quadrigæ idem omnino portendunt, quod apud Danielem quatuor venti, nempe quatuor Imperia. Egrediuntur autem laxatis ſuo tempore montium clauſtris, vt ſe terrarum Dominatori ſiſtant, eiuſque imperata quàm ocyſſimè compleant.

Verſ 6. In qua erant equi nigri, &c. Equi nigri, id eſt, Perſarum Imperium, egreſſi ſunt contra Aquilonem, id eſt, in Babyloniam; qua expugnata florere cœpit. Albi deinde, id eſt, Græcorum Imperium, eandem ingreſſi ſunt viam. Quia debellatis Perſis, eodem loco, quo prius Chaldæorum, Græcorum Imperium fuit ſtabilitum. At varij, id eſt, Romani ad Auſtrum profecti ſunt; quia Ægypto occupata, quæ e Græcorum Imperio videbatur eſſe reliqua, Romanum Imperium fuit conſtitutum. De equis ruſis nihil dictum ab Angelo; nam cum Chaldæorum Imperium iam eſſet deletum, non erat, cur de illo docendus eſſet Propheta, ſecus de aliis. Porrò Aſſyrij hi & Chaldæi ideò in equis ruſis ſignantur, quia ſanguinarij, & quia ruſis, ſeu purpureis veſtibus vtebantur. Perſi & Medi in equis nigris ideò notantur, eo quod primi lethalem Babylonis horrorem, mœrorem, ac luctum inuexère. Fuit enim Babylon armis Perſicis bis deuicta, bis ſpoliata, bis exciſa, primò per Cyrum, deinde per Darium Hyſtapis. Tertij autem equi ideò albi obiiciuntur, quia Græcus Alexander Magnus, & ſocij eius Macedones, qui apud Arbellam haud procul Babylone, profligatis Darij Codomanni copiis, Babylonem, imò totam Aſiam victores obtinuere, ſubditis cunctis, & præcipue Iudæis ſatis fuere beneuoli, & humani. Denique equi *varij* ideò hoc nomine notantur, quia regimine, ſeu politia valde varij extitere. Primò ſub Regibus; Secundò ſub Conſulibus; Tertiò ſub Tribunis plebis. Quartò ſub Imperatoribus; & his ex varia gente, cum alij eſſent Itali, alij Hiſpani, alij Galli, alij Græci. * Vides hominibus nomina ex operibus adaptari. Chaldæi vocantur *Sanguinarij*, Perſi & Medi *horribiles*, Græci *beneuoli*, & *humani*. Romani verò *varij* in regimine. Cura rectè operari, vt egregiis titulis nomineris. Frequens in Templis, *pius* & *deuotus*. pauperum oſor, *auarus*; pronus ad vindictam *crudelis* appellaberis, proprio tuo nomine nunquam audito.]

Ex operibus ſolemus hominibus nomina accommodare.

Verſ.7.8. Qui autem erant robuſtiſſimi, exierunt, &c. Qui ex eorum numero erant robuſtiſſimi, illi altiora facinora mente complexi, ab aliorum ſocietate diuulſi, alid proficiſci, & per

per omnem terram diſcurrere moliebantur. *Et dixit: Ite, perambulate terram, &c.* Narrauit deinde mihi Angelus, quid vniuerſæ terræ Dominatur adſtantibus coram ſe quadrigis imperarit. Ite, inquit Dominus, & luſtrate terram. Quod imperium ipſæ ſtatim exequentes terram ſunt peruagatæ. Addit meus Angelus mihi familiaris, vocatum ſe à Deo, à quo illa audiuit, quæ dein mihi retulit. En Perſæ, ac Medi, qui ad Aquilonem egreſſi ſunt, iræ meæ ſatisfecerunt. Vlti enim ſunt iniurias, quibus populum Iudaicum diù ac dire Babylonij diuexauere. * Nota illa verba: *Requieſcere fecerunt ſpiritum meum.* Tunc enim Deus, quem ſuorum vexatio quodammodò affligit, requieſcit, cum vexatore affecto ſupplicio, ſui ab afflictione liberantur.]

Deus noſtris incommodis quodammodò affligitur.

3\. *Verſ. 9. 10. 11. 12. Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Sume, &c.* Hæc rurſus ad me Dominus: Sume ô Zacharia è domo Ioſiæ filij Sophoniæ, qui è captiuitate rediere, aurum & argentum, quod ad Templi ſumptus oblatum eſt ab Holdai, Tobia, & Idaia. Hos quatuor dicunt Hebræi fuiſſe Danielem, eiuſque ſocius Ananiam Azariam, & Miſaelem, qui munerum Deo offerendorum, ſimulque & patriæ & amicorum reuiſendorum cauſa hùc excurrerint. * Sufficiens quidem videbatur eſſe cauſa profectionis huiuſce, patriam, & amicos inuiſere: at Sancti hi viri præcipuè accincti ſunt itineri, vt Templo extruendo donaria litarent. Vt edoceamur, nullum à nobis inſtituendum iter, in quo pietas locum præcipuum non obtineat.] *Et ſumes aurum, & argentum, &c.* Sumes, inquam aurum & argentum, & conflabis ex eo coronas, quas impones capiti Ieſu, filij Ioſedech, Pontificis, & dices ei: Hæc dicit Dominus: Ecce iam aderit verus Imperator Chriſtus, cuius nomen erit *Oriens*, qui prodibit ab vmbra, & typo Ieſu Sacerdotis, qui duplici corona redimitus, Sacerdotalem, ac Regium Chriſti dominatum oſtendit in noua Eccleſia, quæ Dei verum Templum exſurget. Hebraicè pro *Oriens*, eſt צמח *tſemach*, id eſt, *Germen*. Chaldæus. *Ecce vir, cuius nomen eſt Meſſias.* E cuius germine orietur innumera multitudo ramorum, puta Chriſtianorum, per quos hic *Oriens*, ſeu hoc *Germen*, per totum vniuerſum propagabitur. Ex his conflabitur nobiliſſimum illud Templum, quod ipſe Chriſtus Domino extruet, id eſt, Eccleſia, ſeu fidelium congregatio, primò militans in terris, deinde in cælis triumphans.

Promiſsio Chriſti interminabile Regnum.

Non inſtituendum iter, in quo aliqua pietatis cauſa non eluceat.

Verſ. 13. Et ipſe extruet Templum Domino, &c. Itaque ſicut Ieſus Sacerdos Templum ſolymitanum, ſic Ieſus Chriſtus aliud Templum longè nobilius extruet. Et ſicut ille glorioſus ſuo ſedebit in ſolio, & Regis, ac Sacerdotis munus obtinebit, ex quo fiet, vt iam Sacerdos à Rege non diſſideat, quia vnus idemque Rex erit & Sacerdos; ſic etiam ad eius typum, & exemplar Chriſtus, Rex ſimul & Sacerdos futurus eſt. Erit præterea conſilium pacis inter illos duos Chriſtum ſcilicet, & Ieſum Sacerdotem; quia inter vtrumque bene conueniet, ſicut inter vmbram & corpus, inter exemplar & id, quod expreſſum eſt ab illo; quia quod in vmbra Ieſus Sacerdos, id totum Ieſus Seruator cumulatè complebit.

Verſ. 14. 15. Et coronæ erunt Helem, &c. Vt autem appareat, quàm agnata ſit ſuperis gratitudo, ſua quoque gratia & honore non carebunt illi, ex quorum auro, & argento coronæ pro Pontificio capite fuere conflatæ. Nam eorum nomina coronis ipſis inſculpta in Templo Domini munificentiæ, ac pietatis ipſorum perpetui monumenti pondus obtinebunt. * Habes hinc, laudabile eſſe, in Templis, in Capellis, in vaſibus ſacris nomina donantis inſcribi.] *Et qui procul ſunt, venient, &c.* Vt iterum videatis quam bene inter Ieſum Sacerdotem, & Ieſum Seruatorem conueniat, ſeu inter figuram & veritatem: quemadmodum qui modo procul ſunt, venient, vt vobiſcum manus ad Templi fabricam adiungant; ſic etiam ad illud longe diuinius Templum, quod Chriſtus excitabit, magna vndecumque populorum multitudo concurret. Agnoſcetis tunc, hæc à me non meo, ſed diuinitus afflato ſpiritu eſſe prædicta. Et quod dixi de externis auxiliis ad Solymitanum Templum ædificandum, ita demum vobis futurum eſſe vaticinor, ſi verbis meis fueritis ex animo audientes.

Laudabile eſt in Templo, in Capella, aut vaſi ſacro nomina donantis inſcribi.

CAPVT VII.

Occaſione cuiuſdam quæſtionis circa ieiunium corporale, oſtendit, verum ac gratum admodum Deo ieiunium eſſe ab iniurijs proximo inferendis, & ab alijs huiuſmodi ſceleribus abſtinentiam.

1\. ET factum eſt in anno quarto Darij regis, factum eſt verbum Do-
mini ad Zachariam, in quarta menſis noni, qui eſt Caſleu.
2\. Et miſerunt ad domum Dei, Saraſar, & Rogommelech, &
viri qui erant cum eo, ad deprecandum faciem Domini: 3. vt
dicerent Sacerdotibus domus Domini exercituum, & Prophetis,
loquentes: Numquid flendum eſt mihi in quinto menſe, vel
ſanctificare me debeo, ſicut iam feci multis annis? 4. Et factum eſt verbum Do-

mini

mini exerciruum ad me, dicens: 5. Loquere ad omnem populum terræ, & ad
ſacerdotes, dicens: Cùm ieiunaretis, & plangereris in quinto & ſeptimo per hos
ſeptuaginta annos: numquid ieiunium ieiunaſtis mihi? 6. & cùm comediſtis, &
bibiſtis, numquid non vobis comediſtis, & vobiſmetipſis bibiſtis? 7. Numquid
non ſunt verba, quæ locutus eſt Dominus in manu prophetarum priorum, cùm ad-
huc Ieruſalem habitaretur, & eſſet opulenta, ipſa & vrbes in circuitu eius, & ad
Auſtrum, & in campeſtribus habitaretur? 8 Et factum eſt verbum Domini ad
Zachariam, dicens: 9. Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Iudicium ve-
rum iudicate, & miſericordiam & miſerationes facite, vnuſquiſque cum fratre
ſuo. 10. Et viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calum-
niari: & malum vir fratri ſuo non cogitet in corde ſuo, 11. Et noluerunt at-
tendere, & auerterunt ſcapulam recedentem, & aures ſuas aggrauauerunt ne audi-
rent. 12. Et cor ſuum poſuerunt vt adamantem, ne audirent legem, & verba quæ
miſit Dominus exercituum in ſpiritu ſuo per manum prophetarum priorum: &
facta eſt indignatio magna à Domino exercituum. 13. Et factum eſt ſicut locutus
eſt, & non audierunt: ſic clamabunt, & non exaudiam, dicit Dominus exercituum.
14. Et diſperſi eos per omnia regna quæ neſciunt: & terra deſolata eſt ab eis,
eò quòd non eſſet tranſiens & reuertens: & poſuerunt terram deſiderabilem in de-
ſertum.

COMMENTARII.

1\.

Proponitur à nuncijs quæſtio, an ieiunandum eſſet Iudæis, poſt Templi inſtaurationem?

VERS. 1. 2. 3. *Et factum eſt in anno quarto Darij Regis, &c.* Anno quarto Darij Hiſtaſpis Regis Perſarum, ſecundo anno poſt primam viſionem, quarta die menſis noni, qui Caſleu dicitur, aliud à Domino euulgandum populo vaticinium accepi. *Et miſerunt ad domum Dei Saraſar, &c.* Saraſar, & Rogo Melech, & qui cum eo aderant, viri primates, miſerunt ad Ieroſolymam nuncios, vt adorarent ibi Dominum. *Vt dicerent Sacerdotibus domus Domini exercituum, &c.* Miſſi inquam ſunt nuncij ab illis Principibus Hebræorum, vt Dominum eorum nomine adorarent in Templo, & Sacerdotes, ac Prophetas interrogarent, an ſeruandum eſſet menſe quinto ieiunium, quod poſt Templi incendium publico voto ipſis eſſet indictum: vel ſtata, atque ſolemni forma deinceps adhibendum eſſet illud ſanctificationis genus, quod iam à multis annis ſolitum erat obiri. Porrò die decima menſis quinti, qua exuſtum fuit Templum Ieruſalem, flebant Iudæi, ieiunabant, ſeſeque ſanctificabant, id eſt, ſeparabant ſe à cibis & voluptatibus corporeis. Hebr. *nazareabant*, id eſt, inſtar Nazaræorum, abſtinebant à vino, & deliciis. *Vt edoceamur, à deliciis abſtinendum nobis illis diebus, queis veri Tépli iniuriæ, id eſt Chriſti Domini paſſionis memoria recolitur.] Immittuntur itaque nuncij illi primò ad deprecandum faciem Domini, ſeu eum placandum, ſacrificiis publico nomine oblatis. Secundò ad inquirendum ex Sacerdotibus Templi & Prophetis; an ſicut durante captiuitate Babylonica fleuerant, ieiunarant, ſeque ſanctificarant die decima menſis quinti, qua exuſtum fuerat à Chaldæis Templum, deberent id continuare nunc, cum nouum Templum inſtauratur. *Aptè quidem Deum prius placare ſacrificiis curant, quàm quæſtionem proponant. Quia orationis ſacrificium præmiſſum efficit, vt rei euentus ſtudiis reſpondeat, & votis.]

Abſtinendum à corporeis deliciis diebus, queis Chriſti paſſionis memoria recolitur.

Antè omne negotiũ oratio præmittenda, vt euẽtus eius votis reſpondeat.

R. P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. to. VII. p. I.

2\.

Reſpondet Deus, verum ieiunium eſſe à ſceleribus abſtinere.

Verſ. 4. 5. 6. 7. Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Loquere ad omnem populum terræ. &c. Tunc ergo Dominus ſic ad Zachariam locutus eſt Ieroſolymis commorantem. Loquere iam ad Sacerdotes, & ad omnem populum adhuc in Babylone commorantem, monens nuncios, qui illorum venerunt ex nomine, diceſque: Annon illi, cum ieiunarent, ac plangerent Solemni ritu, aut quinto menſe pro Templi incendio, aut ſeptimo pro cæde Godoliæ totos ſeptuaginta annos ad hoc tempus, quo hæc miſſa eſt legatio, ſibi potius, quam mihi ieiunarunt? *Et cum comediſtis & bibiſtis, &c.* Et ſimiliter cum comederent, & biberent, bibiſſe ſibi, & comediſſe, non Deo. Neque enim tam curabant, quid eſſet mihi gratum, quam ſua ſibi Infortunia, & ſolitudinem lamentabantur. Vobis igitur ſolis ieiunaſtis, nempè vt conceptо ex tantis cladibus dolori faceretis ex parte ſatis. Et quando dies ageretis feſtos, & epularemini, non ad me laudandum, & colendum, & gratias agendum, id faciebatis; ſed vt genio veſtro indulgeretis. Nam ſi meum obſequium, vobis propoſitum fuiſſet, vtique non à ſolis corporeis cibis, ſed etiam à ſceleribus abſtinuiſſetis. *Hoc verum ieiunium à cibis ſimul ac peccatis abſtinere.] *Numquid non hæc ſunt verba, &c.* Neque nunc primum audiunt illi, qui vos miſerunt, quid Dominus de eorum planctu, atque ieiunio ſentiat. Iam enim dudum hæc eadem per Prophetas priores denunciata ſunt ad eorum parentes, cum adhuc Ieroſolyma nihil eſſet ab hoſte Chaldæo paſſa, ſed eſſet florens opibus, frequens ciuibus, & omnes Ciuitates eius in circuitu qua ad Auſtrum, & qua ad campeſtria ſine bellorum metu incolerentur.

Verum ieiunium à cibis ſimul ac ſceleribus abſtinere.

Verſ. 8. 9. 10. Et factum eſt verbum Domini ad Zachariam, &c. Deinde docuit me Dominus, quid quæſtioni à legatis propoſitæ deberet reſponderi. Quid inquam pro ieiunio ac planctu, aut certe in Ieiunio ſibi maximè placerent. Iudicium nempe verum, neque largitate corruptum, neque priuata aliqua ratione inflexum: & miſericordia ab vnoquoque erga

Deo placet ieiunium, quod eleemoſyna comitatur.

fratres, ſeu proximos ſuſcepta. * Placet admodum Deo ieiunium, quod eleemoſyna comitatur.] *Et viduam, & pupillum, &c.* Et omnis calumnia, & vis à vidua, pupillo, aduena, & paupere ſit longe ſubmota: denique cogitatio, quæ aliquid fratri ſuo mali meditetur. * Cur dixit, *Et malum vir fratri ſuo non cogitet in corde ſuo.* & non etiam & malum *fœmina* fratri ſuo non cogitet? Crediderim, quia raro mulieres *in corde* malum contra proximum meditantur, ſed præceps ira ſolam feſtinat ad linguam.]

Plerumque mulierum ira in corde non verſatur, ſed ſolùm in lingua.

Verſ. 11.12. *Et noluerunt attendere, &c.* Hæc ego parentibus veſtris ſæpè commendabam: ſed ipſi neque aures ad mea verba, neque ad voluntatem meam animum aduerterunt: Sed cum deſpectu tergum ad me conuerterunt recedentes: & ne audirent poſt tergum me clamantem aures ſuas obturarent. * Tanta Dei pietas, vt fugientem peccatorem poſt tergum clamans ſatagat reuocare.] *Et cor ſuum poſuerunt vt adamantem, ne audirent legem, &c.* Ne legis præſcripta, & verba, quæ meo ſpiritu afflati Prophetæ ad illos loquebantur audirent, cor ſuum adamantis in modum obdurarunt. Quare Deus contrà illos graui fuit indignatione affectus. * Hinc intuitus, obdurationem peccatoris, ac perſiſtentiam in ſcelere ſæpè profluere ex eo, quod ſacris concionibus intereſſe refugiat.]

Tanta Dei pietas, vt fugientem peccatorem reuocare ad ſe curet poſt tergum clamans.

Pertinacia peccatoris in ſcelere, ex eo quòd ſacris Concionibus intereſſe refugiat.

Verſ. 13.14. *Et factum eſt, ſicut locutus ſum, &c.* Idcircò ſuo magno merito id conſecuti ſunt, dum monita mea, & præſcripta impudenter eludunt: vt cum ipſi malis vrgentibus ad me clamauerint, ego ad illorum clamores, & preces obſurdeſcam. * Certè qui Deum Concionatorum ore clamantem audire contemnunt, cum tribulatione preſſi clamauerint ad Dominum, ab eo minime exaudientur. Surdum enim ſe ſurdis oſtendet.] *Et diſperſi eos per omnia Regna, &c.* Diſperſi igitur eos per ignotas, barbaraſque nationes: & regionem deſiderabilem adeò derelictam reliquerunt, vt ſyluarum in modum inhorruerit, eo quod nemo ſit non ſolum qui ad illam reuertatur, ſed neque qui in tranſcurſu reſpiciat. * *Poſuerunt*, inquit, *terram deſiderabilem in deſertum.* Non ego illam in deſertum abire feci, ſed ipſi ſuis ſceleribus id geſſerunt. Ob ciuium enim crimina Ciuitates abeunt in deſolationem.]

Surdo peccatori Deus ſe ſurdum oſtendet.

* Peccata ciuium Vrbes in deſolationem facıunt abire.

CAPVT VIII.

Templi inſtauratoribus Deus plenam ſuam benedictionem promittit. Reſpondétque quæſtioni circa ieiunium cap. præcedenti propoſitæ.

1\. ET factum eſt verbum Domini exercituum, dicens: 2. Hæc
dicit Dominus exercituum: Zelatus ſum Sion zelo magno,
& indignatione magna zelatus ſum eam. 3. Hæc dicit Do-
minus exercituum: Reuerſus ſum ad Sion, & habitabo in
medio Ieruſalem: & vocabitur Ieruſalem Ciuitas veritatis,
& mons Domini exercituum mons ſanctificatus. 4. Hæc
dicit Dominus exercituum: Adhuc habitabunt ſenes & anus
in plateis Ieruſalem: & viri baculus in manu eius præ multitudine dierum. 5. Et
plateæ ciuitatis complebuntur infantibus & puellis, ludentibus in plateis eius.
6\. Hæc dicit Dominus exercituum: Si videbitur difficile in oculis reliquiarum po-
puli huius in diebus illis, numquid in oculis meis difficile erit, dicit Dominus exer-
cituum? 7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego ſaluabo populum meum de
terra Orientis, & de terra Occaſus ſolis. 8. Et adducam eos, & habitabunt in
medio Ieruſalem: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, in veritate &
in iuſtitia. 9. Hæc dicit Dominus exercituum: Confortentur manus veſtræ, qui
auditis in his diebus ſermones iſtos per os prophetarum in die qua fundata eſt do-
mus Domini exercituum, vt templum ædificaretur. 10. Siquidem ante dies illos
merces hominum non erat, nec merces iumentorum erat; neque introeunti, neque
exeunti erat pax præ tribulatione: & dimiſi omnes homines, vnumquemque con-
tra proximum ſuum. 11. Nunc autem non iuxta dies priores ego faciam reliquiis
populi huius, dicit Dominus exercituum, 12. ſed ſemen pacis erit: vinea dabit
fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum, & cæli dabunt rorem ſuum: & poſſi-
dere faciam reliquias populi huius vniuerſa hæc. 13. Et erit: ſicut eratis maledi-
ctio in Gentibus, domus Iuda, & domus Iſraël: ſic ſaluabo vos, & eritis benedi-
ctio: nolite timere, confortentur manus veſtræ. 14. Quia hæc dicit Dominus
exercituum: Sicut cogitaui vt affligerem vos, cùm ad iracundiam prouocaſſent pa-
tres veſtri me, dicit Dominus, 15. & non ſum miſertus: ſic conuerſus cogitaui
in diebus iſtis vt benefaciam domui Iuda, & Ieruſalem: nolite timere. 16. Hæc
ſunt ergo verba, quæ facietis: Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo

ſuo

ſuo: veritatem, & iudicium pacis iudicate in portis veſtris. 17. Et vnuſquiſque malum contra amicum ſuum ne cogitetis in cordibus veſtris: & iuramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc ſunt, quæ odi, dicit Dominus. 18. Et factum eſt verbum Domini exercituum ad me, dicens. 19. Hæc dicit Dominus exercituum: Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium, & lætitiam, & in ſolemnitates præclaras: veritatem tantùm, & pacem diligite. 20. Hæc dicit Dominus exercituum: Vſquequò veniant populi, & habitent in ciuitatibus multis. 21. & vadant habitatores, vnus ad alterum, dicentes: Eamus, & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum: vadam etiam ego. 22. Et venient populi multi, & gentes robuſtæ ad quærendum Dominum exercituum in Ieruſalem, & deprecandam faciem Domini. 23. Hæc dicit Dominus exercituum: In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines, ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes: Ibimus vobiſcum: audiuimus enim quoniam Deus vobiſcum eſt.

COMMENTARII.

1\.

Promiſſis inſtauratoribus Templi plenâ benedictione.

VERS. 1.2.3. *Et factum eſt verbum Domini exercituũ, &c. Zelatus ſum Sion zelo magno, &c.* Synagogam Iudæorum ſponſam meam, ſed fugitiuam, ſed adulteram zelatus ſum indignatione magna, quod me ſponſum ſuum tam ſui amantem tam fœde deliquerit, & ad idola fugerit. Vnde & coactus ſum illam Chaldæis tradere puniendam. *Hæc dicit Dominus exercituum: Reuerſus ſum ad Sion, &c.* Sed illa iam reſipiſcente, ad illam eodem, quo anteà reuerſus ſum amore, & affectu, ſupplicemque in gratiam & thorum benignus excepi: & habitabo deinceps cum illa, vt cum electa ſponſa mea in Vrbe Ieruſalem, quæ eſt Ciuitas veritatis. Hebr. אמת *emeth*, id eſt, ſtabilitatis, quæ non amplius ad idola deflectet, ſed fidem mihi ſponſo ſuo iam datam perpetuò deinceps aſſeruatura eſt. * En pœnitentis animæ typum, quæ ad Deum reuerſa non peccandi amplius propoſito ſtabilitur. Et quidem poſt reditum ex Babylonia nunquam amplius Synagoga ad idola deflexit, in præfati propoſiti documentum.] Erit itaque Ciuitas quæ verè & ex animo me obſeruet: & mons hucuſque derelictus, ac violatus ſanctitate rediuiui Templi, & reſtituta religione illuſtrabitur.

Propoſitum non amplius delinquendi pœnitẽti neceſſarium illuſtratur.

Verſ. 4.5.6. Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc habitabunt ſenes, & anus in plateis Ieruſalem, &c. Rurſus ad me Dominus: Complebunt Ieroſolymæ plateas vtriuſque ſexus plurimi natu vſque adeo grandes, vt decrepita ſenectute membra baculo ſuſtentent. * Mirariſne poſt ſeptuaginta annorum captiuitatem ſenes & anus tam grandeuæ ætatis ad Ieroſolymam fuiſſe reuerſos? Profectò hæc eſt vis ſuſtinentiæ laborum non ſolum roborandi ſpiritum, ſed & vitam corporis producendi.] *Et plateæ Ciuitatis complebuntur infantibus, & puellis ludentibus in plateis eius.* Neque deerunt quoque inter ſenes infantium, ac puellarum feſtiui chori. *Hæc dicit Dominus exercituum: ſi videbitur difficile in oculis reliquiarum populi, &c.* Hæc iterùm Dominus ad me: Quod ſi qui reliqui ſunt à cæde, & exilio, id difficile putant: id tamen longè erit apud me facile, dicit Dominus.

Laborum ſuſtinentia aſſolet vitam producere.

* Hinc roboratur ſpes illorum, qui depreſſi laboribus & infortuniis de reductione ad priſtinum felicitatis deſperant ſtatum. Ad Deum accurrant, qui quod nobis impoſſibile obiicitur, facillimo negotio perficit.]

Nullus deſperet de felicitate perdita recuperanda, ſi ad Deum accurrat.

Verſ. 7.8.9. Hæc dicit Dominus exercituum &c. Iterum ad me Dominus: En ego reducam populum meum ab Occaſu & Ortu, id eſt, ab omnibus locis, in quæ fuerat diſperſus. *Et adducam eos, & habitabunt in medio Ieruſalem, &c.* Faciam, vt rurſus habitet in Ieruſalem. Quem ego vt populum meum iterùm amplexabor: & ipſe me verè, iuſtè ac ſeriò obſeruabit, & colet. *Hæc dicit Dominus exercituum: Confortentur manus veſtræ, &c.* Sic iterum Dominus ad me: O vos, qui auditis his diebus ſermones hos per ora Prophetarum, qui fuerunt in die, quo fundata eſt domus Domini, (id eſt, quo ſoluta captiuitate rediuiui Templi iacta ſunt fundamenta) confortate manus veſtras commoditatis, & vbertatis maioris ſpe. * Dum enim manus noſtræ ad Templi vel altaris Dei obſequium exercentur: ipſæ manus ad excipienda cæleſtia munera præparantur.] * Preme verbum, *Confortentur manus veſtræ*, roborentur. Tanta enim cæleſtium bonorum copia, imò & temporalium iis, qui Templorum ornatui ſubſeruiunt, vt neceſſarium ſit eis manus confortare, vt valeant eam immenſitatem ſuſtinere. Quæ quidem ad immenſos eleemoſynæ prouentus facilè accommodabis.]

Dum manus noſtræ ad ſeruiendum Templa exercẽtur, ad excipiẽda cæleſtia munera præparantur.

Immenſurabiles eleemoſynæ aut Templo, aut egenis factæ prouentus.

Verſ. 10.11.12. Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, &c. Nam ante hos dies non erat fructus, quem hominum, ac iumentorum operæ ſterilis rependeret ager. Neque ex vllo labore, quem homo in agro excolendo contuliſſet, quidquam proſperum percipiebat. Idque ideò maximè, quia ſoluta ſocietate, & animis diffidentibus omnia turbatè, ac trepidè fiebant, neque quidquam erat à periculo vacuum. Conuenientius alij: Non erat pax, Samaritis, Moabitis, aliiſque hoſtibus vndique vos infeſtantibus. Sed & domi permiſſu meo ſeditiones erant, vnoquoque contra proximum ſuum inſurgente, rixante, pugnante. * Confert quidem ad fructuum vbertatem ciuium vnio; ſolet enim Deus ſterilitate eorum diſſidia vindicare.] *Nunc autem non iuxta dies priores ego faciam, &c.* Nunc verò longè aliter, dicit Dominus, cum reliquiis me populi geram,

Confert vel ad fructũ agri percipiendũ ciuium concordia.

ram. *Sed ſemen pacis erit : vinea dabit fructum ſuum, &c.* Nam terræ commiſſum ſemen cumulatè fœnus agricolæ referet : vinea botris, ager manipulis abundè cultoris operam compenſabit ; neque enim me iam placato, ac propitio cæleſtis imber tellori deerit. Hæc omnia affatim à me reliquiæ populi recipient. * Vt agricolæ edoceantur, fruſtra operam in excolendis agris impendi, ſi infenſo Numine pluuia non effluat. Vndè ad ſterilitatem ablegandam placando imbris Domino ſtudendum.]

Placando Deo ſtudendũ, ad agrorum ſterilitatem obligandam.

Verſ. 13. 14. 15. *Et erit : ſicut eratis, &c.* Et ſicut antea omnia vobis infeliciter, ſic contra nunc omnia feliciſſimè euenient : vt quemadmodum veſtra infortunia prius in gratis alicuius ærumnæ prouerbiali figura comparationem adhibebantur ; ſic deinceps veſtra felicitas in magnæ alicuius felicitatis amplificationem aſſumi valeat. Quare depoſito metu, meliorem iam animum accipite. *Quia hæc dicit Dominus exercituum, &c.* Quoniam hæc dicit Dominus : ſicut parentum veſtrorum peccatis ad iracundiam prouocatus, de veſtra afflictione cogitationem ſuſcepi. (* Sæpè Deus parentum crimina punit, ærumnis filios exagitando.]) neque diù miſertus ſum ; ſic iam ad miſerationem inflexus, munificus eſſe volui in vos, ô Iuda, & Ieroſolyma. Quare metum depouite.

Sæpè Deus parentũ peccata punit, laboribus filios exagitando.

Verſ. 16. 17. *Hæc ſunt ergo verba, quæ facietis, &c.* Hæc ergo facietis, ſi vultis eorum bonorum beneficio potiri, quæ vobis modo largè polliceor. Non ſimulatè, ac fraudulenter cum proximis, ſed verè agite : in iudiciis veſtris, cum portarum tribunal inieritis, pacem, & iuſtitiam ſeruate. Quid eſt, a Iudicibus iudicari pacem ? Certè contendere, quantum æquitas dederit, vt litis bellum intercidatur, & litigatores à tribunali impare recedant.] *Et vnuſquiſque malum contra amicum ſuum, &c.* Neque quiſquam aliquid in fratrem ſuum mali meditetur. Neque vobis placeant iuramenta deliberata mendaciis. Hæc enim ſunt, dicit Dominus, quæ odi, atque deteſtor. * *Malum,* inquit, *contra amicum non cogitetis*, id eſt, contra proximum. Proximus enim quilibet amici loco eſt à vobis habendus : & ſicut nefas eſt, aliquid mali contra amicum moliri, ſic ſit nefas contra proximum, quem amare tenemur, aliquid incommodi cogitare.]

Iudices debent litigatorum pacẽ procurare, litium bella ſopiri.

Quilibet proxim' nobis ſit velut amicus, quẽ ſit nefas lædere.

* Addit, *Iuramentum non mendax non diligatis.* Sic enim nonnullis familiare eſt peierare, vt diligere ſcelus illud ingens videatur.]

Nonnulli iam familiariter peierãt, vt videantur periurium diligere.

Verſ. 18. 19. 20. 21. *Pactum eſt verbum Domini exercituum ad me dicens, &c.* Nunc iam, dicit Dominus, ad legatorum interrogata reſpondeo : non ſolum ieiunium quinti, ſed etiam ieiunium quarti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi menſis, de quibus nihil rogatum fuerat, omitti poſſe : modò, vt anteà dixeram, veritas, & pax colatur. Nam ieiunia illa deinceps Iudæo popolo in gaudium, in lætitiam, in ſolemnitates præclaras conuertentur. * Hinc monentur, qui vitiis implicati Sabbato verbi gratia, Deiparæ in honorem ieiunant, benè quidem agere, vt à Virgine impetrent ad meliorem mentem interceſſionem : ſed tamen ſatius eis eſſe, ſi vice ieiunij in Deiparæ obſequium à ſceleribus abſtinerent.] *Hæc dicit Dominus exercituum : Vſquequo veniant populi, &c.* Et adiecit Dominus : Venient vſque adeò alacres populi, vt Ciuitates multas Iudææ inhabitent : vt ſe mutuo auide cohortentur, dicántque viciſſim : Eamus, vt adoremus Dominum, agite, & Dominum exercituum quæramus. Cumque aliqui apud ſe ſtatuerint eò proficiſci, alij rurſus, atque alij ſe ſocios adiungent, dicentes eadem alacritate : Nos etiam vobiſcum properabimus. * Exemplum pietatis vnius alios excitat, ad eiuſdem ſequelam pietatis.]

2\. Reſpondet ad quæſtionẽ de ieiunio præcedenti capite à nuncijs propoſitam.

Qui Sabbato in Deiparæ obſequiũ ieiunant, rectius agerẽt, ſi ea die à ſceleribus abſtinerent.

Exemplum pietatis vnius alios ad eandem pietatẽ ſectandam excitat.

Verſ. 22. 23. *Et venient populi multi, &c.* Accedent tandem populi multi nec ignobiles, nec infirmi, ſed ſplendidi atque robuſti, vt Dominum exercituum quærant, illumque in Ieroſolyma venerentur. Hæc dicit Dominus exercituum : *In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines, &c.* Hæc denique Dominus : Eo tempore ex omnium Gentium linguis, decem, (id eſt, plurimi homines) Iudæis adhærebunt, & apprehenſa eorum lacinia dicent : In eandem nos Ciuitatem, & religionem ſocios aſſumite. Exploratum enim eſt nobis id, quod iam multo populorum rumore accepimus, Deum eſſe vobiſcum. * Ex his diſce Gentilibus Chriſtianus ediſcat, eorum veſtigia ſequi, in quibus ex vitæ puritate cognouerimus Deum inhabitare.]

Sectemur illorum veſtigia.

CAPVT IX.

Iudæis è Babylone reductis Deus promittit, ſe vicinos eorum hoſtes debellaturum, Chriſtúmque eis immiſſurum Regem pacis.

1\. ONvs verbi Domini in terra Hadrach, & Damaſci requiei
eius : quia Domini eſt oculus hominis, & omnium Tribuum
Iſrael. 2. Emath quoque in terminis eius, & Tyrus, & Si-
don : aſſumpſerunt quippe ſibi ſapientiam valde. 3. Et æ-
dificauit Tyrus munitionem ſuam, & coaceruauit argentum
quaſi humum, & aurum vt lutum platearum. 4. Ecce
Dominus poſſidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem
eius, & hæc igni deuorabitur. 5. Videbit Aſcalon, & timebit ; & Gaza, & dolebit

nimis ;

nimis; & Accaron, quoniam confuſa eſt ſpes eius: & peribit rex de Gaza, & Aſ-
calon non habitabitur. 6. Et ſedebit ſeparator in Azoto, & diſperdam ſuper-
biam Philiſthinorum. 7. Et auferam ſanguinem eius de ore eius, & abomina-
tiones eius de medio dentium eius, & relinquetur etiam ipſe Deo noſtro, & erit
quaſi dux in Iuda, & Accaron quaſi Iebuſæus. 8. Et circumdabo domum meam
ex his, qui militant mihi euntes & reuertentes, & non tranſibit ſuper eos vltrà exa-
ctor: quia nunc vidi in oculis meis. 9. Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Ieruſalem:
ECCE REX TVVS veniet tibi iuſtus, & ſaluator: ipſe pauper, & aſcendens
ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ. 10. Et diſperdam quadrigam ex
Ephraïm, & equum de Ieruſalem, & diſſipabitur arcus belli: & loquetur pacem
Gentibus, & poteſtas eius à mari vſque ad mare, & à fluminibus vſque ad fines ter-
ræ. 11. Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo
non eſt aqua. 12. Conuertimini ad munitionem vincti ſpei, hodie quoque annun-
tians duplicia reddam tibi. 13. Quoniam extendi mihi Iudam, quaſi arcum imple-
ui Ephraim: & ſuſcitabo filios tuos Sion ſuper filios tuos Græcia: & ponam te quaſi
gladium fortium. 14. Et Dominus Deus ſuper eos videbitur, & exibit vt fulgur,
iaculum eius, & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Auſtri. 15. Do-
minus exercituum proteget eos: & deuorabunt, & ſubiicient lapidibus fundæ: &
bibentes inebriabuntur quaſi à vino, & replebuntur vt phialæ, & quaſi cornua
altaris. 16. Et ſaluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, vt gregem populi
ſui: quia lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram eius. 17. Quid enim bonum
eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans
virgines?

COMMENTARII.

1. *Promittit Deus Iudais à Babylone reductus, ſe vicinos eorum hoſtes debellaturum.*

VERS. 1. *Onus verbi Domini in terra Hadrah, &c.* Onerosa & dura prophetia, qua clades intentatur terræ Hadrach & Damaſci. Metropoles ſunt illa Cœleſyriæ, hæc Syriæ Damaſcenæ. In duobus his locis requieſcet, ſeu inſidebit onus hoc minacis vaticinij, hoc calamitatum pondus. Quia oculus hominis, & præcipuè Tribuum Iſraël, quem iſti populi læſerunt, oculus eſt Dei: atque ideò illis violatis, atque compunctis, oculus Dei compunctus, ac violatus eſſe videtur. * Cum enim proximo inferuntur iniuriæ, ipſi Deo illatas eſſe, non dubitandum.]

Cum proximo infertur iniuria, ipſi Deo certum eſt inferri.

Verſ. 2. 3. 4. Emath quoque in terminis eius, &c. Quo in numero etiam pono Emath, ſeu Antiochiam reliquæ Syriæ caput, & Tyrum, & Sidonem primarias Phœniciæ Vrbes: licet multa Sapientia contrà omnia bellorum diſcrimina munitas ſe exiſtiment: quia vt prouinciarum terminis, ſic etiam ſceleribus ſunt affines. * Nihil proficit humanæ induſtriæ ad protegenda Regna vis, ſi morum virtus non ſimul adiiciatur munimentum.] *Et ædificabit Tyrus munitionem ſuam, &c.* Communiet ſe Tyrus muro, & aggere contra vim hoſtilem: & argentum aggregabit, non aliter quàm humum, & aurum non ſecus quàm lutum de plateis congregari ſolet. *Ecce Dominus poſſidebit eam, &c.* Illam tamen ſic muris, auro & argento munitam Dominus obtinebit: & cum in medio mari ſita ſit, ibi tamen occupabit illam, & tradet incendio, quod immenſæ ſui pelagi aquæ non valebunt extinguere. * Imprudens Imperator, cuius totum eſt ſtudium, aurum & argentum ad bellum imminens præparare, ſi non ſimul de ſuis ſubditorumque moribus componendis agit.]

Ad Regni protectioné non ſufficit armorũ vis, ſi munimentum virtutis non adiiciatur.

Non prodeſt ad bellũ feliciter gerendum argentũ & aurum, ſi peccata ſubditorum non tollantur.

Verſ. 5. 6. Videbit Aſcalon, & timebit; &c. Videbit hoc Tyri, per Alexandrum, excidium vicina, & confœderata, Accaron, reliquaque Philiſthæa, & extreme dolebit, quia ſciſſa Tyro, confuſa, quia ſciſſa Tyro, confuſa, & ſublata eſt omnis eius ſpes hoſtibus reſiſtendi. Vnde non peribit Gazæ Rex, ſeu Regulus vel Satrapa illius. Huic nomen erat Betis, quem Alexander capta bimeſtrem obſidionem Gaza, iuſſit circum Vrbem probroſè raptari. Aſcalon quoque vſque eò deſtruetur, vt non amplius inhabitanda ſit ab hominibus, ſed ſolum pecorum paſcuis deſeruitura, vt Sophonias prædixit *cap. 2. 4.* Sed rurſum inſtaurata fuit, & ex ea prodiit Herodes infanticida ideò Aſcalonita dictus. * Maiori quidem Dei irati ſupplicio inſtaurata fuit, quam deleta Aſcalon; quia matrem fuiſſe tam horribilis infanticidæ tantum eſt Vrbis opprobrium, vt tam infame non fuiſſet excidium.] *Et ſedebit ſeparator in Azoto, &c.* In Azoto quoque ſubacta ſedens *Separator*, id eſt, Iudæa vel Dominus, victor ſeparabit reos ab innocentibus, morti deſtinatos à vita donatis, ſeruos à liberis Hebr. pro *Separator*, eſt ממזר *mamzer*, id eſt, *ſpurius*, vt vertit Vatablus, volens, notari hîc Alexandrum Magnum non ex Philippo, ſed ex Nectabano mago conceptum Iouem ſe ſimulante, vt mater eius Olimpias confeſſa fuit, ideò à Philippo repudiata. Significat & *Alienigenam*: & ſic deſignat Ionatham Machabæum Philiſthæis vere extraneum, qui octo Azotiorum milia gladio & igne à reliquis deuictis ſeparauit.

Infame admodum eſt Vrbi patriã eſſe tyranni, ac magni peccatoris.

Verſ. 7. 8. Et auferam ſanguinem eius de ore eius, &c. Dabunt enim iniuriæ illatæ pœnas, & ſuo ſanguine effuſi Iudaïci ſanguinis, & execrandæ audaciæ ſupplicium expendent. Denique ſicut de Tyro antea dictum eſt, ipſa quoque Deo ſubiicietur. Et erit eius Dux & moderator Iudæus: cui Accaron præſtabit illud

ſeruile miniſterium, quod eidem olim præſtitit Iebuſæus, à Dauide ſubactus 2. *Reg.* 5.6. *Et circumdabo domum meam, &c.* Et ex his miniſtris, qui mihi adſtant adnutum expediti, & prompti in circuitu poſſeſſionis meæ, conſtituam cuſtodes. Neque ſicut antea è vicinis populis exactores erunt duri atque frequentes, qui populo meo vectigalia imponant, aut exigant. Quia iam benigniori illum reſpexi oculis omninò meis, id eſt, non grauibus ac ſeueris: ſed placidis, ac mitibus. * Ergo cum Deus permittit tot duros exactores ad Chriſticolarum populos irruere, vt vectigalia exquirant, innuitur planè Deum ob ſcelera noſtra nos grauibus ac ſeueris oculis aſpectare.] * Tanta equidem eſt ciuium calamitas ex tributorum exactione, vt Deus pro ſumma hic felicitate promittat populo ſuo, ab exactoribus hiſce eſſe liberandum.]

Signum eſt Dei admodũ irati, populos Chriſtianorum tot grauari tributis.

Summa hic ciuium Calamitas, nimia tributorum exactio.

2\. *Meſſiam Regem pacificum promittit vaſtorum.*

Verſ. 9. *Exulta ſatis filia Sion, &c.* Hæc tibi ô filia Sion ampla ſunt à Domino beneficia, humana tamen, & altioris beneficij typus: exultabas earum rerum commutatione, de qua nuper: nunc multò magis exulta, atque adeò toto præcordiorum iubila affectu, qui Rex tuus Chriſtus veniet tibi, non iniuſtus, ac violentus, ſicut plerique aliorum Regum, qui ſibi, non alijs regnare contendunt; ſed iuſtus, & ſaluator, qui tuam, non ſuam commoditatem quæret. Non opprimet te, quia pauper eſt, & mitis, qui non militari quadriga, ſed in aſina eiuſque pullo deſultoriè ſedebit. Succeſſiuè Chriſtum Dominum vtrique inſediſſe à Patribus aſſeritur. * LXX. quos Matthæus ſequitur, pro *Pauper* legerunt *Manſuetus.* Pauper enim ſpiritu agnatam habere debet manſuetudinem.]

Pauperi ſpiritu agnata eſt manſuetudo.

Verſ. 10.11.12. *Et diſperdam quadrigam, &c.* Quia Rex pacificus erit Chriſtus, diſperdet quadrigas de Ephraim, & equum de Ieruſalem, id eſt, tam decem quam duos Tribus pace donabit. Neque enim in eius Regno arcus erit ad bellum, quia iam ad bellicos vſus neceſſarius non erit. Cuius Imperium à mari vſque ad mare, & à fluminibus ad extremos vſque terræ fines latè ſe diffundet. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos de lacu, in quo non eſt aqua.* Tu quoque ô Rex pacifice, & ſeruator Ieſu, non ſatis habuiſti reſtituiſſe tuos à Babylonio carcere; ſed firmato iam ſanguine tuo teſtamento, eos, qui in ſinu Abrahæ vincti tenebantur, ad lucem, & felicitatem æternam eduxiſti. *Conuertimini ad munitionem vincti ſpei, &c.* O vos qui vincti Redemptoris veſtri aduentum expectatis, diffundite iam, & exhilarate animum, voſque ad libertatis veſtræ auctorem, ac vindicem conuertite, Pollicitus ſum tibi plurima, eaque ampliſſima beneficia Meſſiæ tempore: nunc verò alia tibi polliceor nondiu differenda, ſed *hodie*, id eſt, non longè poſt hoc tempus præſtanda.

Verſ. 13.14. *Quoniam extendi mihi Iudam, &c.* Quoniam aſſumam mihi Iudam quaſi arcum, & Ephraim quaſi neruum inſtructum iaculis abducam vehementer: & ciues tuos ô Sion excitabo, armaboque contrà Græcorum agmina, & eris mihi ô Sion, non vt inutilis, aut plumbeus gladius, ſed qualis verſari, ac vibrari ſolet robuſtorum lacertis. *Et Dominus Deus ſuper eos videbitur, &c.* Aderit Deus pugnantibus Iudæis, qui fulguris in modum vibrabit iacula, & tuba populos ad arma coget, & ad auxiliandum velox accurret: & inter hoſtes velut turbo ab Auſtrali regione graſſabitur. His bellicis metaphoris deſignatur bellica Machabæorum fortitudo: & allegoricè vis, & energia Euangelicæ prædicationis.

Verſ. 15. 16 17. *Dominus exercituum proteget eos, &c.* Iudæi ergo protegente Domino hoſtes ſuos lapidibus excuſſis à funda proſternent: quorum carnes vorabunt, bibentque ſanguinem ad ebrietatem vſque: quo non aliter replebuntur, quam altaris cornua imbui ſanguine, aut phialæ, quæ victimarum ſanguinem ſolent excipere. Ac ſi diceret.: Tantam ſternent hoſtium copiam, vt ſi ſanguinem cæſorum bibere vellent, (quod nonnulli efferati olim geſſerunt, *Pſal.* 109.7.) prorſus inebriarentur. *Et ſaluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, &c.* Eo autem tempore populum ſua benignitate ſeruatum paſcet Deus quaſi gregem ſuum: in paſcuis ſuis ſignis & titulis quaſi lapide terminali conſignatis. *Quid enim bonum eius, eſt, &c.* O quantum bonitatis ac pulchritudinis habebit ager ille, quem Dominus ſuo populo aſſignabit, quemque ſuis titulis circumſcribet! Afferet enim frumentum, quod iuuenes robuſtos, & vinum, quod virgines florentes atque nitentes faciat. Per hoc frumentum, & vinum alij intelligunt vberem alimoniam temporalem Iudæis conceſſam. Alij alimoniam ſpiritualem legis Moſaicæ eiſdem ſubmiſſam è ſuperis. * Alij aptius corpus & ſanguinem Chriſti Domini accipiunt in Eucharistia panis, ac vini ſpeciebus obuelatum. Hoc enim alimento nihil pulchrius, nihil nobilius, nihil melius Deus habet, nihil etiam efficacius ad prauos animi motus paſſioneſque compeſcendas, ad caſtitatem, alacritatem, robur, vtriuſque hominis viuacitatem, & incorruptionem, adeoque & immortalitatem inducendam.]

Euchariſtia frumentum electorum, & vinum germinans virgines.

CAPVT X.

Temporalem benedictionem fructuum terræ à Deo, non ab idolis poſtulandam edocet. Promittit, à Deo excitandos Machabæos (allegoricè Apoſtolos) qui ſua virtute, ſuis victorijs, Iudæam, (& Eccleſiam) omni bonorum genere facient exundare.

1. PETITE à Dominò pluuiam in tempore ſerotino, & Dominus
faciet niues, & pluuiam imbris dabit eis, ſingulis herbam in
agro. 2. Quia ſimulacra locuta ſunt inutile, & diuini vide-
runt mendacium, & ſomniatores locuti ſunt fruſtrà: va-
nè conſolabantur: idcircò abducti ſunt quaſi grex: affligen-
tur, quia non eſt eis paſtor. 3. Super paſtores iratus eſt fu-
ror meus, & ſuper hircos viſitabo: quia viſitauit Dominus
exercituum gregem ſuum domum Iuda, & poſuit eos quaſi equum gloriæ ſuæ in
bello. 4. Ex ipſo angulus, ex ipſo paxillus, ex ipſo arcus prælij, ex ipſo egredietur
omnis exactor ſimul. 5. Et erunt quaſi fortes conculcantes lutum viarum in
prælio: & bellabunt, quia Dominus cum eis: & confundentur aſcenſores equo-
rum. 6. Et confortabo domum Iuda, & domum Ioſeph ſaluabo: & conuertam
eos, quia miſerebor eorum: & erunt ſicut fuerunt quando non proieceram eos: ego
enim Dominus Deus eorum, & exaudiam eos. 7. Et erunt quaſi fortes Ephraim,
& lætabitur cor eorum quaſi à vino: & filij eorum videbunt, & lætabuntur, & exul-
tabit cor eorum in Domino. 8. Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi
eos: & multiplicabo eos, ſicut antè fuerant multiplicati. 9. Et ſeminabo eos in
populis, & de longè recordabuntur mei: & viuent cum filiis ſuis, & reuertentur.
10. Et reducam eos de Terra Ægypti, & de Aſſyriis congregabo eos, & ad Terram
Galaad & Libani adducam eos, & non inuenietur eis locus: 11. & tranſibit in ma-
ris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis, &
humiliabitur ſuperbia Aſſur, & ſceptrum Ægypti recedet. 12. Confortabo eos in
Domino, & in nomine eius ambulabunt, dicit Dominus.

COMMENTARII.

1. *Edocet, non ab idolis, ſed à Deo benedictionē frugum poſtulādum.*

VERS. 1. *Petite à Domino pluuiam in tempore ſerotino, &c.* Plurima vobis agrorum emolumenta promiſi, quæ ne vana futura eſſe ſuſpicemini, agite iam, petite ſerotinam pluuiam, quà maximè indiget annus, vt ſegetes ad ſpicam, & maturitatem adducat: & dabit Dominus vobis niuem, & imbrem largum, ita, vt pro pecorum pabulo ager gramine abundet. * *Petite*, inquit, *& dabit.* Sola oratio veſtra erit pretium, quo cuncta temporalia bona affatim comparetis. O quàm facilis hominibus omnium bonorum acquiſitio! *Petite, & dabit.*]

Facilis eſt hominibus omnium bonorum acquiſitio: ſi orent, recipient.

Verſ. 2. Quoniam ſimulacra locuta ſunt inutile, &c. Hæc Dei promiſſa longiſſimè abſunt ab illis, quibus ſimulacra, Pſeudoprophetæ, aut arioli ante captiuitatem nimium credulum populum lactabant, dicentes, nihil illis mali eſſe adfuturum, vel à cæli, vel ab hoſtium inclementia, vel iniuria. Somniatores etiam populo fuere illi, qui captiuitatis tempore prædicabant, ſi ad patrium ſolum rediiſſet, omnia fut ura ei anguſta, & ærumnoſa. Idcircò miſeri Hebræi abducti fuerunt in exilium: & nunc plerique manent ſicut grex, cui non eſt paſtor, vt in Babylonia fiant lupis in prædam.

Verſ. 3. 4. Super paſtores iratus eſt furor meus, &c. In hos ergo pſeudoprophetas, qui paſtores, ſeu ductores tanti exitij extitère grauiter ſum indignatus. Neque adhuc ſatis in hircos, id eſt, populi Duces, qui audientes pſeudoprophetarum nugas nimis obſequentem populum in eandem ſecum perniciem traxere, ſæuitum eſt. * Calamitates populi prauis Gubernatoribus tribuuntur.] Vnde cum iam viſitet Deus gregem ſuum, ſeu gentem Iudaicam ex omnibus omnium Tribuum, qui in Iudæam reuerterant, conflatam: Separabit à grege ſuo fœtentes hos hircos, & alios ſubſtituet veros paſtores, ac Duces, puta nepotes Zorobabelis politici Principis, & poſteros Ieſu Pontificis, ac tandem Principes Machabæos. Hi quidem quaſi equi generoſi, & ſtrenui equites ad bella pro populo procedent, hoſtes illius profligabunt, & Regnum, ac gloriam Dei quaquauerſum propagabunt. * Prælatis eccleſiæ curandum, vt Chriſto ſint equi gloriæ, non ruinæ: nè eius Regnum, & glo-

Calamitates populi prauis Gubernatoribus tribuuntur.

Prælati Eccleſiæ debent eſſe equi gloriæ Chriſti, non ruinæ.

riam potius perdant, quam propagent.] *Ex ipſo angulus, ex ipſo paxillus, ex ipſo arcus prælij, ex ipſo egredietur omnis exactor ſimul.* In hoc Iudaico populo, quem Dominus ad priſtinam reducet dignitatem, non ſolum equus erit, quo Deus glorioſè dimicet, ac triumphet: ſed etiam angulus, ſeu turris, ſeu armamentarium, & paxillus, vnde arma dependeant, & arcus, atque alia militaria inſtrumenta, quibus inſtructi milites in aciem prodeant, & qui domitis hoſtibus imponant, atque exigant vectigalia, * Profectò tantum malum eſt tributorum impoſitio, & exactio, vt volens Deus iram ſuam contrà populi ſui hoſtes oſtendere, minetur, tributa eis imponenda, & exigenda.]

Grande malum eſt populis tributorum impoſitio, & exactio.

Verſ. 5.6.7. Et erunt quaſi fortes conculcantes lutum viarum in prælio, &c. Hi verò gigantum in morem, præſenti Dei auxilio fulti, ſic ſtrenuè contra equorum aſcenſores dimicabunt, vt illorum gloriam deprimant, ac conculcent non ſecus atque platearum lutum. *Et confortabo domum Iuda, &c.* Et domum Iudæ & Iſraëlis roborabo: & eorum vicem miſeratus vtroſque ad antiquam felicitatem reſtituam. Ego enim Dominus Deus eorum precibus randem illorum annuam. * Poſtquam dixit; *Confortabo domum Iuda, & domum Ioſeph*, vt de hoſtibus triumphum agant: mox addit, *Et conuertam eos.* Beneficia enim à Domino gratis accepta quaſi cogunt homines, vt ad eum ſerio, & ex corde conuertantur. Quis enim audebit contra eum delinquere, à quo vel cùm ab eo fugit, tot munera accipit?] *Et erunt quaſi fortes Ephraim, &c.* Et erunt Ephraimitæ quaſi gigantes, quorum animi ſic à lætitia geſtiunt, quaſi qui à vino exhilarantur. Quæ cum eorum filij, ac poſteri videbunt, exultabunt ſolido, ac vero gaudio, quale immitti à Deo ſolet. Ephraimitæ ideo *fortes* vocantur, quia hæc Tribus inter reliquas decem, fuerat fortiſſima, ac glorioſiſſima. *Pſal.* 77.9. Vnde cæteris Tribubus dedit ferè continuo Reges.

Beneficia à Deo peccatori collata, eũ quaſi cogunt ad conuerſionem.

Verſ. 8.9.10. Sibilabo eis &c. Sicut paſtor diſperſum gregem ſibilo: ſic ego populum meum latè diſperſum meo beneficio liberum congregabo: adducamque ad illam multitudinem, à qua confecti cladibus; ac ærumnis exciderant. *Et ſeminabo eos in populis, &c.* Et in promiſſam ſibi terram reuerſi, ac per eam, longe, latéque ſicut olim diſſeminati, viuent læti cum filiis ſuis meæ clementiæ memores, cui acceptum referent beneficium, quod ſcilicet viuant, & floreant. * Quodlibet enim beneficium à Deo acceptum Dei memoriam largientis, & gratiarum actio debet comitari.] *Et reducam eos de terra Ægypti, &c.* Euocabo itaque eos de terra Ægypti, & de Aſſyriorum terminis ad Libanum, & Galaad, Et cum tam latè pateant definita ſpatia, tamen pro redeuntium numero ſic erunt exigua, vt vbi habitent, ſatis loci futurum non ſit. * Sic efficit hominea laborum ſuſtinentia multiplicari.]

Beneficium à Deo acceptum actio gratiarũ debet comitari.

Efficit fideles multiplicari ſuſtinentia laborum.

Verſ. 11.12. Et tranſibit in maris freto, &c. Minus officioſus adero in populum, quem nunc ex Ægypto, ac Aſſyria euocabo, quam in eundem adfui, cum demerſo Pharaone, ex Ægypto quondam eduxi, & in terram promiſſam ſicco alueo traieci. Nam ſi occurrat impedimentum, quare olim in maris Rubri traiectu, aut cum ſe Iordanis tumentibus fluctibus oppoſuit: percutiam rurſus meæ potentiæ virga fluctus, & rurſum maris & fluminis profunda ſiccabo: & ſublatis impedimentis, quæ ſe Ægyptiis, Aſſyriiſque remigrantibus obiicient, illorum poteſtas, ac gloria humiliabitur. *Confortabo eos in Domino, & in nomine eius ambulabunt, dicit Dominus.* Confortabit itaque Dominus populum ſuum, qui in nomine Domini Dei ſui felici procedet inceſſu.

CAPVT XI.

Quia vitia creuerunt, ſemel præterea, & iterum Vrbem & Templum Iudæorum excindendum prædicit ciueſque paſtori ſtulto tradendos, à quo non regendi erunt, ſed mactandi.

1. APERI Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas.
2. Vlula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici va-
ſtati ſunt: vlulate quercus Baſan, quoniam ſucciſus eſt ſaltus
munitus. 3. Vox vlulatus paſtorum, quia vaſtata eſt magni-
ficentia eorum: vox rugitus leonum, quoniam vaſtata eſt ſu-
perbia Iordanis. 4. Hæc dicit Dominus Deus meus: Paſce
pecora occiſionis, 5. quæ qui poſſederant, occidebant, &
non dolebant, & vendebant ea dicentes: Benedictus Dominus, diuites facti ſu-
mus: & paſtores eorum non parcebant eis. 6. Et ego non parcam vltrà ſuper ha-
bitantes terram, dicit Dominus: Ecce ego tradam homines, vnumquemque in
manu proximi ſui, & in manu regis ſui: & concident terram, & non eruam de ma-
nu eorum. 7. Et paſcam pecus occiſionis propter hoc ô pauperes gregis. Et aſ-
ſumpſi mihi duas virgas, vnam vocaui Decorem, & alteram vocaui Funiculum:
& paui gregem. 8. Et ſuccidi tres paſtores in menſe vno: & contracta eſt anima
mea in eis: ſiquidem & anima eorum variauit in me. 9. Et dixi Non paſcam vos:

quod

quod moritur, moriatur, & quod ſucciditur, ſuccidatur: & reliqui deuorent vnuſquiſque carnem proximi ſui. 10. Et tuli virgam meam, quæ vocabatur Decus: & abſcidi eam, vt irritum facerem fœdus meum, quod percuſſi cum omnibus populis. 11. Et in irritum deductum eſt in die illa: & cognouerunt ſic pauperes gregis, qui cuſtodiunt mihi, quia verbum Domini eſt. 12. Et dixi ad eos: Si bonum eſt in oculis veſtris, afferte mercedem meam, & ſi non, quieſcite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. 13. Et dixit Dominus ad me: Proiice illud ad ſtatuarium, decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad ſtatuarium. 14. Et præcidi virgam meam ſecundam, quæ appellabatur Funiculus, vt diſſoluerem germanitatem inter Iudam & Iſraël. 15. Et dixit Dominus ad me: Adhuc ſume tibi vaſa paſtoris ſtulti. 16. Quia ecce ego ſuſcitabo paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, & id quod ſtat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum diſſoluet. 17. O paſtor, & idolum, derelinquens gregem: gladius ſuper brachium eius, & ſuper oculum dextrum eius: brachium eius ariditate ſiccabitur, & oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur.

COMMENTARII.

Duplicis baculi Symbolo Iudæorũ rurſus prædicit excidium.

1. VERS. 1. 2. 3. *Aperi Libane, portas tuas, & comedat ignis cedros tuas.* O Ieroſolyma, quam propter altitudinem, ac ſpeciem Libanum vocito, contra hoſtium copias nihil tua tibi munimenta proficient. Quarè aliquando tuas portas aperies, & liberum relinques hoſtibus aditum. Abſumet ignis cedros, id eſt, Principes, qui inter alios viribus, & auctoritate excellentes aſſurgunt. *Vlula abies, quia cecidit cedrus, &c.* Quod ſi potentiſſima Ciuitas Ieruſalem egregie munita ab hoſte capitur, quid Ciuitates aliæ minus inſtructæ, ac fortes ſperent? Quid non abies timeat, cedro ſucciſſa? quid non ignobilis turba, cum nobilior pars ciuium ſternitur? Plorate ergò iubeo quercus Baſan, Ciuitates nempè alias, cum ſaltus (Ieroſolyma) magis ab arte & natura munitus vaſtatus fuerit. *Vox vlulatus paſtorum, &c.* Vlulabunt Principes populi, quia vaſtata Ieroſolyma, illorum commoditas deperibit, potentia, & faſtus deprimetur. Sicut leones rugient ſublatis paſcuis, quæ ſunt ad Iordanis ripas, vbi alebantur pecora, quia præda deficeret, vbi ſuam famem, & rabiem explerent. * Praui Præſules non dolent, quia ciues pereunt, & quia extrema afficiuntur inopia; ſed quia illis pereuntibus aut ad miſeram fortunam redactis, non habent, vnde ſua valeat auaritia repleri.]

Praui Præſules non dolent de ciuiũ inopia, ſed quia non habent, vnde ſuam auaritiam expleant.

Verſ. 4. 5. Hæc dicit Dominus Deus meus: Paſce pecora occiſionis. Deindè vt hieroglyphica actione miſerrimam populi Iudæorum cladem oculis ſubiicerem, iuſſus ſum à Deo gregem macello deſtinatum paſcere. *Quæ qui poſſederant, occidebant, &c.* Quem quidem gregem domini ſine vllo doloris ſenſu vendunt, & occidunt: imo ſuæ fortunæ gratulantur, aguntque gratias Deo, quod illius cæde locuplerentur: nec paſtores quicquam mouet gregis interitus, imo ipſi vltrò ad lanienam deducunt. * Tanta enim poteſt eſſe tributorum exactio, vt non ſolum ad extremam ciues procedant inopiam, ſed facile ex ea properent ad interitum.]

Nimia tributorum exactione ciues properant ad interitum.

Verſ. 6. 7. Et ego non parcam vltrà ſuper habitantes terram, dicit Dominus. Eodem prorſus R.P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. to. VII. p. I. modo Deus non parcet iis, qui Ieruſalem, & poſſeſſionem Iſraëli deſignatam habitauerint. *Ecce ego tradam homines, &c.* Vt poſſeſſor gregem, quem ad macellum paſcit, aliis, atque aliis vendit, à quibus iuguletur: ita ego, dicit Dominus, populum, de cuius cæde iam eſt à me præſcriptum, tradam in primis proximis ſuis, ac ciuibus, à quibus nihilo leuiora patietur, quam ab hoſtibus. Tradam deindè eum illi, quem ſibi Regem elegit, quem acrem inimicum experietur. Hi verò terram populabuntur Iſraëliticam, nec ego eam de illorum manibus liberabo. * Illa preme: *Tradam homines in manu proximi ſui*, propinqui, amici. Profectò propinqui, & falſi amici ſunt iuratis hoſtibus in te ditiores.] * *Et illa: Et in manu Regis ſui.* ſi Rex à pietate recedit, ſi quæ ſua ſunt, imò quæ non ſunt ſua quærat, & non ſubditorum commodis ſtudeat, horribilis eſt populorum ſtrages.] *Et paſcam pecus occiſionis propter hoc, ô pauperes gregis.* Et re vera paſcam pecus gladio deuotum: propter quod me vehementer miſeret eorum, qui in grege ſunt pauperes, & infirmi. Propter hoc igitur, ô pauperes gregis manſueti, ſimplices, quia à Deo iubeor, vt aſſumpta probi primùm, dein & improbi paſtoris perſona, in me futura hæc repræſentem: idcircò ſcenam nunc ordiar, & paſcam variis viis occiſionis pecus. *Et aſſumpſi mihi duas virgas, &c.* Duos baculos paſtorales ſumpſi vnum appellaui *Decorem*, Hebr. נעם. *noam*, id eſt, *ſuauem, iucundam* gubernationem. Et hæc virga typus erat ſuauis regiminis diuini per amorem, & beneficia, maximè tempore Machabæorum, & Chriſti Domini. Alteram vocitaui Funiculum, Hebr. הבלים *chabalim*, id eſt, *funiculos*, ſeu abditis aliis punctis *chobelim*, id eſt, *colligantes*. Significat hæc virga durum regimen, quo ceruicoſos, ac ſeruilis ingenij Iudæos flagellis, minis, ſuppliciis ad officium Deus pertrahere fuit conatus maximè poſt occiſum ab eis ſeruatorem. His baculis inſtructus gregis paſcendi munus mihi iniunctum obire cœpi. * Docentur Præſules prius virga ſuauitatis, & amoris vſuros eſſe erga ſubditos. At ſi deuient adhuc, & ad mentem meliorem venire detrectent, pecorum inſtar, trahendi ſunt funiculis, verberibuſque vulnerandi.]

Dirior eſt in hominē homo propinquus, aut ſictus amicus, quam iuratus hoſtis.

Rex malus totius Regni exitium.

Præſul prius ergà ſubditos virga manſuetudinis, quam ſeueritatis vtatur.

Verſ. 8.9. *Et ſuccidi tres paſtores in menſe vno, & contracta eſt anima mea in eis: ſiquidem & anima eorum variauit in me.* Res verò ità mihi infeliciter accidit, vt vno menſe tres paſtores ſubmouerim. Quinam hi tres paſtores? An Moyſes, Aaron, & Maria vno eodemque menſe primo Niſam mortis ſententia à Deo damnati? An Iudas, Ionathas, & Simon, Machabæi, quos vno menſe annorum, ſeu triginta annorum ſpatio Deus è viuis ſuſtulit? Porrò Zacharias de futuro tempore circa legem gratiæ hîc prophetat. Vnde per hoſce tres paſtores intelligo Chriſtum, & Chriſti cognatos duos Apoſtolos Iacobum Zebedæi, & Iacobum Alphæi, primæ notæ paſtores Iudæorum, qui omnes vno menſe annorum, id eſt, intrà triginta annorum ſpatium, & omnes vno eodemque menſe Niſan, & quidem vno, eodemque menſis die, puta pridiè magni feſti Paſchæ, omnes Ieroſolymis, omnes per Iudæos, omnes violenta morte fuere ſucciſi, vt ex auctoribus primæ notæ accepi. Erga eoſdem igitur Iudæos iam veris paſtoribus orbatos *contracta* (Hebr. *anguſtata*) eſt anima mea, id eſt, factus ſum illiberalior, nempè ſubtraxi illis virgam ſuauem, & variis flagellis illos cœpi corripere: vt vel ſic *variantes* & à me dilapſos illorum animos in viam retraherem. *Et dixi: Non paſcam vos, &c.* Cum viderem, illam paſtoralem operam eſſe inanem, ſtatui, non eſſe iam gregem leniter tegendum, ſed ſeuerè. Quarè cum de macello potius, quàm de mitiori pabulo cogitarem: nihil mihi curandum exiſtimaui, ſiue tabeſcant fame pecudes, ſiue ferro intereant, ſiue à ſeipſis, ſiuè à proximis viciſſim dilacerentur. Magnum equidem Dei irati eſt ſignum, cum peccator ſuæ voluntati traditur, vt pro libito ſine ſupplicij timore delinquat.]

Magnum Dei irati ſignum eſt, cũ peccator nõ flagellatur, ſed ſine ſupplicij metu delinquit.

2.

Verſ. 10.11.12. *Et tuli virgam meam, &c.* Fregi igitur virgam illam, quæ dicebatur *Decus*, ſeu manſuetudo, vt diſſoluerem fœdus, quod cum omnibus populis inieram; & quorum pecus mercenaria paſcebam opera. *Et in irritum deductum eſt in die illa, &c.* Ipſis conuellentibus fœdus, quod olim cum duodecim Tribubus in Sinai percuſſi, tot committendo ſcelera: æquum non videtur, vt ego illo iam conuulſo ab illis fœdere diutius obſtringar. Ergò diſrupi, & irritaui penitùs illud Et eheu! cognouerunt, & ſenſerunt id ſtatim pauperes ouiculæ gregis Iudaïci, ſic iam à me deſerti, meáque ope, ac protectione deſtituti, & lupis obiecti. Nempè ſenſerunt irruentes in Iudæam Romanorum exercitus, & ingruentem famem, peſtem, aliáſque plagas, quibus etiam ipſi licet innocentes, & priſtinum cuſtodientes fœdus, afficiuntur. Quia ſcilicet vnius Reipublicæ membra ſunt. Verbum enim, ſeu decretum Domini eſt, vt in pœnam communis perfidiæ tota Iudæa cum omnibus incolis, etſi hinc inde innocentibus, deuaſtetur, * Nunquam non iuſtis prauorum Societas incommoda extitit.] *Et dixi ad eos, &c.* Tunc ego ad gregis Dominos: ſi vobis placet, & opera, quam ego paſcendo pecori nauaui, vobis probatur; afferte mercedem, quę laborem meum digne compenſet. Sin aliter vobis viſum, nolitè me iam amplius auium veſtrarum eſſe cuſtodem. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Tunc illi locatæ à me tam longæ, ac moleſtæ operæ pretium triginta argenteos annumerarunt, quorum ſinguli quatuor Belgicis florenis, vel quatuor Italis iulijs, vel totidem Hiſpanieis regalibus conſtant. * Quòd ſi velis hoc de Iudæ proditione explicare Ironicè poſſet Ieſus *Paſtor* ille *bonus* profari: Egregium certè, dignúmque tanti laboris pretium, quo iuxtà legem æſtimabatur, & redimebatur mancipij occiſi vita. Sed en aliam nequitiam, eamque intolerandam: Appenderunt hus triginta argenteos non mihi. Sed proditoris mei Iudæ in manus, nulli meo commodo, ſed euerſioni & exitio.]

Signat Chriſti Domini per Iudam traditionem, triginta argenteorum vili pretio.

Noxia ſemper eſt iuſtis, impiorum ſocietas.

Bonus paſtor Ieſus triginta argenteorum pretio traditur.

Verſ. 13. 14. *Et dixit Dominus ad me, &c.* Tunc Dominus ad me Zachariam Chriſti perſonam in theatro gerentem, & ſimul etiam aliam, nempe proditoris Iudæ, dixit: Abiice ſanguinarium illud pretium ad ſtatuarium, Hebr. יוצר *iotſer*, Clarius, & Arias vertunt, *ad figulum*, Et proieci illos in domo Domini alicuius ſacerdotis ad pedes conferendos mox diuina prouidentia ad figulum pro agro eis coëmendo *in ſepulturam peregrinorum*, vti addit Matthæus *cap.* 27.7. *Et præcidi virgam meam &c.* Cum viderem tam parui me fieri à dominis gregis, & laborem meum tam iniqua mercede compenſari: alteram etiam virgam *Funiculus* nomine, abiiciens, curam quoque gregis, & ſtudium abieci: vt diſſoluerem populos in vnum coalitos, non aliter atque olim diſſolui, ac diſtraxi Iſraëlem à Iuda Roboami tempore. Abiecit itaque paſtor flagellorum funiculum, hoc typo omnem illorum curam exuens, illoſque hoſtibus diſcerpendos relinquens, putà Veſpaſiano, ac Tito, qui exciſo mox Templo, & Vrbe regia, Regnum, Rempublicam, ac religionem Iudæorum funditùs euerterunt.

Verſ. 15.16.17. *Et dixit Dominus ad me, &c.* 3.

Rurſus ad me Dominus: Adhuc profer maioris calamitatis Symbolum, ſumens inſtrumenta improuidi, atque ſtulti paſtoris. *Quia ecce ego ſuſcitabo paſtorem in terra, &c.* Quoniam ego ſuſcitabo in terra Iuda paſtorem, qui diſperſum gregem non requirat, derelictum non inuiſat, confractum non alliget, ac conſolidet; quod ſanum eſt in grege non paſcat. Qui carnibus veſcatur pinguioribus, erratque faciat miſerum pecus per aſpera loca, ita vt vngulis, quamuis ex dura firmaque materia diſſolutis, commouere ſe in ſummo etiam periculo non audeat. Quiſnam precor peſſimus hic paſtor? An Herodes Aſcalonita? An Antiochus Epiphanes? An Caïphas, omneſque peruerſi Pontifices? An Titus, & Romani? An Iaſon, & Menelaus? Hæc & plura Auctores. Ego autem crediderim ſignari Antichriſtum, cuius omnes præfati praui Principes typum geſſere. Huic ambitioſiſſimo & crudeliſſimò tyranno ſeruire cogentur Iudæi, non minus quàm Gentiles. * Cur verò Antichriſtus paſtor ſtultus vocitatur? Certè quia vbi viget ſuperbia non poteſt non adeſſe ſtultitia.] * Et quia ſtulti admodum Principis eſt ſubditos in ſpiritu crudelitatis, non lenitatis gubernare.] *O paſtor, & idolum, derelinquens gregem, &c.* O iam non paſtor, ſed vanum paſtoris ſimulacrum! Deſcendet in brachium eius dextrum, & in dexterum etiam oculum vindex gladius: areſcet brachium, & cum eo ſimul cadet poteſtas: tene-

Paſtori ſtulto tradẽdum Iudæorum gregem, minatur.

Superbus eſt ſtultus.

Præſul crudelis, gubernare neſcit, potius ſtultus.

breſcet

breſcet oculus, & cum eo calliditas peribit. LXX. vertunt, *Va paſtori vano, & nihili.* Væ tibi paſtor, qui non es paſtor, ſed ſolum larua paſtoris: qui nihil habes veri paſtoris niſi ſolam vmbram, & ſimulacrum. * Et quidem Præſules, qui ſubditorum profectui non ſtudent, inani ſunt Præſulis vmbræ.] Præſul non ſtudens ſubditorum profectui, vmbra Præſulis vana eſt.

CAPVT XII.

Varias calamitates Iudæis obuenturas ſub Antiocho, Ieroſolymam, ſeu Eccleſiam Chriſti à Gentilibus, ac perfidis Iudæis oppugnandam, Chriſtum Dominum cruci affigendum, Spiritum ſanctum in Chriſticolas effundendum prædicit.

1. ONVS verbi Domini ſuper Iſraël. Dicit Dominus extendens
cælum, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in
eo: 2. Ecce ego ponam Ieruſalem ſuperliminare crapulæ
omnibus populis in circuitu: ſed & Iuda erit in obſidione
contra Ieruſalem. 3. Et erit: in die illa ponam Ieruſalem
lapidem oneris cunctis populis, omnes qui leuabunt eam,
conciſione lacerabuntur: & colligentur aduerſus eam omnia
regna terræ. 4. In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum in ſtu-
porem, & adſcenſorem eius in amentiam: & ſuper domum Iuda aperiam oculos
meos, & omnem equum populorum percutiam cæcitate. 5. Et dicent duces Iuda
in corde ſuo: Confortentur mihi habitatores Ieruſalem in Domino exercituum
Deo eorum. 6. In die illa ponam duces Iuda ſicut caminum ignis in lignis, &
ſicut facem ignis in fœno: & deuorabunt ad dexteram & ad ſiniſtram omnes po-
pulos in circuitu: & habitabitur Ieruſalem rurſus in loco ſuo in Ieruſalem. 7. Et
ſaluabit Dominus tabernacula Iuda, ſicut in principio: vt non magnificè glorietur
domus Dauid, & gloria habitantium Ieruſalem contra Iudam. 8. In die illa pro-
teget Dominus habitatores Ieruſalem, & erit qui offenderit ex eis in die illa, quaſi
Dauid, & domus Dauid quaſi Dei, ſicut angelus Domini in conſpectu eorum.
9. Et erit in die illa: quæram conterere omnes Gentes, quæ veniunt contra Ieru-
ſalem. 10. Et effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem,
ſpiritum gratiæ & precum: & aſpicient ad me, quem confixerunt: & plangent
eum planctu quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eum, vt doleri ſolet in
morte primogeniti. 11. In die illa magnus erit planctus in Ieruſalem, ſicut plan-
ctus Adadremmon in campo Mageddon. 12. Et planget terra: familiæ & fami-
liæ ſeorſum: familiæ domus Dauid ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum: 13. fa-
miliæ domus Nathan ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum: familiæ domus Leui
ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum: familiæ Semei ſeorſum, & mulieres eorum
ſeorſum. 14. Omnes familiæ reliquiæ, familiæ & familiæ ſeorſum, & mulieres eo-
rum ſeorſum.

COMMENTARII.

1. *Varias calamitates Iudæis obuenturas prædicit.*

VERS. 1.2. *Onus verbi Domini ſuper Iſrael, &c.* Graue, ac minax contrà eos, qui ex omnibus Tribubus ab exilio in Ieroſolymam remearunt, vaticinium. Hæc dicit Deus, qui cælos ſublimes expandit, qui ter deorſum ſuis librauit, fundauitque momentis? à quo homines habent, vt ſpirent, & viuant. *Ecce ego ponam Ieruſalem, &c.* En ego efficiam, vt Ieroſolyma omnibus populis prædæ ſit: in qua non aliter furorem ſuum ſanguine, & auaritiam diuitiis expleant, quàm ebrioſi in vinaria taberna ſolent explere: in cuius limine hedera, aut aliud ſignum venalis vini ſolet apponi. Neque ſolum ab externa vi Ieruſalem vexabitur, ſed etiam à ciuibus, qui contrà illam cum hoſtibus conſilia, manuſque coniungent. * Domeſticum bellum crudelius quidem, quàm quod ab externis hoſtibus copiis innumeris apparatur.]

Domeſticum bellum crudelius illo, quod ab externis hoſtibus infertur.

Verſ. 3.4.5. Et erit: in die illa ponam Ieruſalem, &c. Tunc autem omnes populi, quantum virium habeant, contrà Ieruſalem, (& Chriſti Eccleſiam) exerent, & oſtentabunt, non aliter quam robuſti iuuenes in lapide explorare aſſolent, quantum viribus, aut arte poſſint. Sed tandem vbi aliquamdiù contrà Ieruſalem (& Eccleſiam) potentes fuerint, ab ipſo, quod eleuauerunt, pondere opprimentur: opprimentur, inquam omnia Regna terræ vnde-

cumque contra Ieroſolymam & Eccleſiam collecta. Alludit itaque Propheta ad athletas, qui ponderoſiſſimorum lapidum ſubleuatione vires ſuas tentare, ac oſtentare ſolebāt, non ſine grauiſſima ſua læſione, & exitio. Patuit hoc in Heliodoro, in Iaſone, Menelao, in Syſimacho, in Alcimo, in Antiocho, Epiphane, & Eupatore, in Nicanore, Bachide, Appollonio, Tryphone, aliiſque, Aſſiaticis tyrannis mala morte ob vim Ieroſolymæ illatam mulctatis. *In die illa dicit Dominus percutiam omnem equum in ſtupore, &c.* Eo autem tempore, dicit Deus, quo exigam pœnas à populis, qui hoſtiliter contrà Ieroſolymam conſurrexere, percutiam equum, & aſcenſorem eius adeò grauiter, vt ſtupidi, & amentes ſinè conſilio ac ſenſu præcipites, ac deuij ferantur. Cum verò illi præcipites errabunt, & cæci, ego populum Iuda mitioribus ad ſalutem oculis aſpiciam. *Et dicent Duces Iuda in corde ſuo, &c.* Porrò Duces Iuda Machabæi non ſuis præſident viribus, ſed auxilio omnipotentis Dei, quem corde ſuo, & etiam ore precabuntur, vt de cælo confortet Ieroſolymæ ciues, ne hoſtibus ſuccumbant. Semper enim Iudas Machabæus (& idem dici poteſt de Ionatha, & Simone) antè aciem oraſſe legitur, & opem diuinam imploraſſe, excepto vltimo prælio, in quod ſuccubuit. * Chriſticolæ Duces hinc edoceantur nunquam ad certamen eſſe, niſi inuocato cæleſti Numine procedendum.] *Mors autem Iudæ Machabæi eo conflictu, in quo non conſtat Dominum inuocaſſe prolatis precibus, illos monet, exitiale eſſe militibus pugnam haud præmiſſa oratione inſtituere.]

Nō inſtituēda pugna niſi oratione præmiſſa.

Exitiale eſt militibus, haud præmiſſis precibus dimicare.

Verſ.6.7. In die illa ponam Duces Iuda, &c. Quod Deus ita largè præſtabit, vt hoſtibus deinceps ſint, quod ligno arido caminus, aut ignis ſtipulæ. Quare à dextris & à ſiniſtris quocumque ſe verterint, percutient, & ſternent populos in circuitu. Et Ieruſalem verè iam erit Ieruſalem, id eſt, ſimilis erit ſibiipſi: redibit enim ad antiquam gloriam, & ciuium frequentiam. Adhuc tamen illa verba premo: *Et habitabitur Ieruſalem rurſus in loco ſuo in Ieruſalem.* Si Ieruſalem habitatur, certum eſt, in loco ſuo fore habitandam. Cur ergo addidit, *Ieruſalem habitabitur in Ieruſalem?* Certè quia fideles Iudæi etiam cum exules à Ieroſolyma recedebant, cordis affectu in Ieruſalem habitabant, & ita ducebant apud Babylonem vitam, ac ſi ciues Ieroſolymæ eſſent. Igitur Ieroſolymam, quæ ab illis extra Ieroſolymam habitabatur, in Ieruſalem habitandam eſſe promittit. * Docentur Religioſi extra monaſterium proximorum miniſteria gerentes, poſſe extra monaſterij, vel collegij clauſtra in monaſterio, ac collegio habitare.]

Religioſi extra monaſterium, vel collegium poſſunt in monaſterio, aut collegio habitare.

Verſ.7.8. Et ſaluabit Dominus tabernacula Iuda, &c. Sicut anteà Deus populum Iuda ſeruauit ita magnifice ab hoſtibus, vt victoria ipſius potentiæ adſcriberetur: ſic nunc adeò erunt aperta diuini auxilij ſigna, vt qui domui Dauidis, ac Regno præſunt, quique gloria ſunt eorum, qui habitant in Ieroſolyma, ſuis, aut ſibi victoriam arrogare non audeant, eoque nomine Iudæis reliquis ſe iudicent præferendos. Porrò Machabæi poſteri erant Dauidis materna è ſtirpe orti: quoad paternam verò etſi eſſent ex Tribu Leui, tamen inſerti erant familiæ Dauidis, quæ illos ſibi, totique Reipublicæ in Duces delegit, & conſtituit in capita: & ſic ſuccedere fecit in Dauidis principatu, & in familiæ, ac Regni ipſius regimine. Ne igitur vel Machabæi, vel alij ciues, qui glorioſè ac triumphanter incolunt Ieroſolymam, glorientur *contrà Iudam*, id eſt, præ reliquis Iudæis, qui in aliis Vrbibus degunt; eis manifeſtè oſtendet Dominus, quod victoriæ, quæ illis obtigere, non illorum induſtria, ſed diuina partæ ſunt ope. * Sæpè ex innumeris hoſtibus exigua manus tua reportat triumphum: ſæpè potentiſſimi exercitus tui à parum inſtructis paucis militibus ſuperantur. Vndè euidenter liquet, non militari fortitudini, ſed cæleſti auxilio victoriam eſſe tribuendam.] *In die illa proteget Dominus habitatores Ieruſalem, &c.* Ea enim die ſic Deus proteget ciues Ieroſolymæ, vt qui in ipſis infirmus fuerit, & aliquando ab hoſte ſuperatus, ſit inſtar Dauidis, audax, & ſtrenuus: & qui fuerint eiuſmodi, vt filij Dauidis ob animi præſtantiam dici potuerint, multiplicatis à Domino viribus, erunt perquam ſimiles illis, qui ſunt è domo Dei, id eſt, Angelis, qui Dei ſunt miniſtri. * Si Dei auxilium adſit, nec imbelles deſperent. Infirmus enim Dauidis robur; fortis verò Angelorum potentiam æmulabitur.]

Victoria non eſt tribuenda militum fortitudini, ſed Dei auxilio.

Deo auxilium ferente, milites infirmi Dauidem, fortes Angelum imitantur.

Verſ.9.10. Et erit in die illa, &c. Quo tempore ſtatui, quotquot contra Ieroſolymam aliquid molientur, conterere. *Et effundam ſuper domum Dauid, &c.* Sed erunt poſtea beneficia longè auguſtiora, dicit Dominus; infundam enim ſuper domum Dauidis, reliquoſque Ieroſolymorum ciues ſpiritum gratiæ, quo grati ſint mihi: & ſpiritum precum, quo, quia à me omnia profecta eſſe norunt, à me omnia petant. Sed ô diræ mentis conſilium inſanum! aſpicient in me, confugientque ſupplices auxilij gratia, cum grauibus prementur incommodis: quem tamen immemores officij, & gratiæ in cruce configent. * *Effundam*, inquit, *ſpiritum gratiæ, & precum.* Prius gratiæ ſpiritus, quam precum effunditur. Quia vt gratæ ſint, atque efficaces noſtræ preces debent à gratia exoriri. Ideò priuſquam orationis Dominicæ petitiones exponimus, *Pater noſter*, præmittimus. Vt gratia nos ſignet Dei eſſe filios, priuſquam beneficia ab eo petere audeamus.] * An eum, quem cruci addixi, aſpicere audebo beneficia poſtulaturus? Aſpice oculis viuæ fidei, & ſpei, confiſus, quod etſi tam indigne Deum patrem tuum confixerit ſpinis caput, manus ac pedes clauis, latus lancea, flagellis & tot iniuriis totum hominem: nihilominus veniam, & gratiam ſis impetraturus.] * Vt autem contrito ex corde poſtules Dominum cruci ſuffixum aſpice. Aſpexit enim centurio, & omnia turba, quæ ſimul aderat, *& percutientes pectora ſua reuertebantur. Luc. 23. 48.*] *Et plangent eum planctu, &c.* Nunc iam à Chriſto confixo in cruce ad aſpicientium redeam affectum. Lugebunt equidem ſicut lugeri aſſolet à parentibus primogeniti, aut vnigeniti obitus. * Profectò lapidibus durior eſſet, ille, è quo Chriſti Domini paſſio mentis oculis obiecta lacrymas non eliceret.]

2. Chriſtum crucifigēdum, Spiritum ſanctum profundum aſſent.

Vt efficax ſit oratio noſtra, curem⁹, vt à gratia Domino conformetur.

Etſi Chriſtū cruci addixiſti eum ad veniam impetrandā aſpice ſecurus.

Chriſti ſuffixi aſpectus à noſtro corde elicit contritionem.

Chriſti paſſio lacrymas à noſtro elicit corde.

Verſ. 11.12.13.14. In die illa magnus erit planctus in Ieruſalem, &c. In die illa talis erit

in Ieruſalem planctus, qualis olim fuit Adrademmon in campo Maggedon in Ioſiæ funere. Plangent illi ob indignam Chriſto necem illatam, ob ſua ſcelera, quæ cauſa fuere necis ipſius, & ob imminentes tanti ſceleris pœnas. Erit certè hic plactus ſimilis, imò maior planctu, quem ob mortem pij Regis Ioſiæ olim Ieremias & reliqui Iudæi inſtituerunt in Adadremmon Vrbe iuxta Iſraël, in campo Maggedon, dicta poſtea Maximianopoli. *Et planget terra, &c.* Planget autem tota terra Iuda: omnes familiæ ſeorſum inter ſe, & in ſingulis viri ſeparatim à fœminis; quia ſingulis erit propria, & grauis plorandi materies. Plorabunt in familia Dauidis regia. *Familia domus Nathan ſeorſum, &c.* Et in familia prophetali Nathani, & in Sacerdotali Leui, & in doctorali, ſiue litterata Semei: & in omnibus denique aliis viri ſeorſum à fœminis lamentabuntur. * Vel ad plorandum, & pœnitentium periculoſa eſt virorum ac mulierum ſocietas?]

Vel ad plorandum periculoſa eſt mulierum & virorum ſocietas.

CAPVT XIII.

Affluxuram ad omnes gentes vberrimam gratiam ex Chriſti Domini paſſione, tanquam ex copioſiſſimo fonte, prædicit.

1. IN die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ie-
ruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ. 2. Et
erit in die illa, dicit Dominus exercituum: Diſperdam no-
mina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà: &
pſeudoprophetas, & ſpiritum immundum auferam de ter-
ra. 3. Et erit, cùm prophetauerit quiſpiam vltrà, dicent ei
pater eius & mater eius, qui genuerunt eum: Non viues: quia
mendacium locutus es in nomine Domini. & configent eum pater eius & mater
eius, genitores eius, cùm prophetauerit. 4. Et erit: In die illa confundentur pro-
pheræ, vnuſquiſque ex viſione ſua cum prophetauerit: nec operientur pallio ſac-
cino, vt mentiantur: 5. ſed dicet: Non ſum propheta, homo agricola ego ſum:
quoniam Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea. 6. Et dicetur ei: Quid
ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus ſum in domo eo-
rum, qui diligebant me. 7. Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum
cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute paſtorem, & diſpergentur
oues: & conuertam manum meam ad paruulos. 8. Et erunt in omni terra, dicit
Dominus: partes duæ in ea diſpergentur, & deficient; & tertia pars relinquetur in ea.
9. Et ducam tertiam partem per ignem, & vram eos ſicut vritur argentum, & pro-
babo eos ſicut probatur aurum. Ipſe vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum.
Dicam: Populus meus es; & ipſe dicet: Dominus Deus meus.

COMMENTARII.

1\. Dominici paſſionis fonte affluxuram ad omnes gratiam vberrimam prædicit.

VERS. 1. 2. *In die illa erit fons patens, &c.* Illa die, qua Chriſtus è cruce ſuſpenſus aſpicietur, (vt cap. 12. 10. prædixit) pateſcet ex illo, & ex illius vulneribus vberrimus fons, non ſolùm ſacramentorum, & gratiarum omne genus, idque in peccatoris cuiuſcumque ablutionem, imo & *menſtruatæ*, hoc eſt, ad tollendam omnem immunditiam, & ſordes ex tranſgreſſione legis naturæ, ſeu legis Moſaicæ contractas. Patebit autem perpetuò hic fons non ſolum domui, ſeu familiæ Dauidis, id eſt primatibus perſonis, ſed promiſcuè cunctis Ieroſolymæ incolis plebeis, & ex gentiliſmo conuerſis. *Erant enim tunc in Ieruſalem ex omni natione, quæ ſub cælo eſt.* Act. 2. 5. * Alludit hîc Propheta ad aquas expiationis *Num.* 19. 11. Ad aquas Siloë *Iſai.* 8. 6. Ad aquas ex Templi limine erumpentes. *Ezech.* 47. 1. Vt innuat, paſſionem Chriſti vberrimam eſſe peccatorum ablutionem.] *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, &c.* Tunc dicit Dominus, ſi qua erunt Gentium idola, fidem illis & auctoritatem adimam: ſi qui pſeudoprophetæ, aut diuini, ſi quis ſpiritus Pythonicus aut immundus, omnes penitus de terra tollentur.

Chriſti paſſio vberrima eſt peccatorum ablutio.

Verſ. 3. 4. Et erit: cum prophetauerit quiſpiam vltrà, &c. Vſque adeò eo tempore erit odioſum, ac vile Pſeudoprophetarum, ac diuinorum nomen, vt etiam parentes à filiorum plagis non contineant manus. Nam ſi filij vaticinari tentauerint, dicent parentes. Tibi moriendum, quia mendacio tuo diuini nominis fidem ac maieſtatem prætendis. Idque re ipſa non minus conſtanter exequentur, quam piè ac ſeuerè fuerant minati. Nempè parentes ſi zelo diuini honoris ardeant, ſententia, & manu Iudicis filium configent, Hebr. vrent, verba proferentem, hæreſim quæ vel idololatriam prætendant. * Talem zelum vera fides pectoribus imbibit, vt vel parentes filiis infectos errore non parcant.] *Et erit: in die illa, &c.* Eo

Talem zelum fides vera pectoribus imbibit, vt vel parentes filiis infectis hæreſi non parcant.

tem

tempore, cum ſuam ſibi veteratoriam artem Pſeudoprophetæ videant non eſſe quæſtui, imo potius propter ipſam contemni, & puniri: illud abiicient inſtitutum, neque iam ſacco vtuntur cilicino ad homines decipiendos. * Non ſemel iniquitas ſub cilicino graditur indumento. At illico vel ex verbis, vel ex actionibus à cordatis agnoſcitur.]

Sub cilicina veſte aliquãdo iniquitas graditur.

Verſ. 5.6. Et dicet: Non ſum Propheta, &c. Profitebuntur apertè ſe non eſſe, neque vnquam fuiſſe Prophetas: ſed natos eo parente, quem Deus eſſe iuſſit terræ cultorem: edoctoſque potius ab homine terram ſubigere, quàm afflatos à Deo futura prænunciare. *Et dicetur ei: Quid ſunt plagæ iſtæ, &c.* Quod ſi plagatum notæ in manibus relictæ falſum hunc Prophetam mendacij coarguant, cum eo ſupplicio ſoleant ſimulati Prophetæ mulctari: neque ille conuictus poſſit aliquid amplius tergiuerſari: fatebitur quidem ſe in ea fraude, ac ſcelere fuiſſe: Sed tamen ſe diuino beneficio liberatum ſupplicio, quo à parentibus, qui eum diligebant, fuerat affectus. * Amantis enim parentis eſt, filios delinquentes corripere.] Aliter aptius ex Doctorum expono ſententia. *Dicetur* ei non Pſeudoprophetæ, ſed Christo Domino, quem velut Pſeudoprophetam Iudæi deſpexere: Si innocentem te eſſe prætendis, quænam plagæ iſtæ, quas ex manibus clauis terebratis oſtentas? Reſpondet Chriſtus: Hiſce ſum vulneratus *in domo eorum, qui ante me diligebant*, id eſt, in Iudæa, in Vrbe Ieroſolyma. Ac ſi diceret: Ciues, contribules, cognati, filij mei tot mihi nominibus obſtricti, cum tot ſæculis ad meum anhelaſſent aduentum, & præſentem ſummè amare, ac colere debuiſſent, extremo acti odio me in Crucem tot plagis vulneratum egerunt.* Quis cogitet tam indignum facinus eſſe poſſibile? Sed hoc factum diuinâ Patris cæleſtis prouidentiâ, vt ſic percuſſa petra (*Petra autem erat Chriſtus 1. Corint. 11.4.*) clauſus antea fons (de quo verſ. 1.) hominibus abluendis, ac potandis pateſceret.

Amantis parentis eſt, filium delinquẽtem corripere.

Chriſti paſſione pateſcit fons hominibus diluẽdis, ac potandis.

Verſ. 7. Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, Digni planè fuerunt impoſtores illi, atque falſi paſtores, qui à parentibus grauiter ac ignominioſe percuterentur. Sed quid bonus Paſtor, & verus Propheta Chriſtus admiſit, vt æternus Pater frameam ſuſcitaret, & ad mortem vſque percuteret? quem dicentem audire videor: O gladie, excitare, & vibrare ſuper illum, quem Paſtorem meo gregi præpoſui: & ſuper filium meum, qui ita cohæret mihi, vt mecum, & in me ipſo ab æterno ſit. Percute ô framea, Paſtorem, ex cuius vulnere ouium, id eſt, Diſcipulorum fuga, diſperſioque ſequetur. Verumtamen conuertam manum, quam ad plagam intenderam, ad paruulos diſcipulos, eoſque à fuga, pauoreque receptos amplexabor, ac confirmabo.

Verſ. 8.9. Et erunt in omni terra, &c. Iam à Chriſto plagis affecto ad populi me Iudaici plagam, & exitium conuerto. Continget quo tempore Vrbs ab Imperatore Romano precinetur anguſtè, & hoſtiliter expugnabitur, vt duæ partes ciuium miſerè pereant; tertia verò pars, quæ piorum erit, in terra Iuda relinquetur. *Et ducam tertiam partem per ignem, &c.* Quæ tamen pars tertia piorum non erit ab omni incommodo, ac iactatione libera. Nam tribulatione ita probabitur, ſicut igne aurum, vel argentum ſolet probari. Vt ſi quid adhæſit ſcoriæ, totum id excoquatur. Illi autem, qui in expiatoria illa fornace fuerint repurgati, dicit Dominus, agnoſcent me Deum, inuocabuntque: quorum ego vota, ac preces exaudiam. Quos vt ego populum meum vocabo; ſic & illi me Deum ſuum viciſſim eſſe dicent. * Qui viam pietatis ineunt exiſtiment ſe expiatoriam inire fornacem, vt repurgati, æterni honoris dolentur in vaſa.]

Iuſti laborũ igne probãtur, vt honoris æternã in vaſa dolentur.

CAPVT XIV.

Mala per Antiochum Iudeæ euentura prædicere pergit. Sed affuturum ſuis Deum promittit. Vbi Eccleſiæ nouæ euentus à Propheta innuuntur.

1. ECce venient dies Domini: & diuidentur ſpolia in medio
tui. 2. Et congregabo omnes Gentes ad Ieruſalem in prælium, & capietur ciuitas, & vaſtabuntur domus, & mulieres violabuntur: & egredietur media pars ciuitatis in captiuitatem, & reliquum populi non auferetur ex vrbe.
3. Et egredietur Dominus, & præliabitur contra Gentes illas, ſicut præliatus eſt in die certaminis.
4. Et ſtabunt pedes eius in die illa ſuper Montem oliuarum, qui eſt contra Ieruſalem ad Orientem: & ſcindetur Mons oliuarum ex media parte ſui ad Orientem, & ad Occidentem, prærupto grandi valdè; & ſeparabitur medium montis ad Aquilonem, & medium eius ad Meridiem.
5. Et fugietis ad vallem, montium eorum, quoniam con iungetur vallis montium vſque ad proximum: & fugietis ſicut fugiſtis à facie terræ motus in diebus Oziæ regis Iuda: & veniet Dominus Deus meus, omneſque Sancti cum

cum eo. 6. Et erit in die illa: Non erit lux, ſed frigus & gelu. 7. Et erit dies
vna, quæ nota eſt Domino, non dies neque nox: & in tempore veſperi erit lux.
8. Et erit in die illa: Exibunt aquæ viuæ de Ieruſalem: medium earum ad mare
Orientale, & medium earum ad mare nouiſſimum: in æſtate & in hyeme erunt.
9. Et erit Dominus Rex ſuper omnem terram: in die illa erit Dominus vnus, &
erit nomen eius vnum. 10. Et reuertetur omnis terra vſque ad deſertum, de colle
Remmon ad Auſtrum Ieruſalem: & exaltabitur, & habitabit in loco ſuo, à porta
Benjamin vſque ad locum portæ prioris, & vſque ad portam angulorum: & à
turre Hananeel vſque ad torcularia regis. 11. Et habitabunt in ea, & anathema
non erit ampliùs: ſed ſedebit Ieruſalem ſecura. 12. Et hæc erit plaga, qua percutiet
Dominus omnes Gentes, quæ pugnauerunt aduerſus Ieruſalem: tabeſcet caro
vniuſcuiuſque ſtantis ſuper pedes ſuos, & oculi eius contabeſcent in foraminibus
ſuis, & lingua eorum contabeſcet in ore ſuo. 13. In die illa erit tumultus Domini
magnus in eis: & apprehendet vir manum proximi ſui, & conſeretur manus eius
ſuper manum proximi ſui. 14. Sed & Iudas pugnabit aduerſus Ieruſalem: &
congregabuntur diuitiæ omnium Gentium in circuitu, aurum, & argentum, & veſtes
multæ ſatis. 15. Et ſic erit ruina equi, & muli, & cameli, & aſini, & omnium
iumentorum, quæ fuerint in caſtris illis, ſicut ruina hæc. 16. Et omnes qui reliqui
fuerint de vniuerſis Gentibus, quæ venerunt contra Ieruſalem, aſcendent
ab anno in annum, vt adorent Regem, Dominum exercituum, & celebrent feſtiuitatem
tabernaculorum. 17. Et erit: qui non aſcenderit de familiis terræ ad
Ieruſalem, vt adoret Regem, Dominum exercituum, non erit ſuper eos imber.
18. Quòd & ſi familia Ægypti non aſcenderit, & non venerit: nec ſuper eos erit,
ſed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes Gentes; quæ non aſcenderint ad celebrandam
feſtiuitatem tabernaculorum. 19. Hoc erit peccatum Ægypti, &
hoc peccatum omnium Gentium, quæ non aſcenderint ad celebrandam feſtiuitatem
tabernaculorum. 20. In die illa erit quod ſuper frænum equi eſt, ſanctum
Domino: & erunt lebetes in domo Domini quaſi phialæ coram altari. 21. Et erit
omnis lebes in Ieruſalem & in Iuda ſanctificatus Domino exercituum: & venient
omnes immolantes, & ſument ex eis, & coquent in eis: & non erit mercator vltrà in
domo Domini exercituum in die illo.

COMMENTARII.

1. *Mala per Antiochum Iudæa euentura prædicere pergit: ſed Deum Romanorum protectorem fore promittit.*

V*ERS. 1. 2. Ecce dies Domini venient, & diuidentur ſpolia tua in medio tui.* Solymitanam Vrbem, duaſque terræ Iudaicæ partes perituras Romanorum exercitu prædixi: id quonammodo futurum erit, accipe. Cum dies illi terribiles miſſi à Domino fuerint, in hoſtium poteſtatem cedent exuuiæ, quæ ſunt in Ieruſalem: quas ipſi inter ſe per otium, & ſecurè diſtribuent. *Et congregabo omnes Gentes ad Ieruſalem, &c.* Congregabo, & armabo, Dominus ait, aduerſus Ieroſolymam omnes Gentes Antiocho Epiphani ſubiectas, vel confœderatas, à quibus Ciuitas capietur, exhaurientur, ac vaſtabuntur domus, nec ſuam pudicitiam mulieres à militum intemperantia liberabunt; & parte ciuium media in exilium abducta, quod reliquum è populo fuerit, in Vrbe remanebit.

Verſ. 3. 4. Et egredietur Dominus, &c. Magna itaque parte ciuium in exilium ablata, & remanentibus in Vrbe mille aliis iniuriis diuexatis, paulo poſt Dominus populi ſui perpetuus protector, per Duces ſuos Machabæos egredietur, & dimicabit contrà omnes Gentes illas, quemadmodum olim prælium ſuſcepit in die famoſi illius certaminis, quo in mari Rubro Pharaonem contriuit. Sicut enim tunc

fiſſo pelago contrà Ægyptios per Angelos pugnauit: ita ſub Machabæis fiſſo monte, fiſſo monte Oliueti (2. *Machab.* 10. 29.) etiam viſibiliter per Angelos tutabitur populum ſuum, & hoſtes proſternet. *· Tribulatio enim inflicta fideli populo ſolet eſſe perſpicuum proximè felicitatis documentum.] *Et ſtabunt pedes eius in die illa, &c.* Stabunt quidem pedes Domini ſuper Oliuarum montem, vt inde vicinis Solymitanis ſit auxilio, & Antiochi copias profliget. Calcando autem montem, diſcindet illum ab Oriente Occidentem verſus in duas partes, quarum vna *deflectet* (Tigurina ſic) ad Aquilonem, altera ad Meridiem relicto hiatu prærupto, vel grandi admodum voragine. Hanc ſciſſionem factam nonnulli exiſtimant, quando tot ſigna ſunt viſa in cælo 2. *Machab.* 5. puta equites per aëra diſcurrentes, cohortes armatæ, &c. Erant enim myriades Angelorum, cum quibus in pugnam Deus prodibat: prodeunte autem Deo, *terra mota eſt & contriti ſunt montes.* Pſal. 67. 9. Porrò & ſi in Machabæorum hiſtoria id expreſsè non enarretur: ex hoc tamen loco veriſimile eſt ita tunc factum. Sicut factum in ſimili caſu ſub Ozia Rege conſtat ex *verſ.* ſequenti, licet in Oziæ hiſtoria nulla iſtius rei mentio fiat.

Tribulatio populi fidelis ſolet eſſe proximæ felicitatis ſignum.

Verſ. 5. 6. Et fugietis ad vallem montium eorum, &c. Cum verò hiatus ille grandis in Oliuarum monte per Cedronem ad locum Ciuitati proximum ſit producendus: recipient ſe

ciues ad eam Vrbis partem, quæ à prærupto illo, atque ab imminenti hoſte tuta putabitur. Hæc verò eſt inter duos montes Dei Sionem ſcilicet, & Moriam. Fugient autem non minus trepide ac velociter, quam fugerunt, cum ſub Ozia graui motu fuit terra concuſſa. Iſai. 7.8. *Et veniet Dominus Deus meus, omneſque ſancti cum eo. Et erit in die illa: non erit lux, ſed frigus, & gelu.* Species hæc lugubris Ieroſolymæ trepidantis prius, deinde miſerabiliter euerſæ, me extremi temporis ſæculorum admonet, in quo Dominus mundum iudicabit, prius motibus concuſſum. Vt enim nunc cum Romanis copiis venit ad Vrbem euertendam: ſic poſtea cum Angelis ad iudicandum mundum aduentabit. Quo tempore obtenebreſcet terra, ex quo etiam conſequetur, & quæ tenebris, & frigore deſignari ſolent, pauor, & cœcitas. * Oportet cum aliquibus incommodis flagellamur, ad memoriam afferre terribilem iudicij diem, vt illius horribili conſpectu leuiora quæ nunc patimur videantur.]

Leuiſſima, quæ nunc patimur, videbuntur, ſi terribilis dei iudicij recordemur.

Verſ. 7.8. Et erit dies vna, quæ nota eſt Domino, &c. Porrò in die illa, quæ ſoli Domino eſt nota, neque dies erit, quia Sol obſcurabitur: neque nox, quia ſol, licet obſcurus, præſens tamen erit huic hemiſpherio Veſperi tamèn, id eſt, poſtremo iam ſæculorum articulo, poſtquam demerſi in infernum ſontes fuerint, lux erit maior, quam antea. *Et erit in die illa: exibunt aquæ viuæ de Ieruſalem, &c.* Iam me ad feliciſſima Euangelij tempora conuerto; in quibus de Ieruſalem non terreſtri, ſed myſtica, id eſt, de Eccleſia aquæ exibunt viuæ, & iugiter manantes ad mare Orientale atque Occidentale, id eſt, in omnem mundi plagam in æſtate, & hyeme, ſiue in omni tempore.

2\. *Verſ. 9.10.11. Et erit Dominus Rex ſuper omnem terram, &c.* Tunc verò vnus Rex erit ſuper terràm Dominus, & vnum eius nomen, quod omnes venerentur, & implorent. * Hoc nomen *vnum* eſt IESVS. Quomodo autem *vnum* vocatur, ii Propheta Euangelicus præclamauit, *& vocabitur nomen eius, &c.* Certè quia nomen Ieſu eorum, aliorúmque nominum, quæ pietatem redolent, eſt complexio.] *Et reuertetur omnis terra, &c.* Eccleſia, quæ hoc loco in Ieroſolyma intelligitur, longè lateque ſuos explicabit fines. Quemadmodum ſi ad terreſtris Ieroſolymæ habitationem, terra à monte Remnon, qui eſt ad Auſtrum, vſque ad deſertum complanetur: ipſaque Ieroſolyma habitetur tota in antiqua ſede à porta Benjamin ad portam vſque priorem, & portam angulorum: & à turre Hananeel vſque ad regium torcular. Porrò collis Gabaa erat limes Aquilonaris Regni Iudæ vſque ad *Remnon*, qui eſt alter limes Iudæ ex parte Auſtrali. Porta *Benjamin* terminabat *Bezetham*, id eſt, nouam Vrbem, quæ *Tertia* aſſolet vocitari, & erat de nouo Ieroſolymæ adiecta. *Porta prior* vocatur porta prioris Ciuitatis. *Porta angulorum*, eſt illa quæ conſtituta erat in angulo, qui partem muri Occidentalem, & Aquilonarem coniungit. Turris *Hananeel* erat vltima veteris Ciuitatis. Torcularia denique Regis aderant in aduerſa, & inde remotiſſima parte, puto in monte Sion, His

Eccleſia prædicit euentus.

Vnum nomen Ieſu eſt complexio omnium nominum, quæ redolent pietatem.

itaque ſignabatur Eccleſiam vndique magnis incrementis verſus quatuor plagas cæli ampliandam. *Et habitabunt in ea, &c.* Quæ quidem Eccleſia ita habitabitur ſecure, vt iam amplius nullus ſit ab hoſte vaſtationis metus. * Quomodò hæc ſecuritas cohæret cum tot Eccleſiæ à tyrannis toties iteratis perſecutionibus? Profectò quia iuſtorum labores pro quiete & commodo ab ipſis reputantur.

Iuſtorum labores quies, & commodum ſunt.

Verſ. 12.13.14. Et hæc erit plaga, &c. Illorum verò, qui Eccleſiam impiis conatibus inſectari voluerint hoc ſupplicio Deus mulctabit audaciam. Caro eorum tabe reſoluta defluet, computreſcent oculi, & è ſuis foraminibus excident, & lingua blaſphema liqueſcet in ſaniem, & intra dentium vallum fœdè putreſcet. Quod accidet ipſis non ſolùm iam vita functis, vt communiter omnibus accidit in Sepulchro: ſed viuis ac ſentientibus, & ſuper pedes ſuos ſtantibus. Patuit olim in Lyſia, in Antiocho, in copiis Timothei: & Eccleſiæ noſtræ tyrannis paſſim hæc, aliaque terribilia inflicta eſſe ſupplicia, hiſtoriæ teſtantur. *In die illa erit tumultus, &c.* Tunc magnus erit hoſtium tumultus & coniuratio in Ieruſalem, ſeu in Eccleſiam: ad quam opprimendam mutua ſe Gentes cohortatione inuitabunt. *Sed & Iudas pugnabit aduerſus Ieruſalem, &c.* Et ſicut olim Iudæorum multi contra Ieruſalem impias manus armarunt: ſic falſi Chriſtiani, id eſt, hæretici non minori ſtudio contra Eccleſiam dimicabunt. * Et quidem dirius bellum à ciuibus infenſis, quam ab externis hoſtibus ſolet infligi.] Sed licet omnes gentes Eccleſiam oppugnauerint, non tamen expugnabunt, ſed potius ſuis ſpoliis, & diuitiis locupletabunt, & inſtruent.

Dirius bellum infligitur a ciuibus infenſis, quam ab externis hoſtibus.

Verſ. 15. 16. Et ſic erit ruina equi, &c. Et quemadmodum potentes, ac robuſti, ſic etiam alia infirmior, atque ignobilior turba cadet, quam iumentorum compellatio, & miniſterium adumbrat. * Profectò qui voluptatum ſectarij Eccleſiæ prauis moribus puritatem oppugnant, aptè equi, muli, aſini, cameli vocitantur. Brutalis enim ſtultitia agnata eſt vitiorum amatoribus.] *Et omnes, qui reliqui fuerint de vniuerſis gentibus, &c.* Sicut omnes gentes olim quotannis ex terra Iſraël in ſolymitanum Templum ad feſtum Tabernaculorum confluebant: ſic poſtea quotquot ex Gentibus reliqui fuerint, ad magis arcana, & ſacratiora Eccleſiæ feſta neque minus frequenti concurſu, neque minori religione conuenient.

Sectarij voluptatum iumentis ſunt ſimiles.

Verſ. 17. 18. Et erit: qui non aſcenderit, &c. Eorum verò agris, qui ex omnibus terræ familiis adorandi Domini cauſa in Eccleſiam myſticam Ieruſolymam aſcendere recuſauerint, negato cæleſti imbre, ſterilitatem inducet. * Confert equidem ad frugum abundantiam percipiendam. Templa ſtudio pietatis inire.] * Annon Iſidorus Agricola Miſſæ intereſt ſacrificio, Angeli terram verſant aratro, agrum Deus fœcunditate donat?] *Quod etſi familia Ægypti non aſcenderit, &c.* Quàm pluuiæ inopiam, & agrorum maciem, & ſterilitatem experietur etiam Ægyptus, quæ aquis terreſtribus, ac ſuis abundare videtur: niſi ipſi quoque cum aliis eo ſtudio, quo Iudæi ad feſta Tabernaculorum venerant, ad pias Eccle-

Confert ad frugum abũdantiam, Tẽpla ſtudio pietatis inire.

Dũ Iſidorus Agricola Miſſæ intereſt, Angeli terram aratro verſant.

ſiæ ſolemnitates accedant. Ægypti metaphora ſignat prædiuites, quorum opes ex pluuia cæleſti non coalent, ſed vt Ægyptus aquis Nili irrigatur, ſic hi cenſuum redditu victitant. * Portò quantumque diuitiis polleant, punientur inopia, ſi feſtorum auſi fuerint religionem violare.]

Feſtorũ obſeruatio confert ad opum conſeruationem.

Verſ. 19. 20. 21. *Hoc erit peccatum Ægypti, &c.* Hoc punietur modò (ſæpè in ſcriptura peccatum pro pœna ſolet apponi) Ægyptus, & qui ex aliis familiis Tabernacolorum feſtiuitatem, vt dixi, noo obierint. * Aptè peccatum pro ſupplicio ponitur, quia nullum ſupplicium poteſt excogitari quod dirius ſit peccati permiſſione.] *In die illa erit quod ſuper frenum equi eſt ſanctum Domino, &c.* Eo tempore quæcumque hominibus io pretio, atque in deliciis ſunt, quibuſque illuminari, atque exornari ſolent arma, & fræna, aliaque equeſtria Imperatorum, ac Ducum ornamenta, Domino conſecrabuntur. Alludit ad donaria, quæ fidelium pietas Eccleſiæ Altaribus erat litatura. *Et erit omnis lebes Ieruſalem, &c.* Et quæ, dum ſæculo carnique ſeruiebant inſtar cacaborum, atque ollarnm erant, quæ ſordidis deſtinantur miniſteriis; illa iam ad Domini cultum religiosè traducta, erunt quaſi phialæ, quæ vaſa ſunt honoris, & altaris vſui conſecrata. Denique is erit fidelium ardor, id ſtudium in religioſum Dei cultum, vt nullus ſit lebes, qui in myſtica Ieroſolyma non reperiatur. Lebetum verò is erit nnmerus, vt etiamſi immolaturi plurimi veniam, tamen ſemper aliquid ex eo oumern ſuperſit. Neque erit vltra mercator, qui victimas vendat, quia vltro à religioſis hominibus offerentur. Nomen autem *Mercatores* Hebr. *Chananæus*, idem eſt, ac *ſceleratus* a miniſterio Eccleſiæ Chriſti excludendus. * Monentur Præſules magno inuigilare ſtudio, ne prauis moribus affectos ad ſacros ordines admittant.]

Nullum ſupplicium grauius ipſa peccati permiſſione.

Ad ſacros ordines non admittẽdus, qui prauis imbutus eſt moribus.

MALACHIAS.

CAPVT PRIMVM.

Iudæos Deus ingratitudinis arguit. Sacerdotes corripit panem pollutum offerentes, ſubrogandos edicit Sacerdotes alios, qui auguſtiorem litent in Eccleſia oblationem ſacerrimæ Euchariſtiæ.

1. ONvs verbi Domini ad Iſraël in manu Malachiæ. 2. Di-
lexi vos, dicit Dominus, & dixiſtis: In quo dilexiſti nos?
Nónne frater erat Eſau Iacob, dicit Dominus, & dilexi Ia-
cob, 3. Eſau autem odio habui? & poſui montes eius
in ſolitudinem, & hereditatem eius in dracones deſerti.
4. Quòd ſi dixerit Idumæa: Deſtructi ſumus, ſed reuerten-
tes ædificabimus quæ deſtructa ſunt: Hæc dicit, Dominus
exercituum? Iſti ædificabunt, & ego deſtruam: & vocabuntur termini impietatis,
& populus cui iratus eſt Dominus vſque in æternum. 5. Et oculi veſtri videbunt,
& vos dicetis: Magnificetur Dominus ſuper terminum Iſraël. 6. Filius honorat
patrem, & ſeruus dominum ſuum: ſi ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus? &
ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? dicit Dominus exercituum. ad vos, ò
Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis: In quo deſpeximus nomen
tuum? 7. Offertis ſuper altare meum panem pollutum, & dicitis: In quo pol-
luimus te? In eo quòd dicitis: Menſa Domini deſpecta eſt. 8. Si offeratis cæ-
cum ad immolandum, nónne malum eſt? & ſi offeratis claudum, & languidum,
nónne malum eſt? offer illud duci tuo, ſi placuerit ei: aut ſi ſuſceperit faciem
tuam, dicit Dominus exercituum. 9. Et nunc deprecamini vultum Dei vt miſe-
reatur veſtri (de manu enim veſtra factum eſt hoc) ſi quo modo ſuſcipiat facies ve-
ſtras, dicit Dominus exercituum. 10. Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia, & in-
cendat altare meum gratuitò? non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exer-
cituum: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. 11. Ab ortu enim ſolis vſque
ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus: & in omni loco ſacrificatur,
& offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in Gen-
tibus, dicit Dominus exercituum. 12. Et vos polluiſtis illud in eo quod dici-
tis: Menſa Domini contaminata eſt: & quod ſuperponitur, contemptibile eſt,
cum igne qui illud deuorat. 13. Et dixiſtis: Ecce de labore, & exufflaſtis illud,
dicit Dominus exercituum, & intuliſtis de rapinis claudum, & languidum, &

inculiſtis munus: nunquid ſuſcipiam illud de manu veſtra, dicit Dominus? 14. Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in Gentibus.

COMMENTARII.

1.

Iudaos Deus ingratitudinis arguit.

VERS. 1. 2. 3. *Onus verbi Domini ad Iſrael in manu Malachia.* Durum vaticinium, quod à Domino Malachias accepit, vt ad Iſraëlitas proferret. *Dilexi vos dicit Dominus, &c.* Audite ô Iſraëlitæ, quid in vobis Dominus improbet. Reuocate ait ille, in memoriam, quomodo vos ab initio dilexerim, innumeriſque beneficiis ornauerim. Ingrati tamen obieciſtis: Quo ſigno, quo dono, quo beneficio tuam in nos dilectionem oſtendiſti? Vah ingratitudinem! * Verè *obliti ſunt benefactorum eius, &c.* Pſal. 77. 11. Ingratitudo, & obliuio acceptorum pariter incedunt.] Vt alia innumera beneficio in te ô Iſraël à me collata omittam, ait Deus, an obliuiſci poteris manifeſtiſſimi beneficij, quo neglecta familia Eſau fratris gemelli Iacob patris tui, te Iacobi poſterum in filium, & hæredem mihi delegi, & vt talem in terram lacte ac melle manantem tot prodigiis excitatis olim induxi, & nunc recens iterùm reduxi. Vrbem & Templum à Chaldæis exciſum inſtauraui, religionem refloreſcere feci. Cum è contrario Eſauitas, id eſt Idumæos odio ſemper habuerim, id eſt, neglexerim, parum curauerim, & grauiſſimè afflixerim, vt ſolent qui aliquem odio proſequuntur. Montes præruptos eis pro habitatione dedi. Et eorum terminos ita vaſtaui Chaldæorum armis, vt in ſolitudinem redacti Syluestres alant belluas, præbeantque opportuna ſerpentibus habitacula.

Pariter incedunt ingratitudo & obliuio.

Verſ. 4. 5. Quod ſi dixerit Idumaa, &c. Ac ſi filij Eſaü Idumæi iam ab hoſte attriti reuerſuros ſe dicant in antiquas ſedes, & illa, quæ ſerpentes habitant, rurſum ædificanda: horum conſiliis, ait Dominus, aduerſabor: & quæ ipſi rurſus excitauerint, rurſus euertam. Vt homines qui eiuſmodi caſus ex peccatis oriri ſibi perſuaſerunt, ſceleratum putent, & dicant eſſe populum; quem ita Deus ſeuerè puniuit: & in æternum illi iratum fore Deum, cum illa ruina eiuſmodi ſit, vt duratura æternum videatur. * Idem accidet eis, qui contrà Dei voluntatem, & fortaſſe ex ſanguine pauperum ſuperbas domos extruunt: Ipſi ædificio efferendo ſtudent, Deus autem eiuſdem euerſioni intendit.] *Et oculi veſtri videbunt) &c.* Eorum tunc vos ô Iſraëlitæ cladem, & exitium cum exultatione vidiſtis. Deumque grati laudaſtis, quòd in veſtris vos ſedibus quietos & proſperos habitare conceſſerit. Quid autem poſtea?

Deus euertit domos, quæ ex ſanguine pauperũ extruuntur.

2.

Sacerdotes corripit panẽ pollutum offerentes in altari.

Verſ. 6. Filius honorat patrem, &c. Hæc omnia à patre beneuolo naſcuntur, quibus prorerea honor debetur. Et quidem cum filius patrem honorare, & ſeruus Dominum honorare ſoleat, vos tamen ô Iſraëlitæ, vtrumque prodidiſtis officium: neque enim me vt patrem honoraſtis, neque vt Domino debitum obſeruantiæ exhibuiſtis obſequium. *Dicit Dominus exercituum ad vos, &c. ô Sacerdotes, &c.* Nunc ad vos ô Sacerdotes querimoniam conuerto, qui cum me ipſum vilem, ac deſpicabilem habeatis, neque peccatum hoc agnoſcitis: & ſi quid apparet in vobis ſceleratum, & turpe, id à vobis callida tergiuerſatione depellitis. * Totius populi Iſraël ingratitudinem dumtaxat Dominus, in Sacerdotes querelas refundit, quia horum vita proba aut praua normam rectè aut iniquè viuendi ſæcularibus velut indicit.]

Probi, aut praui Sacerdotes praui, aut probè viuendi normã ſecularibus indicant.

Verſ. 7. 8. Offertis ſuper altare meum panem pollutum, &c. Audite quid ego in vobis ſceleris, & officij neglecti deprehenderim. Ad altare defertis contra ſacrificandi ritum pollutum panem: & tamen quæritis, quanam in re pollutus à vobis eſſe videar. Annon ego tunc à vobis pollutus cenſeri eſſe debeo, cum menſam meam vilem eſſe ac deſpicabilem aperto, ac libero conuicio iactitatis? Panem pollutum hîc Deus vocat primò panes propriè dictos, quos in Sacrificio *Mincha* (de quo *Leuit.* 2.) Deo offerebant fortè non ritè coctos, aut frixos, vel ex frumento non ſat puro ac præſtanti. Sed quia Hebræi *panem* vocitant omnem eſcam, ſecundò panem vocitat oues, boues aliaſque victimas, quas claudas, cæcas, mancas contra legis præſcriptum ex auaritia aut neglectu Deo immolabant, dicentes, menſam Domini vilem eſſe, ac proinde viliora quæque illi ſufficere. * O quàm errant, qui non ſelecta, & optima quæque Deo omnium Domino, creatori, & donatori deferunt?] Porrò victimæ in menſa ſeu altari apponebantur quaſi cibus Deo: vnde Propheta hîc altare *menſam* Domini vocat. Subtaxantur hinc, qui Eccleſiæ decimas ex deterioribus fructibus ſoluere non verentur: actu enim affirmant menſam Domini deſpectam eſſe ac contemptibilem.] *Si offeratis cacum ad immolandum, nonne malum eſt, &c.* Vilem equidem apud vos menſam meam haberi, haud dubiis argumentis oſtenditis. Adducitis namque iniquè victimas, quas ſacrificalis lex remouet ab altari, cæcas nimirum, claudas extrema macie, aut morbo confectas. Quas ſi ad ducem veſtrum, ſeu Principem adducere volueritis, malè vos accipiet, & in crucem cum veſtris victimis faceſſere iubebit. *Si placuerit*, inquit, *ei.* Modus loquendi in Scriptura Frequens, quo ſignificatur aliquid aut non admitti, aut non probari. Quaſi dicat, certè non placebit illud non tam ſacrificium, quàm iniuria, ſiue ludibrium. Suſcipere autem alicuius faciem, eſt audire aliquem, aut poſtulata concedere.

Deo omnium creatori, & datori optima quæque ſunt deferenda.

Taxantur, qui Eccleſiæ decimas ex fructibus deterioribus ſoluunt.

Verſ. 9. 10. Et nunc deprecamini vultum Dei, &c. Nunc ergo ſupplicibus ad Deum votis, precibuſque contendite, vt à vobis & à populo furorem auertat. An poſtulatis annuet, & veniam concedet? Miſericors infinite eſt, ſed ſi ſupplicium non abſtulerit, à vobis profectum eſt hoc malum, qui vitioſas à populo victimas accipitis, eaſque ad altare pollutis manibus immolatis. * Innuit orationem non profice-

Orationem oranti is iuſtitia debet coaptari.

re ei, qui Deum, quem verbis flectere ad pietatem curat, operibus impiis excitat ad vindictam.] *Quis eſt in vobis, &c.* Vultis exprimam, vnde tanta vobis impietas? Ideò quiſque veſtrum ſacrificat, vt aliquid inde emolumenti captet: & dummodò id non deſit, de legitimis victimis non laborat. Nihil eſt in Templo non venale, non oſtia claudere, non ignem accendere, & alia, quæ in ſacro miniſterio leuiſſima cenſentur. Quare cum ſacrificantes ipſi non placeant, nec ſacrificia placebunt, quæ ſicut leges remouent ab altari, ſic ego ab animo repellam. * Cum aliquem Sacerdotem preſſum iniquitate video, vereor, ne ſcelerum fons illorum ſit auaritia.]

Sacerdoti auaritia omnium vitiorum eſt fons.

3. *Verſ. 11. 12. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, &c.* Mihi perfecta debetur victima, quia vniuerſorum Deus ſum, & vbique terrarum, magnum eſt, ac venerabile nomen meum. Cui aliquando in aureo Euangelij ſæculo vbique locorum, etiam inter Gentes mundiſſima, ac gratiſſima hoſtia immolabitur. * Hebraicè eſt מנחה *mincha*, quod licet in genere *munus* ſignificet, à Deo tamen appropriatur ſpeciali ſacrificio ex pane vel farina confecti; quod accedente ordinario vini libamine, typus erat ſacrificij nouæ legis Euchariſtici, in quod vnum, & ſolum quadrant omnia iam dicta. In Dei honorem vbique terrarum offertur hæc victima adeò munda, vt nulla offerentium miniſtrorum immunditia poterit inquinari.] *Et vos polluiſtis illud in eo, &c.* Sed vós ô Sacerdotes, nomen meum omnibus Gentibus, ac ſæculis venerabile tanquam vile aliquid polluiſtis: dum menſam meam rudi opera elaboratam eſſe dicitis, contaminatam, & ſordidam: & tam ſacrificium, quod illi imponitur, quàm ignis, qui illud accendit, ac deuorat, aliquid eſſe exiguum & futile, quodque iure ab omnibus debeat ludibrio haberi.

Subrogandos ſum adicit alios Sacerdotes, mundiſſimam Euchariſtia victimam litaturos.

Euchariſticum ſacrificiũ adeò eſt mundum, vt miniſtrorum pollutis manibus non poſſit inquinari.

Verſ. 13. 14. Et dixiſtis: Ecce de labore, &c. Dixiſtis pro excuſatione veſtra: *Ecce de labore* LXX. *Hæc de afflictione ſunt*, id eſt, quod meliores victimas non offeramus, oritur ex paupertate noſtra, quàm afflictio Babylonica peperit. Et tali figmento veſtrum ſcelus tegitis, & exſufflatis quaſi rem mihi, quaſi ego fuerim paupertatis populi cauſa, qui eum permiſi affici captiuitate. *Maledictus doloſus, &c.* Maledictus ille, qui in ſacrificiis non ſyncerè, & caſtè, ſed doloſe fraudulenter agit. Qui cum in grege victimam habeat pinguem, & maſculam, & quam ex voto debet: vitioſam immolat, & debilem. Neque id ſecum attentè conſiderat, quia Rex magnus ego ſum, & nomen meum vbique terrarum venerabile. * Explicat Deus (reſpondens ad Sacerdotum obiectionem ex populi inopia) vndenam eiuſmodi inopia procedat, Nempe quia cum habeant in grege victimam maſculam, & pinguem, vitioſam, & debilem Deo eligant offerendam. Eam igitur auaritiam Deus punit inopia.]

Procedit inopia ex auaritia, qua Deo quis offert decimas ex deterioribus agri, aut gregis fructibus.

CAPVT II.

Egeſtatem, & maledictionem Sacerdotibus incuriis minatur. Hos, ac reliquos Iudæos taxat, quod alienigenas vxores duxerint.

1. ET nunc ad vos mandatum hoc, ô Sacerdotes. 2. Si nolueritis
audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor vt detis gloriam nomini
meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris, & maledicam illis: quoniam
non poſuiſtis ſuper cor. 3. Ecce ego proiiciam vobis brachium,
& diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum ve-
ſtrarum, & aſſumet vos ſecum. 4. Et ſcietis quia miſi ad vos mandatum iſtud,
vt eſſet pactum meum cum Leui, dicit Dominus exercituum. 5. Pactum meum
fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei
pauebat. 6. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labiis eius
in pace & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. 7. La-
bia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam; & legem requirent ex ore eius: quia An-
gelus Domini exercituum eſt. 8. Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis
plurimos in lege: irritum feciſtis pactum Leui, dicit Dominus exercituum. 9. Pro-
pter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, ſicut non
ſeruaſtis vias meas, & accepiſtis faciem in lege. 10. Numquid non pater vnus om-
nium noſtrum? numquid non Deus vnus creauit nos? quare ergo deſpicit vnuſ-
quiſque noſtrum fratrem ſuum, violans pactum patrum noſtrorum? 11. Tranſ-
greſſus eſt Iuda, & abominatio facta eſt in Iſraël, & in Ieruſalem: quia contaminauit
Iudas ſanctificationem Domini, quam dilexit, & habuit filiam Dei alieni. 12. Di-
ſperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magiſtrum & diſcipulum de tabernaculis
Iacob, & offerentem munus Domino exercituum. 13. Et hoc rurſum feciſtis, ope-

riebatis lacrymis altare Domini, fletu, & mugitu, ita vt non reſpiciam vltrà ad ſacrificium, nec accipiam placabile quid de manu veſtra. 14. Et dixiſtis: Quàm ob cauſam? quia Dominus teſtificatus eſt inter te, & vxorem pubertatis tuæ, quam tu deſpexiſti: & hæc particeps tua, & vxor fœderis tui. 15. Nónne vnus fecit & reſiduum ſpiritus eius eſt? Et quid vnus quærit, niſi ſemen Dei? Cuſtodite ergo ſpiritum veſtrum, & vxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere. 16. Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Iſraël: operiet autem iniquitas veſtimentum eius, dicit Dominus exercituum: cuſtodite ſpiritum veſtrum, & nolite deſpicere. 17. Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris, & dixiſtis: In quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis: Omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent: aut certè vbi eſt Deus iudicij?

COMMENTARII.

1\. *Sacerdotibus incurijs egeſtatem minatur.*

VERS. 1. 2. *Et nunc ad vos mandatum hoc ô Sacerdotes.* Veſtra ô Sacerdotes ſcelera audiſtis, nunc quod à Deo ad vos habeo mandatum, paucis accipite. *Si nolueritis audire, &c.* Sic Dominus ad vos: Vobis à Deo ſoi nominis gloria commendata eſt, quam tamen vos omninò deſpexiſtis, ac ſi nullum eiuſmodi mandatum haberetis. Nunc autem ſerio cogitate, quid à vobis nomen Sacerdotale requirat. Quod ſi meditari hæc, atque præſtare nolueritis, efficiam, ne quis vobis ex agro aut grege, decimis ſcilicet prouentus, aut ex Leuitici generis benedictionibus vlla commoditas adueniat. Denique vt vobis omnia ſint anguſta. Hæc, inquam, vobis aduenient, quia de gloria mea omnem cogitationem abieciſtis. * Vereor, ne pauperies, qua nunc Sacerdotalis ſtatus premitur, indè proueniat, quod Sacerdotes incurij ſint circa diuini nominis gloriam promouendam.]

Sacerdotum inopia prouenit ex incuria circa diuinam gloriam promouendam.

Verſ. 3. 4 5. Ecce ego proijciam vobis brachium, &c. Neque diù à vobis aberit plaga. Extendam in vos hoſtile brachium, & in faciem veſtram ſolemnitatum veſtrarum, quas religionis plenas arbitramini, ſtercus proiiciam: quarum ignominia, & fœditas à vobis nuſquam aberit. * O quot ſolemnitates à fidelibus nunc inſtituuntur in Diuorum feſtis, quæ vanitatis ſtercore exundant! Quandò Sol pietas deberet inter altaris lucernarum copiam eluceſcere.] *Et ſcietis, quia miſi ad vos mandatum iſtud, &c.* Tunc autem dignoſcetis, haud dubio experimento, quale fuerit pactum, quod cum Sacerdotali ordine olim pepigi, nempè non aliter illum futurum in honore, niſi ille nomen meum honoraret. * Hoc pactum Chriſtus Dominus cum D. Ignatio, ac Ieſuiſtis pepigiſſe videtur. Nomen IESV eis honorandum traditum fuit, ipſi verò pactum implentes, mirificè à Domino vbique terrarum tot Confeſſoribus, tot Martyribus, tot ſcriptoribus, tot egregiis facinoribus expreſſis honorantur.] *Pactum meum* fuit cum eo vitæ, & pacis; & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie *nominis mei pauebat.* Promiſi Sacerdotibus abundè omnia, quæ ab hominibus in bonis annumerantur, quæque pacis, ac vitæ vocabulo ſignantur. * Vita enim pacifica eſt planè omnium bonorum epilogatio.] Quæ tamen ornamenta, & commoda ea lege promiſi, dummodo me obſeruarent, ac colerent. Quia verò antiqui Sacerdotes leges illas religioſe obſeruarunt, quas ego illorum ordini præſcripſi: ideò vitam illis & pacem affatim ſum largitus.

Taxantur, qui vanitatis ſtercore feſta ſanctorũ inficiunt.

D. Ignatius, & eius Religio mirificè honoratur à Deo, quia ipſi nomen Ieſu accuratè ſatagunt honorare.

Pax eſt omnium bonorum complexio.

Verſ. 6. 7. Lex veritatis fuit in ore eius, &c. Leges hæ Sacerdotali ordini à me fuere præſcriptæ. Primò ne quid ſimulatum, & falſum, ne quid fraudulentum & iniquum in Sacerdotis ore deprehendatur. * Valdè enim dedecet Sacerdotem mentiri. Ideò prima hæc lex quaſi agnata Sacerdotali dignitati præſcribitur.] Deinde vt coram Deo ſemper incederet, nec vnquam ſe ab illius voluntate ſubduceret: & cum Deo, cuius ſeruiebat ſtudiis, ſemper pacem haberet. Denique vt errantes ad legis obſeruationem reduceret. Quod ipſi iuxta datam viuendi formam ad vnguem impleuerunt. *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, &c.* Hoc verò poſtremum ideò Sacerdoti mandatum eſt, quia in eius ore diuinæ legis ac Sapientiæ theſaurus ſeruari debet, à quo alij in rebus quibuſque dubiis petant oracula. Cum enim Dei ad homines legatus ſit, & eius nomine loquatur: non alia, quàm Dei mandata, & verba deferat oportet. * Vita itaque irreprehenſibilis Sacerdoti præſcribitur, quia ipſe ſæcularibus legis cuſtodiam debet indicere. Parum autem docentis proſerunt monita, ſi quæ alios ipſe non implet.]

Valdè indecens eſt, Sacerdotẽ mentiri.

Parum verba docẽtis proſunt, ſi quæ dicit ipſe nõ præſtat.

Verſ. 8 9. Vos autem receſſiſtis de via, &c. Vos autem contra Sacerdotalis ordinis obligationem, & maiorum exemplum, neque ſeruaſtis legem, & quominus ſeruarent alij veſtro vel doctrina, vel exemplo feciſtis. Quare, ait Dominus exercituum, grauem mihi cauſam exhibuiſtis, vt pactum, quod cum leui olim vitæ, ac pacis inieram, nihil iam habeat firmitatis. *Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, &c.* Propterea quia à meo præſcripto receſſiſtis, id aſſecuti eſtis, vt qui apud omnes eſſe in honore debueratis, ludibrio iam ſitis: & quo à lege longius abiiſtis, longior etiam à vobis honor omnis abierit. Cumque alia grauiter in legem peccaſtis, illud grauiſſimum, quod in exponenda lege, ac iudicio ferendo perſonarum accepto à vobis non vitatur. * *Et accepiſtis faciem* inquit, *in lege.* Iniquum valde eſt, Sacerdotem faciem cuiuſcumque ſiue diuitis, ſiue equitis, ſiuè Principis facie aſpicere, vt illius territus magnitudine, non audeat ei legis præſcripta indicere, & corripere tranſgreſſiones.]

Sacerdos vel Regum faciẽ reſpicere nõ debet, vt territus non audeat eũ monere de exceſſis.

Verſ. 10. 11. Numquid non pater vnus omnium noſtrum,

noſtrum, &c. Cur inter illos accipiendæ perſonæ, quibus eadem eſt generis, ac religionis communio? Vnus fuit pater Iacobo, a quo genus totum Iſraëliticum eſt propagatum. Vnus nos Deus creauit, cui omnes curæ ſumus: & apud quem nulla perſonarum acceptio. Et quæ erit ratio, cur fratrem ſuum quiſquam ex ordine veſtro deſpiciat, violetque pactum ea de re cum parentibus noſtris percuſſum? * Vnum etenim fratrem deſpicit, qui eſt alium, quia ditior aut nobilior ſit, iudicat præponendum.] *Trangreſſus eſt Iuda, &c.* Hactenus cum Sacerdotibus: nunc cum reliquo

Qui accepeat perſonā, vnum deſpicit, vt alium præponat.

2\. populo eſt diſceptatio. Qui quidem ex alieno ſanguine ad Iſraëliticum torum vxorem abduxit: remque in Iſraël abominabilem perpetrauit, & Iuda; quia in illegitimo thalamo proles ſuſcipitur ex Iſraëlitico ac Gentilico ſemine confuſa: ex diuerſarum Gentium commixtione, quarum non eſt vna lex, atque religio, ſanctificatio, Templúmque polluitur, & vera Iudæorum religio contemnitur.

Taxat eos, qui alienigenas duxerunt vxores.

Verſ. 12.13. Diſperdet Dominus virum, &c. Fuerunt Sacerdotes qui aut docerent, aut ſaltem permitterent hæc diuerſarum Gentium contracta coniugia. Fuére qui ab iis edocti quaſi diſcipuli damnatum illud nuptiale pactum non exhorruere. Tam hos, ait Dominus, quàm illos diſperdam; hos vt non iam amplius in Iſraëlitarum cœtu annumerentur, illos, vt offerendis ſacrificiis dare operam non permittantur. * Illud expende: *Diſperdet Dominus magiſtrum, & diſcipulum.* Prius Deus magiſtris, quam diſcipulis minatur exitium. Quia non tam Deum iniquitatis diſcipulatus, quam magiſterium irritat.] *Et hoc rurſum feciſtis, &c.* Acceſſit ad hanc intemperantiam aliud malum: Vxores veſtras Iſraëlitides priores vel repudiando, vel indignè quaſi ancillas habendo, cogitis, ad altare, & ad Templum meum confugere, & illud vberrimis lacrymis operire, & perpetuo fletu, & horrido mugitu omnia implere. Quare à veſtris ſacrificiis oculos auertam, neque illis à me veniam impetrabitis: quia veſtris votis, ac precibus vxorum obſtrepunt vlulatus. * Gracilis enim fœminæ affectè iniuria vox tam altè in diuinis auribus inſonat, vt iniuriatoris vel eleuatiſſimi clamores non exaudiantur.]

Valde Deũ irritat iniquitatis Doctor, ſeu confiliarius.

Altiſſima Dei auribus eſt vox patientis iniuriam.

Verſ. 14.15. Et dixiſtis: Quam ob cauſam, &c. Quia vero cauſam quæritis, cur durè ad veſtra ſacrificia & preces afficiar, hanc iuſtam admodum reddam. Quia præceptum à Deo habetis quomodo, & quaſi fide coniugale cum vxore conſortium ſeruare debeatis, quam à primis & florentibus annis vobis ſociaſtis, quam tamen prodita connubiali fide deſpexiſtis. Cum tamen pars quædam ſit veſtri, vtpotè ex viri coſta & carne formata: & capax illius legis ac fœderis, quo Deus primos in orbe coniuges matrimonio colligauit. * Qui igitur deſpicit vxorem, partem ſui, imò totum ſe deſpicere non dubitet.] *Nonne vnus fecit, & reſiduum ſpiritus eius eſt? &c.* Nonne vterque coniugum à Deo formatus, & vt eadem caro vtrique communis, quia à viro ſumpta, ſic etiam communis vtrique ſpiritus, quia quod fuit Adæ reſiduum, id datum eſt Euæ. Ille verò vnus, qui vtrumque formauit, ſemen quærit ſuum, filios ſcilicet Iſraël, ſemen ſanctum, à quibus ſpeciali quadam religione vult honorari. Cuſtodite igitur vxores, quæ pars quædam ſunt ſpiritus veſtri: neque quas adoleſcentes duxiſtis, & iam pridem habuiſtis domi, violata coniugali fide contemnite. Deus vult, vxorem ea apud viros in æſtimatione eſſe, ac fuerit ipſo in die nuptiarum.]

Qui vxorem deſpicit, partem ſui, imò ſe totum deſpicit.

Vxor ſit ſemper viro in illa æſtimatione, qua fuit ipſa die nuptiarum.

Verſ. 16.17. Cum odio habueris, dimitte, &c. Si odioſa tibi fuerit vxor, dimitte potius liberam, libello dato repudij, & libertatis vindice, vt ſui iam ſit, non alieni, ac tyranni iuris; minus enim erit illi moleſtum. Veruntamen licet hoc vxori maximè optabile videatur, viro tamen non poteſt eſſe non turpe: neque minus operietur iniquitate, eiuſque ſupplicio, quam operietur indumento. Quarè iterum moneo, vt vxores, id eſt animæ veſtræ dimidium cuſtodiatis, neque deſpiciatis, quod tantopere vobis à Deo eſt, commendatur. Illa preme: *Cuſtodite ſpiritum veſtrum.* Pulchrè vxor viri ſpiritus vocitatur. Vt ſi illa aut propter ſenectutem, aut propter fœditatem inepta videatur propter corpus amari, eam vir diligat propter ſpiritum, nempe ſuummet ſpiritum in illa reſidere.] *Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris, &c.* Magnum Domino in verbis veſtris moleſtiam præbuiſtis: neque quo eſtis mentis ſtupore cognoſcitis, in quo ſit vobis orationis genere peccatum, idque vobis poſtulatis aperiri. Quare illud vobis iam aperio. In eo quod dicitis placere Domino ſceleratos, & iuſtos contemni: atque in eo iudicium & æquitatem requiri, cum iuſtos laborare, & opprimi, impios autem dominari, & exultare permittat. Huic blaſphemiæ Propheta capite ſequenti reſpondet.

Vxor viri ſpiritus appellatur; vt vel ſi fœda, & anu ſit, ſit ratio, cur diligatur à marito.

CAPVT III.

Requirentibus Iudæis, Vbi eſt Deus iudicij, *reſpondet Propheta mox affuturum Meſſiam iudicij recti Deum, cuius duplicem deſcribit aduentum, vnum pacificum, terribilem alterum.*

1. ECce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante
faciem meam. Et ſtatim veniet ad templum ſuum Domina-
tor, quem vos quæritis; & angelus teſtamenti, quem vos
vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum: 2. &
quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis ſtabit ad
videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi
herba fullonum: 3. & ſedebit conflans, & emundans
argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum,
& erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia. 4. Et placebit Domino ſa-
crificium Iuda & Ieruſalem, ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui. 5. Et acce-
dam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui
calumniantur mercedem mercenarij, viduas, & pupillos: & opprimunt pere-
grinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. 6. Ego enim Domi-
nus, & non mutor: & vos filij Iacob non eſtis conſumpti. 7. A diebus enim
patrum veſtrorum receſſiſtis à legitimis meis, & non cuſtodiſtis. Reuertimini ad
me, & reuertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixiſtis: In quo reuerte-
mur? 8. Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixiſtis: In quo con-
figimus te? In decimis, & in primitiis. 9. Et in penuria vos maledicti eſtis, & me
vos configitis gens tota. 10. Inferte omnem decimam in horreum, & ſit cibus in
domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus: ſi non aperuero vobis cata-
ractas cæli, & effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam, 11. & in-
crepabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ; nec erit
ſterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. 12. Et beatos vos dicent om-
nes Gentes: eritis enim vos terra deſiderabilis, dicit Dominus exercituum.
13. Inualuerunt ſuper me verba veſtra, dicit Dominus. 14. Et dixiſtis: Quid
locuti ſumus contra te? Dixiſtis: Vanus eſt, qui ſeruit Deo: & quod emolumen-
tum quia cuſtodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus triſtes coram Domino
exercituum? 15. ergo nunc beatos dicimus arrogantes: ſiquidem ædificati ſunt
facientes impietatem; & tentauerunt Deum, & ſalui facti ſunt. 16. Tunc locuti
ſunt timentes Dominum vnuſquiſque cum proximo ſuo: Et attendit Dominus, &
audiuit: & ſcriptus eſt liber monumenti coram eo timentibus Dominum & cogi-
tantibus nomen eius. 17. Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego
facio, in peculium: & parcam eis, ſicut parcit vir filio ſuo ſeruienti ſibi. 21. Et con-
uertimini, & videbitis quid ſit inter iuſtum & impium; & inter ſeruientem Deo, &
non ſeruientem ei.

COMMENTARII.

1. *Pacificus Chriſti aduentus hoc in capite obijcitur.*

VERS. 1. 2. *Ecce ego mitto Angelum meum, &c.* Ecce ego (dicit Beatiſſima Trinitas) mitto Angelum meum, nempe Ioannem Baptiſtam, (vt ipſemet Chriſtus *Mat.* 11. 10. explicat) Angelum, inquam, non natura, vel incarnatione; (vt ſomniabat Origenes) ſed officio, dignitate, excellentia, ſanctitate. Qui teſtimonio, doctrina, exemplo, baptiſmo ſuo viam mihi aduentanti præparabit, id eſt, diſponet animos Iudæorum, vt quando ego Meſſias me orbi patefaciam, ipſi me recipiant. Vndè ſtatim poſt Ioannem ille per excellentiam *Dominus*, quem tot ſeculis vos requiritis; & poſt priorem illum Angelum ſequetur alter vobis optatiſſimus Angelus teſtamenti. Tigur. *legatus fœderis*, ſeu internuncius, mediator, conciliator fœderis inter Deum & hominem. Et in Templum ingredietur, in ſuum vtique domicilium Dei parent[illegible] [illegible]ectum. * Nihil etenim optabilius Domino, quam in hoc Templo ſacerrimo habitare, & [illegible]antæ parentis eſſe filium.]

Nihil Deo optabilius quàm Templum Deiparæ inire, & eius eſſe filium.

Verſ. 3. 4. 5. *Et quis poterit cogitare diem aduentus eius, &c.* Illum diem, & quæ in eo fient admiranda prodigia, nemo poterit cogitare Vſque adeo enim mirabilia erunt, vt neque in homi

hominum cogitationem venire poſſe videantur. Ipſe in hominum animis à ſordibus purgandis id faciet, quod ignis in metallo repurgando, & conflando, & in emaculandis veſtibus herba fullonum. *Et ſedebit conflans, &c.* Sedebit ille, & eo ſtudio purgabit illius feliciſſimi ſæculi Sacerdotes, quo attatius ſedet, vt argentum, vel autum purificet, & conflet. Quos ita liquefaciet, emundabit, ſicut emundari ſolet argentum, & aurum, Vndè non recedent in ſacrificãdo, ab eo, quod lex, & pietas Sacerdoti præfinit: ita vt poſſit ſacrificium illud *iuſtitia* vocitari. * *Et ſedebit* inquit. Vt innuat, ad purificationem animi gerendam, neceſſarium eſſe attentum purificantis ſtudium: ſubtaxans Cõfeſſarios, qui quaſi per tranſennam pœnitẽtes audiunt, & tanti momenti negocium in momento perficiunt.] * *Et purgabit* (adiicit) *filios Leui.* Primum Chriſti Domini aduentantis ſtudium eſt, Sacerdotum maculas abſtergere, Sacerdotalis enim actio ſæcularibus proponitur æmulanda: & qualis paſtor, tales aſſolent oues exponi.] *Et placebit Domino ſacrificium Iuda, &c.* Tunc autem ſacrificium, quod in Eccleſia offeretur, cuius Iuda & Ieruſalem typum agunt, ſic erit gratum Deo, vt ſibi in eo vehementer placeat; ſicut placuere ei, ea parte ſacrificantis ſacrificia, quæ antiquiſſimis ſeculis à magnis Sacerdotib⁹, & Patriarchis Abele, Melchiſedecho, Abrahamo, Moyſe, Aarone & aliis viris ſanctiſſimis fuere oblata. *Et accedam ad vos in iudicio, &c.* Dixeratis, ô Sacerdotes populi mei in me neque iudicium eſſe, neque humana commoda pro hominum meritis, ſeruata æquitate diſpenſare. Accedam igitur ad vos Iudex, vt veſtra merita cognoſcam, & iudicem: idque quamprimùm fiet iudicium contra maleficos, & adulteros, contra periuros, & qui mercenarios callidè mercede defraudant, & qui pupillos, ac viduas ſpoliant, qui peregrinos opprimunt, neque Deum timent. Et tunc dignoſcent hi ſcelerati, me teſtem fuiſſe illorum, quæ ipſi feciſſent, aut cogitaſſent in tenebris, quæque putabant diuinos oculos latere: & de illis nullam in cælis eſſe prouidentiam.

Taxãtur Cõfeſſarij, qui per trãſennã confeſſiones audiunt, & non attentè tanto incũbunt miniſterio.

Primũ Chriſti venientis ſtudium, ſacerdotes emundare, vt ſeculares emundent.

Verſ. 6. 7. Ego enim Dominus, &c. Ego, inquit Deus, de me ipſo tam longam in veſtrum genus tolerantiam admiror. Nam cum Deus ſim, neque aliter nunc, quam olim à ſæculo in peccatum, & peccatorem afficiar, plurimoſque non diù poſtquam deliquere, conſumpſerim: vos tamen filij Iacob, quorum vita ſceleribus eſt innumeris ſcatens, viuitis, nec dum eſtis pro veſtrorum ſcelerum ratione conſumpti. * Tanta equidem eſt cuiuſlibet lethalis peccati malitia, vt ipſe infinitæ miſerationis Deus in ſeipſo quaſi admirari poſſit, quod non illico Iudex damnaturus accurrat.] *A diebus enim patrum veſtrorum receſſiſtis, &c.* Ab vltima parentum veſtrorum memoria, illorum æmulati actiones, receſſiſtis à lege. Licet verò ob hanc tam obſtinati animi pertinaciam perdere vos potuerim: meæ tamen clementiæ memor vos adhuc admoneo, vt per vitæ nouitatem ad me redeatis: neque inutilis vobis erit hæc animi ſeria veraque conuerſio. Ego enim ad vos reuertar ſicut olim munificus. At vobis ſic veſtra placent, vt non putetis, à diuina lege aliquo declinaſſe. Vndè cogitatis, à quonam errore, veſtet ad Deum gradus ſit retorcandus.

Tanta eſt vel vni⁹ peccati malitia, vt quaſi de ſeipſo mirari poſſit De⁹, quod non illicò illum puniat.

Verſ. 8. 9. Si affiget homo Deum, &c. Annon graue delictum eſt hominem eo dementiæ prolabi, vt Deum ſuum opprimere, & variis iniuriis ac opprobriis, quaſi iaculis, lanceis, ſeu clauis in cruce configere conetur, vti vos conamini, ſubtrahendo meiſque miniſtris debitas primitias ac decimas? quarum defectu miniſtri mei negligunt meum cultum, ſacra adulterant, vt ante (*cap. 1. 7.*) querebar. * Omnes peccatores ſcelere ſuo, quantum in ſe eſt, Deum configunt, *rurſum crucifigentes Filium Dei, & oſtentui habentes,* vti Paulus ait, *Hebr. 6. 6.*] * Præcipuè autem Deus memorat primitiarum, ac decimarum defraudatores, eo quod ex earum retentione diuini cultus decentia immiouatur: & cogantur miniſtri ſacri ob ſubſidij defectum famis, ac nuditatis incommodis (ſtatus clericalis opprobrio) affici.] *Et in penuria vos maledicti eſtis, &c.* Vndenam putatis vos penuria premi? Certè quia decimas non Inferentes, quæ ex lege debentur, in horreum meum, ſe adeò configitis, & prouocatis, vt faciam veſtra horrea ex frugum defectu vacua oſtentari. * Et quidem qui decimas debitas Eccleſiæ non ſoluit, gratuitam à Deo agri haud recipit abundantiam, ſed cruciatur inopia.]

Omnis peccator quantũ in ſe eſt, Deũ configit rurſum Cruci. Speciatim id agit, qui decimas, & primitias non ſoluit Eccleſiæ.

Inopia cruciatur, qui decimas Eccleſiæ non ſoluit.

Verſ. 10. 11. 12. Inferte omnem decimam in horreum, &c. Obligationi circa ſoluendas decimas, ac primitias ſatisfacite: & ego efficiam, ne quid fructibus, quos à me irrigata terra pepererit, officiat. Hoſtes arcebo, qui ſegetes aut calcatu ſternant, aut flammis aboleant. Quod ſi non immiſero vobis eam aquarum abundantiam, vt cataractæ nubium apertæ videantur: & eam rerum copiam, quam horrea, & vaſa cellaria capere non valeant: illum me eſſe exiſtimate, cui deinceps fides *haberi* non debeat. *Et increpabo pro vobis deuorantem, &c.* Efficiam, ne quid fructibus, quos irrigata terra peperit, officiat. Prohibebo beſtiolas arboribus, ac frugibus infenſas, & vrentem ventum, ne germinata corrumpat. Vndè neque ager erit ſterilis, neque vineæ in agris ſuo fructu ſpoliabuntur. *Et beatos vos dicent omnes Gentes, &c.* Omnes vos beatos eſſe prædicabunt, ſecumque putabunt actum fore feliciter, ſi vobiſcum aliquando habitare contingat * Si Deus tot beneficia promittit ab eis accipienda, qui decimas ritè ſoluerint, & tot hoſtibus agrorum meſſes ac vineæ ſolent exagitari: paupertate planè premi vult, qui aliquid de decimis detrahere cogitat.]

Pauper vult eſſe, qui aliquid de decimis detrahere cogitat.

Verſ. 13. 14. 15. Inualuerunt ſuper me verba veſtra, dicit Dominus. Audite iam iterum, in quo veſtram ego impietatem accuſem, & damnem: quia contentioſè, & ſæpè magnis aduerſum me clamoribus inſurgitis. *Et dixiſtis: Quid locuti ſumus contrà te, &c.* Neque id conſideratis, atque ideo quæritis, quod verbum ex ore veſtro iniquum contrà Deum exciderit? Dixiſtis, illum eſſe ſtultum & vanum, qui Dei ſe voluntati, & mandatis attemperat; neque vos ex illius obſequio, & ex longo ieiunio commodè aliquid habuiſſe. *Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, &c.* Arrogantes verò & violentos homines fortunatos eſſe dicebatis, qui cum peccatis ſe tradant, abundant tamen

illis,

filiis, magiſtratibus, opibus, omnibuſque aliis, quæ in bonis anumerantur. Neque cum Deum ſæpè grauiter delinquendo tentarint, aliqnid tamen aduerſum patiuntur.

Verſ.16. Tunc locuti ſunt timentes Dominum, &c. Poſt querelam hanc tam grauem & ioſtam, tam futilem dixerim & iniquam, quibus timor ineràt, & iu Deum obſeruantia, ſecum meliori forma viuendi meditati, & de eadem cum proximo, locuti ſunt multo aliter quam alij de Deo ſentientes. Quod videlicet humana curet, eáque pro cuiuſlibet meritis cum æquitate diſpenſet: neque tam ſint illi beatí, quàm ſtulta hominum multitudo cogitat: cum ſuus quemque dies, & iudicium maneat. Quæ verba Deus in librum retulit memoriale, ſicut orationem aliorum impiam antè retulerat: quia de Deo rectè ſentiunt, déque illius religioſo cultu deliberant. * Qualis quis eſt, taliter videris eum de rebus cógitare cæleſtibus. Impios enim ſic ſcelera reddunt ſtupidos, vt lucem ipſam tenebras eſſe credant.] Vnuſquiſque iudicat de rebus, qualis ipſe eſt.

Verſ.17.18. Et erunt mihi, ait Dominus, exercituum, &c. In die illo, ait Dominus, quo de hominum factis, ac ſtudiis iudicabo, amplectar illos, quaſi mihi hæreditatem, & peculium; neque aliter tractabo, quam pater filium, qui commodis & valetudini parentis conſulit. *Et conuertemini, & videbitis, &c.* Tunc ea erit rerum, fortunarumque conuerſio, cum arrogantes & violentia ſuo loco cadant, eleuentur autem iuſti, qui prius videbantur abiecti, vt tam hi, quam illi apertè dignoſcant, quid inter iuſtum & iniuſtum interſit: & inter illum, qui Dei obſequitur voluntati, & eum, qui ab eius voluntate ſubduxit.

CAPVT IV.

Diem iudicij deſcribit piis iucundiſſimum, impiis terribilem, in quo cuiquam gloria, vel pœna decernetur æterna.

1. ECce enim dies veniet ſuccenſa quaſi caminus: & erunt om-
nes ſuperbi, & omnes facientes impietatem, ſtipula, & in-
flamnabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum,
quæ non derelinquet eis radicem & germen. 2. Et orie-
tur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ; & ſanitas
in pennis eius: & egrediemini, & ſalietis ſicut vituli de
armento. 3. Et calcabitis impios, cùm fuerint cinis ſub
planta pedum veſtrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum. 4. Me-
mentote legis Moyſi ſerui mei, quam mandaui ei in Horeb ad omnem Iſraël,
præcepta & iudicia. 5. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam antequam ve-
niat dies Domini magnus, & horribilis. 6. Et conuertet cor patrum ad filios,
& cor filiorum ad patres eorum: ne fortè veniam, & percutiam terram ana-
themate.

COMMENTARII.

1. Deſcribit terribilem Chriſti aduentum ad nouiſſimű iudicium.

VERS.1. *Ecce enim dies veniet, &c.* Iam audiſtis, quale de iuſtorum iniuſtorúmque meritis iudicium ſit futurum. Nunc illius diei ſpeciem, & horrorem accipite. Erit enim ſicut accenſa fornax, quæ non aliter arrogantes, qui inter alios dominari videntur, inflammabit, & perdet, quàm magnum incendium ſtipulas aridas abſumit, ita vt illorum nihil ſuperſit incolume: ſicut in arbore ſciſſis radicibus omnia prorſus intereunt.

Verſ.2. Et orietur vobis timentibus nomen meum, &c. Iuſtos verò Deumque timentes longè diſſimilis expectat euentus. Iudex namque, qui impiis erit inſtar ardentis ignis, iuſtis aderit inſtar ſolis, qui relenat omnia quæ nocturnis tenebris celabantur: & talia faciet apparere, non qualia iudicabant deluſi hominum ſenſus, ſed qualia ipſa fuere: ita vt te vera poſſit Sol vocari iuſtitiæ, qui iuſta rerum momenta expendat, & aperiat. Et qui iniquis æſtum & mortem attulit, ille in pennis, id eſt, radiis timentibus eum afferet ſplendorem, lætitiam, & ſalutem. Tunc verò iuſti ad ſalutaris huius lucis exortum ſic lætabuntur, quomodò vituli, vbi primum illuxit, ex ſtabulis egreſſi, & campum nacti apertum, & vberem exultant. * O quam dulcis temporaria clauſura Religioſis æternæ illius libertatis iucundiſſimæ meditatione!] Dulcis Religioſis clauſura erit æternæ libertatis iucundiſſimę meditatione.

Verſ.3.4 & calcabitis impios, &c. Ea quidem tunc erit peccatorum vilitas, vt veſtris ô viri ſancti calcentur pedibus, non aliter quàm ſi cinis foret ab incendio relictus. * Non erunt illi cinis, ſed vt cineres conculcari. Pro magna

enim

Flamma inferni corpora incendit, ſed mortalitatis cineres non relinquit.

enim felicitate ducerent damnati, ſi verè cinis eſſent, & omnino conſumpti. Sed, heo, flāma illa corpora accendit, ſed mortalitatis cineres non relinquit.] *Mementote legis Moyſi, &c.* Quarè ô viri Iſraëlitæ ſi horribile vultis declinare iudicium, & vitulorum inſtar, exultate, curate, ne quam ætatis veſtræ partem à legibus, quas Moyſes in monte Sinai accepit, ſolutam habeatis. * Obiecta menti diei iudicij die, mox legis obſeruationem ſuadet. Nihil enim ſic peccatores à vitiis auocat, & ad virtutem adducit quam horribilis diei iudicij memoria.]

Memoria iudicij auocat homines à vitiis, ad virtutem allicit.

Verſ. 5. 6. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, &c. Sed antequam dies ille horribilis, qui de hominum meritis iudicabit, aduenerit, mittam vobis Eliam Thesbitem, qui, quæ ex veſtro genere fuerint collapſa, inſtauret. *Et conuertet cor patrum ad filios, &c.* Hic verò Iudæorum corda, qui longè à parentum ſpiritu ac fide aberrarunt, ad parentum imitationem, id eſt, ad meliorem viuendi formam adducet. Vndè fiet, vt parentes, qui à filiorum depravatis moribus animos auerterant, ad eorum iam mites conuertant animos, ſicut patres ad filios aſſolent obſequentes. Sic autem fiet Eliæ opera, nè tota Iudæorum terra, quæ ad illud vſque tempus in peccatorum ſordibus obſtinato hæret, funditus intereat. Vel ne veniens percutiam anathemate, ſeu maledictione æterna damnationis omnes terræ incolas: nam conuerſos tam ex Iudæis, quam ex Gentilibus non damnabo, ſed æterna donabo felicitate. Quo loco, quo ſtatu iam ſit Elias, & quo ſocio ſub mundi finem ad nos rediturus, alibi expono.

A D
MARIAM DOMINAM.

DIVVS Ildephonſus *ſerm. 2. de Aſſumpt.* inſiſtit ô Domina, te debere inter Prophetas annumerari, imò iuſtè Prophetarum eſſe Reginam, dum præcinisti: *Magnificat anima mea Dominum: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Luc. 1. Regina itaque Prophetarum oſtenditur, quia ſimul cum vaticinio futurorum mirabilium virtutum fundamentum illius gloriæ humilitatem profert. *Vnde* (ait Toletanus Antiſtes.) *Cum audiſſet omnia, quæ ſub Angelo ei deferebantur incomprehenſibilia, & credidiſſet inaudita, nec non etiam, quæ ab Eliſabeth dicebantur, intulit* Propheteſſa noſtra: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent. O mira humilitas! Confitetur humilitatem, quam ſolam in ſe reſpexiſſe dicit, qui cuncta reſpicit: & continuò prædicatur beatitudo ipſius, de quâ hodie totus teſtis eſt mundus. Impleta itaque ſunt quæ* Propheteſſa cœleſtis *prædixit.*

Propheteſſa fuit Maria, & ex humilitate Prophetarum Regina.

Laus Deo, Deiparæ, Ioſepho, Ignatio Antonio.

149.

R. P. ANTONII

DE ESCOBAR ET MENDOZA,

SOCIETATIS IESV THEOLOGI.

Commentariorum in Machabæos

PARS ALTERA.

LECTORI MEO.

T*ESTATVR Origenes apud Euſebium lib.6. cap.25. horum librorum Græcam inſcriptionem fuiſſe* Σαρβηθ σαρβανὲλ, *cu-ius, vt Serarius annotat, in præloq. varius eſt ſenſus nempè* Princeps domus, Princeps filiorum Dei, Princeps in anguſtia filiorum Dei. *Hodie ſimpliciter & apud Græcos, & apud Latinos* Machabæorum libri *inſcribuntur. Et quidem à Iuda ſacrorum bellorum Duce, cognominato Machabæo, titulus ille duxit originem. Verùm ex quatuor litteris, quas ſuis in vexillis Iudas in-ſcripſit* מכבי *(quæ in Hebræo ſignificat* Quis ſimilis tui in fortibus, Domi-ne, *vox à Iuda dimanauit ad fratres, & ad viros alios, qui illis temporibus ſe in bello fortes geſſerant : vnde non Machabæi Libri, ſed Machabæorum ſunt di-ctitati. Ex his duo priores, qui in Bibliis circumferuntur, ab Eccleſia agni-ti ſunt Canonici : tertius & quartus à ſacrorum Librorum ſerie penitus ex-puncti.*

VNDECIM ANTILOGIA,
Quæ in duobus Machabæorum libris continentur.

Seu quæ inter ſe videntur pugnare Teſtimonia.

CAPVT I.

Ex libro 1. quinque.

I.
1. *Mach.* 4.6.

Deus ſuorum prouidet egeſtati.

VIRI Iudæ tegumenta, & gladios non habebant. At verſ. 15. dicitur, Illorum *gladio ceciderunt tria millia virorum.* Si habebant gladios, quomodo gladios *non habebant?* An quia Deus ſuorum egeſtati de more prouidit? An quia nuditas, ſeu paupertas inermis, eſt aduerſus ſpiritales hoſtes, inibi figuratos, potentiſſima?

Inermis paupertas eſt potentiſſima.

II.
1. *Mach.* 4.60.

Ædificauerunt Iudæi *montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas; & collocauit ibi* Iudas *exercitum, vt ſeruarent eum:* At arx Sion à Gentilibus incolebatur. Nam verſ. 41. pugnabant Iudæi aduerſus milites Antiochi, qui iam inde à triennio 1. Mach. 1. 35. erant in arce Sion: & tenuerunt eam vſque ad Simonis tempora. cap. 13. 50. Quomodo ergo potuit Iudas arcem Sion poſſidere? Exiſtimarim quidem non poſſideri illud, quod alterius iniuria acquiritur. Vnde Antiochus poſſidere videbatur arcem Sion, quæ Iudæorum erat. Sed verè ab eo non poſſidebatur. Addiderim belli tempore non poſſideri Ciuitatem, vel Regnum, ad cuius conſeruationem perpetuæ pugnæ incommoda ſint ſubeunda. Vnde qui tyrannicè Regno potitur, cuius alius eſt Dominus, qui illud exercitus ducens recuperare nititur; verè illud non poſſidebit, donec pacificè illi non ſubeat.

Non poſſidetur illud, quod alterius iniuria poſſidetur.

Non poſſidetur Regnum tyrannicè acquiſitum, ſi bello cõtinuò ſit conſeruandum.

III.
1. *Mach.* 6.42.

Ceciderunt de exercitu Regis ſexcenti viri. At 2. Mach. 13. 15. dicuntur *quatuor millia* cecidiſſe. Si quatuor millia ceciderunt, quomodò ſexcentos ſolum viros cecidiſſe dicitur? Crediderim ſolummodò fieri de viris fortibus memoriam. Vulgus exercitus viuat, aut moriatur, nullatenus fortiorum addit numerum, aut imminuit.

Vulgus exercitus militũ fortium, nec addit numerũ, nec imminuit.

R. P. Am. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. to. VII. p. 2.

IV.
1. *Mach.* 7.9.

Rex Demetrius impium Alcimum conſtituit in ſummum *Sacerdotem.* At 2. Mach. 4. 3. dicitur *Alcimus* fuiſſe *ſummus Sacerdos* ante Regis Demetrii aduentum. Quomodò ergo in ſummum Sacerdotem conſtituit eum, qui iam ſummus erat Sacerdos? An quia eum in munus Rex confirmauit? Sic ex littera, Ad ſpiritum dixerim, Alcimum cùm impius eſſet, ſolo nomine fuiſſe Pontificem. Vnde ante Demetrium Sacerdos verus non erat: imò & poſt Demetrij aſſignationem ſummi Sacerdotis nomine indignus erat in prima perſiſtens impietate.

Impius Sacerdos, Sacerdos nõ eſt appellandus.

V.
1. *Mach.* 12.7.

Spartiatæ *eſtis fratres noſtri, ſicut reſcriptum eſt.* At huiuſmodi ſcriptura nullibi inuenitur. Profectò non inde colligitur id ſcriptum non eſſe. Multa enim decurſu temporis abolentur ſcripta præſertim quæ ad virtutis commendationem attinent. Vnde non mirum, Scripturam, quæ Iudæorum & ſpartiatarum fraternam charitatem commendabat, eſſe traditam obliuioni.

Quæ ad virtutis cõmendationem ſcribuntur, facilè obliuione obliterantur.

CAPVT II.

Ex Libro 2. Sex.

VI.
2. *Mach.* 1.9. & 18.

FREQVENTATE dies ſcenopegia menſis Caſleu. At ex Exo. 23. & 24. & Leu. 23. conſtat ſcenopegiæ dies non eſſe ſolitos celebrari menſe nono *Caſleu*, ſed menſe ſeptimo *Teſri.* Profectò cum ſcenopegia ſit tabernaculorum, quibus peregrini in deſerto degebant Hebræi, non ineptè pluribus in menſibus tabernaculorum memoria recolitur, vt recordemur, nos peregrinos eſſe, nec hîc manentem habere

Frequenter recordemur, nos hîc nõ habere manẽtem Ciuitatem.

bere Ciuitatem, Sed futuram inquirere.

VII. 2. *Mach.* 3.3. Multi paruum aliquid aliis dant, vt ab eis omnia eripiant.

Seleucus Aſiæ Rex de redditibus ſuis præſtabat omnes ſumptus ad miniſterium ſacrificiorum pertinentes. At verſ.7. Rex Seleucus accitum Heliodorum iubet de Templo expilare theſauros. Quomodo iubet expilare Templi theſauros, ſi ipſe theſauros ſuos Templi ſeruitio offert? O quot homines aliquid exiguum aliis dant, vt ab illis omnia eripiant!

VIII. 2. *Mach.* 5.27. Bonus Præſul ſe gerit ſicut vnus ex ſubditis.

Iudas Machabæus decimus fuerat inter Aſidæos. At cap. 14.7. dicitur *Iudas præfuiſſe* omnibus *Aſidæis.* Quomodo qui præeſt, inter ſubditos computatur, imo & decimus illorum aſſeritur? Certè quia Præſul ſe æqualem, imo & ſubditis omnibus ſe minimum debet exiſtimare. Saltem illud exequi: *Rectorem te poſuerunt, eſto ſicut vnus ex ſubditis.*

IX. 2. *Mach.* 7.13. Peccatori impœnitẽti Deus nõ miſeretur, licet veniã efflagitet.

Orabat ſceleſtus Dominum, & quo non eſſet miſericordiam conſecuturus. At Ezech. 18.21. dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam: vita viuet, & non morietur.* Cur ergo Deus ſceleſto illi Principi oranti non pepercit? Planè quia ſceleſtus adhuc, & non pœnitens orauit.

X. 2. *Mach.* 11.24. Tyranno imperante ſubditi bona ſua poſſident, & non poſſident. Quotidie, imò per momenta ſingula Deo ſumus vitæ debitores, quia illam conſeruat.

Audiuimus Iudæos poſtulare à nobis concedi ſibi legitima ſua. Et verſ.25. ſtatuimus, *reſtitui illis Templum.* At ex 1. Mach. 4.52. conſtat, ea iam pridem poſſediſſe. Cur igitur petunt ſibi dari, quod habent? Certè quia Tyranno imperante, nihil ſubditi proprium habere reputare debẽt, quia viget iniuſtitia. Vel quia conſeruare aliquem in his, quæ habet, idem quodammodo eſt, quam de nouo ea accipere, cum is, qui conſeruat, ea ab eis poſſit auferre. Vnde elicio, debitores nos eſſe Dei vitæ per momenta ſingula, quia conſeruat eam, quam ſingulis momentis ea nos valeat ſpoliare.

XI. 2. *Mach.* 13.2. Rarò conſtat de bellicarum rerum veritate.

Lyſias habebat *centum, & decem millia peditum, quinque millia equitum, & viginti duos elephantos.* At 1. Mach. 6.30. erant *centum millia peditum, viginti millia equitum, & elephanti triginta duo.* Vndenam hæc tanta oritur differentia? Certum eſt ex littera vtrumque eſſe verum. At ſi ex humano hominum more eſſet, reſpondendum, dixiſſem, raro conſtare de bellicarum rerum veritate. Vnde illud: *Cum audieritis bella.* Alibi, Cum audieritis opiniones præliorum. Si mille de bello loquantur, diuerſa omnino mille exaudies opiniones.

ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA, E SOC. IESV THEOLOGI.

In Vetus, ac Nouum Teſtamentum Commentarij Literales, & Morales.

LIBER PRIMVS.

Commentarij Literales, & Morales.

AD LIBROS MACHABÆORVM.

PROLVSIO.

Appellantur hi libri *Machabaeorum* à præcipuo religionis vindice, ſacrorúmque bellorum Duce Iuda Machabæo, ſic appellato à robore, quo præditus fuit, quódque in hoſtes ſancti populi exeruit, quos potenter debellatos extinxit. Vndè ex Hebræa radice בכוה *chaba* ſeu *extinxit*, & *Machabi*, ſeu *Machabaeus*, idem eſt quòd *extinctor*, *interemptor*. Te ô beatiſſima Virgo appoſitè *Machabaeam*, ſeu *interemptricem* appellarim, *cunctas* enim *hæreſes tu ſola interemiſti in vniuerſo mundo.* Maria hæreſum interemptrix.

AD PRIMVM MACHABÆORVM.

CAPVT PRIMVM.

Moriturus Alexander Regna, quæ obtinuerat inter ſuos Principes diuidit. Ex horum vno Seleuco primogenitus Antiochus Iudæam inuadit. Templi theſauros diripit, immania alia ſcelera perpetrat.

1. ET factum eſt, poſtquàm percuſſit Alexander Philippi Mace-
do; qui primus regnauit in Græcia, egreſſus de terra Ce-
thim, Darium regem Perſarum & Medorum: 2. conſti-
tuit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & inter-
fécit reges terræ. 3. & pertranſiit vſque ad fines terræ: &
accepit ſpolia multitudinis Gentium: & ſiluit terra in conſ-
pectu eius. 4. Et congregauit virtutem, & exercitum for-
tem nimis: & exaltatum eſt, & eleuatum cor eius: 5. & obtinuit regiones Gen-

tium, & tyrannos: & facti ſunt illi in tributum. 6. Et poſt hæc decidit in
lectum, & cognouit quia moreretur. 7. Et vocauit pueros ſuos nobiles, qui ſe-
cum erant nutriti à iuuentute: & diuiſit illis regnum ſuum, cùm adhuc viueret.
8. Et regnauit Alexander annis duodecim, & mortuus eſt. 9. Et obtinuerunt
pueri eius regnum, vnuſquiſque in loco ſuo: 10. & impoſuerunt omnes ſibi
diademata poſt mortem eius, & filij eorum poſt eos annis multis, & multiplicata
ſunt mala in terra. 11. Et exiit ex eis radix peccatrix, Antiochus illuſtris, filius An-
tiochi regis, qui fuerat Romæ obſes: & regnauit in anno centeſimo trigeſimo ſep-
timo regni Græcorum: 12. In diebus illis exierunt ex Iſraël filij iniqui, & ſua-
ſerunt multis, dicentes: Eamus, & diſponamus teſtamentum cum Gentibus, quæ
circa nos ſunt: quia ex quo receſſimus ab eis, inuenerunt nos multa mala. 13. Et
bonus viſus eſt ſermo in oculis eorum. 14. Et deſtinauerunt aliqui de populo, &
& abierunt ad regem: & dedit illis poteſtatem vt facerent iuſtitiam Gentium.
15. Et ædificauerunt gymnaſium in Ieroſolymis ſecundùm leges Nationum: 16. &
fecerunt ſibi præputia, & receſſerunt à teſtamento ſancto, & iuncti ſunt Nationi-
bus, & venundati ſunt, vt facerent malum. 17. Et paratum eſt regnum in conſ-
pectu Antiochi, & cœpit regnare in terra Ægypti, vt regnaret ſuper duo regna.
18. Et intrauit in Ægyptum in multitudine graui, in curribus, & elephantis, &
equitibus, & copioſa nauium multitudine: 19. & conſtituit bellum aduerſus
Ptolæmeum regem Ægypti, & veritus eſt Ptolemæus à facie eius, & fugit, & ceci-
derunt vulnerati multi, 20. Et comprehendit ciuitates munitas in Terra Ægypti:
& accepit ſpolia Terræ Ægypti. 21. Et conuertit Antiochus, poſtquam percuſſit
Ægyptum in centeſimo & quadrageſimo tertio anno: & aſcendit ad Iſraël, 22. &
aſcendit Ieroſolymam in multitudine graui. 23. Et intrauit in ſanctificationem
cum ſuperbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & vniuerſa vaſa
eius, & menſam propoſitionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, &
velum, & coronas, & ornamentum aureum, quod in facie templi erat: & conti-
nuit omnia. 24. Et accepit argentum, & aurum, & vaſa concupiſcibilia: & ac-
cepit theſauros occultos, quos inuenit: & ſublatis omnibus abiit in terram ſuam.
25. Et fecit cædem hominum, & locutus eſt in ſuperbia magna. 26. Et factus
eſt planctus magnus in Iſraël, & in omni loco eorum: 27. & ingemuerunt princi-
pes, & ſeniores: virgines, & iuuenes infirmati ſunt: & ſpecioſitas mulierum im-
mutata eſt. 28. Omnis maritus ſumpſit lamentum: & quæ ſedebant in thoro ma-
ritali, lugebant: 29. & commota eſt terra ſuper habitantes in ea, & vniuerſa do-
mus Iacob induit confuſionem. 30. Et poſt duos annos dierum, miſit Rex prin-
cipem tributorum in ciuitates Iuda: & venit Ieruſalem cum turba magna. 31. Et
locutus eſt ad eos verba pacifica in dolo: & crediderunt ei. 32. Et irruit ſuper
ciuitatem repente, & percuſſit eam plaga magna, & perdidit populum multum
ex Iſraël. 33. Et accepit ſpolia ciuitatis: & ſuccendit eam igni, & deſtruxit do-
mos eius, & muros eius in circuitu: 34. & captiuas duxerunt mulieres: & na-
tos, & pecora poſſederunt. 35. Et ædificauerunt ciuitatem Dauid muro magno &
firmo, & turribus firmis, & facta eſt illis in arcem: 36. & poſuerunt illic gentem
peccatricem, viros iniquos, & conualuerunt in ea: & poſuerunt arma, & eſcas,
& congregauerunt ſpolia Ieruſalem; 37. & repoſuerunt illic, & facti ſunt in la-
queum magnum. 38. Et factum eſt hoc ad inſidias ſanctificationi, & in diabo-
lum malum in Iſraël: 39. & effuderunt ſanguinem innocentem per circuitum
ſanctificationis, & contaminauerunt ſanctificationem. 40. Et fugerunt habita-
tores Ieruſalem propter eos, & facta eſt habitatio exterorum, & facta eſt extera ſe-
mini ſuo, & nati eius reliquerunt eam. 41. Sanctificatio eius deſolata eſt ſicut ſo-
litudo, dies feſti eius conuerſi ſunt in luctum, ſabbata eius in opprobrium, hono-
res eius in nihilum. 42. Secundùm gloriam eius multiplicata eſt ignominia eius:
& ſublimitas eius conuerſa eſt in luctum. 43. Et ſcripſit rex Antiochus omni reg-
no ſuo, vt eſſet omnis populus, vnus: & relinqueret vnuſquiſque legem ſuam.
44. Et conſenſerunt omnes Gentes ſecundùm verbum regis Antiochi: 45. &
multi ex Iſraël conſenſerunt ſeruituti eius, & ſacrificauerunt idolis, & coinquina-
uerunt ſabbatum. 46. Et miſit Rex libros per manus nuntiorum in Ieruſalem, &
in omnes ciuitates Iuda: vt ſequerentur leges Gentium terræ: 47. & prohiberent
holocauſta, & ſacrificia, & placationes fieri in templo Dei: 48. & prohiberent
celebrari ſabbatum, & dies ſolemnes: 49. & iuſſit coinquinari ſancta, & ſan-
ctum

ctum populum Iſraël. 50. Et iuſſit ædificari aras, & templa, & idola, & immolari
carnes ſuillas, & pecora communia, 51. & relinquere filios ſuos incircumciſos,
& coinquinari animas eorum in omnibus immundis, & abominationibus, ita vt
obliuiſcerentur legem, & immutarent omnes iuſtificationes Dei. 52. Et qui-
cumque non feciſſent ſecundùm verbum regis Antiochi, morerentur. 53. Se-
cundùm omnia verba hæc ſcripſit omni regno ſuo: & præpoſuit principes populo,
qui hæc fieri cogerent. 54. Et iuſſerunt ciuitatibus Iuda ſacrificare. 55. Et con-
gregati ſunt multi de populo, ad eos qui dereliquerant legem Domini: & fecerunt
mala ſuper terram: 56. & effugauerunt populum Iſraël in abditis, & in abſcon-
ditis fugitiuorum locis. 57. Die quintadecima menſis Caſleu, quinto & qua-
drageſimo & centeſimo anno, ædificauit Rex Antiochus abominandum idolum
deſolationis ſuper altare Dei, & per vniuerſas ciuitates Iuda in circuitu ædificaue-
runt aras: 58. & ante ianuas domorum, & in plateis incendebant thura, & ſacri-
ficabant: 59. & libros legis Dei combuſſerunt igni, ſcindentes eos: 60. & apud
quemcumque inueniebantur libri teſtamenti Domini, & quicumque obſeruabat
legem Domini, ſecundum edictum regis trucidabant eum. 61. In virtute ſua
faciebant hæc populo Iſraël, qui inueniebatur in omni menſe & menſe in ciuitati-
bus. 62. Et quinta & vigeſima die menſis ſacrificabant ſuper aram, quæ erat
contra altare. 63. Et mulieres, quæ circumcidebant filios ſuos, trucidabunt
ſecundùm iuſſum regis Antiochi, 64. & ſuſpendebant pueros à ceruicibus per
vniuerſas domos eorum: & eos, qui circumciderant illos, trucidabant. 65. Et
multi de populo Iſraël definierunt apud ſe, vt non manducarent immunda: & ele-
gerunt magis mori, quàm cibis coinquinari immundis: 66. & noluerunt infrin-
gere legem Dei ſanctam, & trucidati ſunt: 67. & facta eſt ira magna ſuper popu-
lum valdè.

COMMENTARII.

1. *Alexander moriturus Regna ſua Ducibus diuidit.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Et factum eſt poſtquam percuſſit Alexander* à rerum geſtarum magnitudine dictus Magnus, *Philippi* filius *Macedo, qui primus regnauit in Græcia* tota: *egreſſus* anno ſecundo Regni ſui, *de terra Cethim*, ſeu de Occidentalibus inſulis, & regionibus maritimis, quales erant Græcia, Macedonia, Cyprus, Italia; poſtquam inquam percuſſit *Darium Regem Perſarum*, & Medorum: *conſtituit prælia multa*, ſeu frequenter cum hoſtibus conflixit: *& obtinuit omnium munitiones.* Cum nullo enim hoſte vnquam congreſſus eſt, quem non vicerit: nullam obſedit Vrbem, quam non expugnauerit: *& interfecit omnes Reges terræ.* * Nec enim ſe iudicauit perfectè victorem, ſi vel Rex viuus haud debellatus remaneret. Vt edoceamur, in præliis ſpiritus nos ſecutos non eſſe, donec omnia regnantia in nobis, mundo ſcilicet minori, vincamus.] *Et pertranſiit vſque ad fines terræ*, nam ad extrema Orientis, vſque ad Oceanum peruenit: *& accepit ſpolia multitudinis Gentium*, ſeu Gentium multorum: *Et ſiluit terra in conſpectu eius.* Mundus vniuerſus obmutuit, nemine auſo vel contrà hiſcere. *Et congregauit virtutem* ſeu milites fortes, *& exercitum* ex eis *fortem nimis* inſtruxit: *& exaltatum eſt, & eleuatum cor eius: & obtinuit regiones Gentium, & tyrannos, & facti ſunt illi in tributum.* Seu tributarij. * Tyrannos vocitarim Principes, qui nimiis tributis ſubditos diuexant. Qui quidem vindice Deo, & fortuna mutata tot tributis onerantur, vt dici poſſit factos eſſe non ſolum tributarios, ſed in ipſum tributum fuiſſe conuerſos.]

In præliis ſpiritus ſecuri nō ſumus, donec omnia vitia in nobis regnātia vincamus.

Qui nimiis tributis ſubditos onerāt, ipſi facti ſunt nimiùm tributarij.

Verſ. 6. 7. 8. 9. 10. *Et poſt hæc decidit in lectum.* * Quam ſtultus eſt, qui vel totius orbis ambit dominatum, ſi *poſt* eius conſecutionem inſtat lecti, & lethi decubitus.] *& cognouit, quia moreretur.* * Mirum planè, Regem Gentilem dignoſcere ſe mori, Si agnatum eſt cunctis fere Principibus, ſe immortales exiſtimare: ſi pietas vitæ non ſupprimat regalis animi elationem. *Et vocauit pueros ſuos nobiles*, ſeu Duces exercitus ſui Seleucum Ptolemæum, Antigonum, Aridæum, & alios (de quibus Dani. 7. 6.) *qui ſecum erant nutriti à iuuentute; & diuiſit illis Regnum ſuum, cum adhuc viueret.* Non legauit illis Regni portiones per teſtamentum implendum per Perdiccam, vel alios, (vt nonnulli volunt) ſed per ſe cum adhuc eſſet ſuperſtes. * Edocens eos, qui expetunt, ſuam vltimam voluntatem ſtabiliri, eius executionem, ſi poſſint, haud teſtamentariis relinquere: ſed dum viuunt, exequi. Quotidie enim vides, quàm rarò à teſtamentariis, quàm nunquam ab hæredibus vltimæ voluntates perfectè impleantur.] *Et regnauit Alexander annis duodecim, & mortuus eſt*, ætatis ſuæ trigeſimo ſecundo anno cum octo aliis menſis Veneno, aut crapula in lectum decidiſſe, aliqui ſcribunt. De veneno non repugnarim, magnis enim viris inſidias inuidia collocat. * De crapula negarim omnino. Nec enim *Magnus* à cunctis vocaretur, ſi vitio tam vili ſe paruum oſtentaret. Homuncionum enim eſt crapulæ indulgere.] *Et obtinuerunt pueri eius Regnum, vnuſquiſque in loco ſuo* iuxta Alexandri diuiſionem. *Et impoſuerunt omnes ſibi diademata poſt mortem eius: & filij eorum poſt eos annis multis; & multiplicata ſunt mala in terra.* Multis enim bellis colliſerunt ſe Alexandri ſucceſſores, vnde magnis cladibus affecti ſunt populi. * Profectò bellum antonomaſticè poteſt *malum* appellari. Vndè appoſitè Textus, vt exponeret bella fuiſſe excitata, dixit. *Multiplicata ſunt mala.*]

Quid prodeſt ubi totius mundi dominatio, ſi poſt eam inſtat lecti, & lethi decubitus.

Mirum eſt, Regē ſe mori cognoſcere.

Qui cupit, ſuam vltimā voluntatem ſtabiliri, dum viuit eā tradat executioni.

Homuncionum eſt ebrietatis vitium.

Bellum per antonomaſiā Malū appellatur.

Verſ.

Verſ. 11.12.13.14. *Et exiit ex eis radix peccatrix Antiochus illuſtris, &c.* Ex eis Alexandri pueris ſeu principibus iam Regibus, puta ex Seleuco eiuſque poſteris exiit tandem radix vna peſſima peſſimorúmq; fructuum mater, & nutrix, nempe Antiochus cognomento *Illuſtris* à rerum geſtarum gloria ſic dictus. Sed bellicam gloriam fœdè obſcurauit inſanus in Deum Deique cultores furor, ſordidæque ſcortationes. Vnde paſſim ſe appellari *Inſanus* audiebat. * Morum enim corruptio præclara Regum facinora deuenuſtat.] Hic aliquandò pro Antiocho Magno patre ſuo à Scipione in Aſia deuicto obſes Romæ fuerat : ſed morte fratris ſui Seleuci Philopatoris comperta, Roma in Syriam profugit, vti Daniel cap. 11. 21. prædixerat. Ibi regnare cœpit anno 137. Regni Græcorum in Syria. *In diebus illis exierunt ex Iſrael, &c.* Eo tempore Iſraëlitæ degeneres exierunt, ſeu ſeparati ſunt ex probis & veris Iſraël filiis, & inter hos etiam ipſe Ieſus Oniæ ſummi Pontificis frater, qui Gentile nomen *Iaſonis* accepit, homo ambitioſiſſimus. Item Menelaus, Alcimus, Simon, & alij, multis perſuadere curarunt, vt cum Gentilibus pactum, ſeu fœdus innouarent, à quibus incommodo magno receſſerant. *Et bonus viſus eſt ſermo in oculis eorum.* Hoc eſt, quod Ieſus, & alij propoſuerant, approbarunt. * Igitur Ieſus ſummi Præſulis frater eò iniquitatis deuenit, vt Ieſu deſpecto nomine, nomen ſibi Gentilicum ac mores aptauit. Preme verbum *Exierunt.* Exiuit Ieſus, id eſt Ieſuita à ſocietate exiuit? Mirum erit, ſi Gentilicum nomen & mores non aſſumat.] *Et deſtinauerunt aliquis de populo, &c.* Aſſignati ſunt à Ieſu, & aliis conturbatoribus nuncij, qui Regi Gentili illorum Iſraëlitarum ſtudium exprimerent. Rex verò eis poteſtatem fecit, vt Ethnicos ritus, & mores impunè poſſent, imo cum laude ſuſcipere, & in Iudæam inducere.

Regum præclara geſta morum corruptio deuenuſtat.

Qui è Societate Ieſu exeunt, ſæpè vitiis in ſeculo inficiũtur.

Verſ. 15.16.17. *Et ædificauerunt gymnaſium in Ieroſolymis ſecundum leges nationum,* ſeu iuxta morem Gentilium : vbi iuuenes exercebantur non ſolu arcu, ſaltu, curſu, lucta, vt quidam affirmant : nec in ſolis profanis, ac ſuperſtitioſis litteris, vt alij volunt : ſed inſuper etiam in impuris omne genus libidinibus. * Vnde colliges virorum, ac ſenum illius gentis perditiſſimos mores, qui non ex corruptæ naturæ inclinatione ſolum, ſed ex malitiæ magiſterio prodiere.] *Et fecerunt ſibi præputia,* pellem paulatim attrahentes, qua glans antè ex circumciſione nudata rurſus tegeretur. Quod Paulus 1. Cor. 7. 18. vocat *adducere præputium.* Id enim adductione, ſeu attractione, certiſque medicamentis ſenſim reduci poſſe, docet Celſus lib. 7. cap. 25. & alij. *Et receſſerant à teſtamento ſancto, & iuncti ſunt nationibus,* ſeu Gentilibus, *& venumdati ſunt, vt facerent malum,* à concupiſcentia ſua commodi, & honoris quaſi pretio traditi ſunt ſuperſtitioni, & ſceleri, factique ſunt eius mancipia. * Quicumque enim iniquitati adhæret, vltroneus ſe tradit ſeruituti.] *Et paratum eſt Regnum in conſpectu Antiochi, & cœpit regnare in terra Ægypti, vt regnaret ſuper duo Regna.* In Græco eſt, *ὑπέλαβε cogitauit, affectauit* ſuper Syriam, & Ægyptum imperare.]

Corruptiſſimi virorum ac ſenũ mores, qui ex corrupta iuuentute procedunt.

Peccati ſeruitus.

Verſ. 18.19.20. *Et intrauit in Ægyptum in multitudine graui,* ſeu cum ingentibus copiis, *in curribus, & elephantis, & equitibus, & copioſa nauium multitudine. Et conſtituit bellum aduerſus Ptolemæum Regem Ægypti : & veritus eſt Ptolemæus à facie eius,* ſeu timuit Antiochum : *& fugit, & ceciderunt vulnerati multi.* Hæc fuit ſecunda Antiochi in Ægyptum expeditio. De priore habes 2. Mach. 4. 21. quæ ſuſcepta videtur anno ſecundo Regni eius : poſterior autem anno ſexto, nempe centeſimo quadrageſimo ſecundo anno Regni Græcorum. *Et comprehendit Ciuitates munitas in terra Ægypti, & accepit ſpolia terra Ægypti.*

Verſ. 21.22.23.24. *Et conuertit Antiochus,* 2.
&c. Et reuerſus eſt Antiochus ex debellata Ægypto, vt Iſraëlem debellaret, centeſimo quadrageſimo tertio anno Regni Græcorum. *Et aſcendit Ieroſolymam in multitudine graui :* & intrauit in *ſanctificationem,* ſeu in Templum, *cum ſuperbia.* * Quis enim niſi ſuperbi diaboli æmulator auderet Templo iniuriam inferre?] *Et recepit altare aureum, & candelabrum luminis, & vniuerſa vaſa eius,* id eſt, ipſius candelabri inſtrumenta, nempe forcipes, quibus lucernæ emungebantur : patellas, in quibus excipiebantur emuncta. *& menſam propoſitionis, &c.* Video hîc fieri mentionem veli, & ornamenti aurei, quod in Templi facie aderat. Porrò *velum* intelligo, quod antè ſanctum ſanctorum erat oppanſum : *Ornamentum* vero *aureum* velum primum, quod antè eam partem Templi, quæ dicitur *Sanctum* pendebat. Duo namque vela pependiſſe in Templo paret 1. Mach. 4. 51. vbi legimus, *Poſuerunt ſuper menſam panes, & appenderunt vela.* Et Paulus Hebr. 9. 3. *Poſt velamentum,* ait, *ſecundum Tabernaculum, quod dicitur ſancta ſanctorum.* Coronæ autem aureæ erant illæ, quibus Templi poſtes ornari ſolebant, de quo habes infrà cap. 4. *Ornauerunt faciem Templi coronis aureis. Et* prætereà *accepit* tyrannus ille *argentum, & aurum, & vaſa concupiſcibilia,* id eſt, pretioſa, *& accepit theſauros occultos, quos inuenit* auara quidem diligentia adhibita : *& ſublatis omnibus abiit in terram ſuam.*

Antiochus in Iudæam aſcendit, Templum diripit.

Diabolicum eſt, Templo iniuriam inferre.

Verſ. 25.26.27.28.29. *Et facit cædem hominum, &c.* Non ſolùm ciues cecidit, ſed eos conuitiis lacerauit. * Porrò poſt verbum illud, fecit cædem, creſcente oratione, addidit, *& locutus eſt ſuperbiam.* Dirius etenim conuitiorum, quam gladij vulnus.] *Et factus eſt planctus magnus in Iſrael, & in omni loco eorum,* ſeu in omni Iudaica ditione. *Et ingemuerunt Principes, & ſeniores : virgines, & iuuenes infirmati ſunt,* ſeu animo fuere deiecti : *& ſpecioſitas mulierum immutata eſt.* * Pulchritudo enim præſtantior fœminea eſt flos, quem vel tenuis Aquilonis flatus minimè toueretur.] *Omnis maritus,* ſeu ſponſus, *ſumpſit lamentum, & ſponſæ, quæ ſedebant in thoro maritali,* haud potentes ex mœrore ſurgere, *lugebant : & commota eſt terra ſuper habitantes in ea :* conturbata eſt omnis Iudæa, & repleta mœrore propter ſæuitiam, quæ in incolas exercebatur ; *& vniuerſa domus Iacob induit confuſionem,* ſeu valde eſt afflicta, & conturbata.

Dirius vulnus conuitij, quam gladij.

Pulchritudo fœminea flos eſt, qui facilè immutatur.

Verſ. 30.31.32.33.34. *Et poſt duos annos dierum,* id eſt, poſt duos plenos annos, ita vt dies nulli defuerint, licet aliquot ſuperfuerint

fuerint: *miſit Rex Antiochus Principem tributorum*, ſeu exigendis tributis præpoſitum quæſtorem Apollonium, *in Ciuitates Iuda*, ad expilandum de nouo Iudæos, imò ad iugulandos.

Nimia tributorum exactio ciuium eſt iugulum.

* Et quando, quæſo, nimia tributorum exactio ciues non iugulat, inopia ſcilicet affectos extrema?] *Et venit Ieruſalem cum turba magna* militum. *Et locutus eſt ad eos verba pacifica in dolo: & crediderunt ei.*

Demens eſt, qui blandis verbis inimici fidit.

* O quàm demens, qui blandis inimici verbis fidem præſtat.] *Et irruit ſuper Ciuitatem repentè, & percuſſit eam plaga magna, & perdidit populum multum ex Iſrael. Et accepit* ſpolia Ciuitatis: *& expilatam ſuccendit eam igni: & deſtruxit domus eius, & muros eius in circuitu*, ne ſeruirent pro munitione Iudæis: *& captiuas duxerunt mulieres, & natos: & pecora poſſederunt.*

Verſ. 35.36.37.38.39. *Et ædificauerunt Ciuitatem, &c.* Munierunt arcem Sion, quæ Ciuitati Ieroſolymæ quaſi caſtrum imminebat, & ex ipſa toti Vrbi dominabantur. *Et poſuerunt illic gentem peccatricem, viros iniquos, & conualuerunt in ea.* Milites præſidiarios vocitat *gentem peccatricem, & viros iniquos.*

Militaris vita vitiis obnoxia.

* Quia militare exercitium milites plures ſic ad patranda ſcelera agiles reddit, vt iuſtorum militum iniuria, vt vita vitiis ſcatens exprimatur, vulgariter dicas *Militis vita, Vida de ſoldado.*] *Et poſuerunt arma, & eſcas, &c.* Facti, inquam, ſunt in laqueum, vt inde captarent occaſionem, Iudæos comprehendendi, ſeu venandi, ſi qui Templum adirent, ad deplorandas calamitates ſuas, & auxilium à Domino poſtulandum.

Oratio, & Templũ eſt afflictorum ſolatium.

* Oratio enim eſt vnicum afflictorum leuamen, Templum perſecutione, aut tribulatione affectorum aſyllum.] Vnde illi præſidiarij milites ſi quos deprehendebant ciues contendere ad Templum, ſubitò eruptione facta ex arce in ſanctuarium, malè omnes mulctabant. Ideò adiicitur, factum hoc eſſe *in diabolum malum*, id eſt, in hoſtem perpetuò ac vigilanter intentum, & excubantem ad nocendum.

Qui proximo nocere ſtudet, diabolus aptè vocitatur.

* Certè qui ad nocendum aliis vtitur inſidiis, diabolus meritò appellatur. Vnde Dominus de Iuda, qui quærebat opportunitatem Magiſtrum tradendi, dixit, *Vnus veſtrum diabolus* eſt.] *Et effuderunt ſanguinem innocentem, &c.* id eſt, profundentes ſanguinem eorum qui Templum adibant, illud profanarunt, ac violarunt.

Spiritualia exercitia haud facilè relinquenda.

* Commendabilis admodum eſt illorum deuotio, quos tantum periculum non deterrebat, quominus ad Templum ſacrificaturi properarent. Vnde pudere debet eos, qui per leuis incommodi metu ſpiritualia exercitamenta relinquunt.]

Verſ. 40.41.42. *Et fugerunt habitatores Ieruſalem, &c.* Facta eſt Ieroſolyma aliena indigenis, & ab exteris poſſeſſa: extera ſuis, & ſua alienis. *Sanctificatio eius deſolata eſt ſicut ſolitudo, dies feſti eius conuerſi ſunt in luctum, Sabbata eius in opprobrium, honores eius in nihilum.* Succeſſit honori priſtino contemptus, & villipendium. *Secundum gloriam eius multiplicata eſt ignominia eius, &c.* Quanta prius fuerat gloria eius, tanta, & fortaſse maior fuit ignominia.

Plus deiicit ignominia, quam honor effert.

* Fortaſsè inquam maior. Quia plus deiicit Ignominia, quam honor effert.]

Verſ. 43.44.45.46.47.48.49. *Et ſcripſit Rex Antiochus, &c.* Lege ſcripta mandauit Rex, ſuis omnibus ſubditis, vt religionem vnam cuncti profiterentur, & proinde patria religione relicta, eam, quam Antiochus ſectabatur, profiterentur. *Et conſenſerunt omnes Gentes, &c.* ſeu illud profanauerunt, non obſeruantes. *Et miſit Rex libros* diplomata regia, decreta, edicta *per manus nunciorum in Ieruſalem, &c. & prohiberentur holocauſta, & ſacrificia. placationes,* (ſeu ſacrificia ad Deum placandum, quale peculiariter erat illud, quod pro peccato offerebatur Num. 5.8. vbi *placabilis hoſtia* vocitatur.) *fieri in Templo Dei. Et prohiberent celebrari Sabbatum, & dies ſolemnes: & iuſſit coinquinari ſancta, & ſanctum populum Iſrael.* Sancta præcipit profanari rebus contrariis Templi ſanctitati, quas ſequenti verſiculo enumerat.

Verſ. 50. 51. 52. 53. 54. *Et iuſſit ædificari aras, & Templa*, ſeu delubra aut lucos in idolorum honorem. *Et idola*, Græcè [illegible], ſeu loca ad idolorum cultum deſtinata: *& immolari carnes ſuillas, & pecora communia*, id eſt, immunda. (ſic Petrus in viſu Actionem 10. 14. *Quia nunquam manducaui omne & immundum.*) *& relinquere filios ſuos incircumciſos, & coinquinari animas eorum in omnibus immundis, & abominationibus.* Abominationes vocat cibos à lege prohibitos, vel idola, vt etiam ea vocat Exechiel cap. 7. 20. *ità vt obliuiſcerentur legem, & immutarent omnem iuſtificationem Dei*, ſeu præcepta, & inſtituta.

Actiones cõtra legẽ iteratæ faciunt hominẽ exlegem.

* Actiones contra legis præſcripta ſæpè iteratæ faciunt hominem legis obliuiſci, & exlegem omnino conſtituunt.] *Et quicumque, &c.* Conſtituit inſpectores, qui obſeruarent, an regia edicta ſeruarentur, & Iudæos ad obediendum eis cogerent. *Et iuſſerunt Ciuitatibus Iuda ſacrificare* idolis. In Græco eſt, *Iuſſerunt, vt in ſingulis Ciuitatibus Iuda* ſimulacris *ſacrificaretur.*

Verſ. 55. 56. 57. 58. 59. 60. *Et congregati ſunt multi de populo ad eos, &c.* Multi de Iudaico populo quotidie accedebant ad numerum apoſtatarum, qui iam ante declinarant à Fide, nempè ad Iaſonem, Menelaum, &c.

Potens eſt Principũ exẽplum ad inferiores adducendum in ſcelera.

* Eu quam validum ſit Procerum exemplum ad inferiores adducendum in ſcelera.] *Et effugauerunt populum Iſrael in abditis, &c.* Metu enim tormentorum, & mortis qui volebant legem patriam tueri ad loca deſerta fugiebant, ſeque occultabant in antris & ſpecubus, queis Iudæa abundat.

Qui timet, à tentatione ſuperari, occaſionem tẽtationis fugiat.

* Qui timet à tentamine ſuperari, fugiat tentaminis occaſionem.] *Die quinta decima menſis Caſleu, quinto, &c.* Decima quinta die menſis Caſleu, qui noſtro Nouembri reſpondet, centeſimo quadrageſimo quinto anno Regni Græcorum: Antiochus erexit in altari holocauſtorum abominandum Iouis Olimpij ſimulacrum, idolum inquam *deſolationis*,

Deſolatio eos ſequitur qui Templa violant.

Quia profanari, Templum Dei, altare violari, idem eſt quòd populum affici deſolatione. Ciues enim Templi violatores miſerè aſſolent deperire, Deo propriam iniuriam vindicante.] *Et antè ianuas domorum, & in plateis incendebant thura, & ſacrificabant* idolis. *Et libros legis Dei combuſſerunt igni, ſcindentes eos. Et apud quemcumque inueniebantur libri teſtamenti Domini, & quicumque obſeruabat legem Domini, ſecundum edictum Regis trucidabant eum.*

Lectio libri ſacri animo addit conſtãtiam, ad fidẽ tuendam. & tẽtamina ſuperanda.

* Illa pondera: *Apud quemcunque, &c. quicumque obſeruabat legem, &c.* Ille equidem obſeruabat legem, qui librum teſtamenti Domini apud

R.P. Am. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. to. VII. p. 2.

ſe retinebat. Sacrorum enim ſibrorum lectio animum roborat ad tuendam fidem, & ad tentamina quæque ſuperanda.]

Verſ. 61.61.63.64.65.66.67. *In virtute ſua faciebant hæc populo Iſrael:* ſic violenter & tyrannicè ſe cum Iſraëlitis gerebat Antiochus, *qui* populus *inueniebatur in omni menſe, & menſe in Ciuitatibus*, id eſt, qui Neomenias prima die cuiuſque menſis celebrare deprehendebatur ex legis diuinæ præſcripto. Si qui enim tunc feriarentur, vel ſactos conuentus agerent, ſubito ab impiis Antiochi miniſtris trucidabantur. *Et quinta & vigeſima die menſis ſacrificabant ſuper aram, &c.* Die vigeſima quinta cuiuſque menſis fideles Hebræi ſacrificium offerebant non ſuper altare Domini iam profanatum ſuperpoſito idolo: Sed ſuper nouam aram contrà ſeu ante altare Domini extitatam. *Et mulieres quæ circumcidebant filios ſuos, trucidabantur, &c.* Infantulos necabant, qui feliciter fuerant circumciſione ſancto populo addicti, & eorum cadauera (auream quidem catenam) de collo matrum ſuſpendebant vt patet ex lib. 2. cap. 6. 10. * Nullum quidem matris auguſtius ornamentum, quam filium ſuperis peperiſſe. Vndè filij, qui recens nati poſt ſacram vndam acceptam obeuntes non lacrymis, ſed iubilis parentum ſunt proſequendi.] *Et multi de populo Iſrael definierunt apud ſe, &c.* Ingens itaque afflictio ex diuina indignatione iam olim ob populi ſcelera concepta, effuſa eſt, & totam Iudæam inundauit.

Nihil auguſtius matri, quam filium cœlo peperiſſe.

CAPVT II.

Mathathias Sacerdos & filij eius Eccleſiæ protectores exurgunt. Iudas poſt patris obitum Dux ſancti exercitus declaratur.

1. IN diebus illis ſurrexit Mathathias filius Ioannis, filij Simeo-
nis, Sacerdos ex filiis Ioarib ab Ieruſalem, & conſedit in
monte Modin: 2. & habebat filios quinque, Ioannem, qui
cognominabatur Gaddis: 3. & Simonem, qui cognomi-
nabatur Thaſi: 4. & Iudam, qui vocabatur Machabæus:
5. & Eleazarum, qui cognominabatur Abaron: & Ionathan,
qui cognominabatur Apphus. 6. Hi viderunt mala, quæ
fiebant in populo Iuda, & in Ieruſalem. 7. Et dixit Mathathias: Væ mihi, vt
quid natus ſum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis ſanctæ,
& ſedere illic, cùm datur in manibus inimicorum? 8. Sancta in manu extra-
neorum facta ſunt: templum eius ſicut homo ignobilis. 9. Vaſa gloriæ eius
captiua abducta ſunt: trucidati ſunt ſenes eius in plateis, & iuuenes eius cecide-
runt in gladio inimicorum. 10. Quæ gens non hereditauit regnum eius, & non
obtinuit ſpolia eius? 11. Omnis compoſitio eius ablata eſt. Quæ erat libera, fa-
cta eſt ancilla. 12. Et ecce ſancta noſtra, & pulchritudo noſtra, & claritas no-
ſtra deſolata eſt, & coinquinauerunt ea Gentes. 13. Quò ergo nobis adhuc, vi-
uere? 14. Et ſcidit veſtimenta ſua Mathatias, & filij eius: & operuerunt ſe cili-
ciis, & planxerunt valdè. 15. Et venerunt illuc qui miſi erant à rege Antiocho,
vt cogerent eos, qui confugerant in ciuitatem Modin, immolare, & accen-
dere thura, & à lege Dei diſcedere. 16. Et multi de populo Iſraël conſentien-
tes acceſſerunt ad eos: ſed Mathathias, & filij eius conſtanter ſteterunt. 17. Et
reſpondentes qui miſſi erant ab Antiocho, dixerunt Mathathiæ: Princeps &
clariſſimus & magnus es in hac ciuitate, & ornatus filiis & fratribus. 18. ergo
accede prior, & fac iuſſum regis, ſicut fecerunt omnes Gentes, & viri Iuda, &
qui remanſerunt in Ieruſalem: & eris tu, & filij tui, inter amicos regis, & am-
plificatus auro & argento, & muneribus multis. 19. Et reſpondit Mathathias,
& dixit magna voce: Et ſi omnes Gentes regi Antiocho obediunt, vt diſcedat vnuſ-
quiſque à ſeruitute legis patrum ſuorum, & conſentiat mandatis eius: 20. ego, &
filij mei, & fratres mei, obediemus legi patrum noſtrorum. 21. propitius ſit no-
bis Deus: non eſt nobis vtile relinquere legem & iuſtitias Dei: 22. non audie-
mus verba regis Antiochi, nec ſacrificabimus tranſgredientes legis noſtræ man-
data, vt eamus altera via. 23. Et vt ceſſauit loqui verba hæc, acceſſit quidam
Iudæus in omnium oculis ſacrificare idolis ſuper aram in ciuitate Modin, ſecun-
dùm iuſſum regis: 24. & vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes
eius, & accenſus eſt furor eius ſecundùm iudicium legis, & inſiliens trucidauit
eum ſuper aram: 25. ſed & virum, quem rex Antiochus miſerat, qui cogebat

immolare,

immolare, occidit in ipſo tempore, & aram deſtruxit, 26. & zelatus eſt legem,
ſicut fecit Phinees Zamri filio Salomi. 27. Et exclamauit Mathathias voce
magna in ciuitate, dicens: Omnis, qui zelum habet legis ſtatuens teſtamentum,
exeat poſt me. 28. Et fugit ipſe, & filij eius in montes, & reliquerunt quæcumque
habebant in ciuitate. 29. Tunc deſcenderunt multi quærentes iudicium, & iuſti-
tiam, in deſertum: 30. & ſederunt ibi ipſi, & filij eorum, & mulieres eorum, &
pecora eorum: quoniam inundauerunt ſuper eos mala. 31. Et renuntiatum eſt vi-
ris regis, & exercitui, qui erat in Ieruſalem ciuitate Dauid, quoniam diſceſſiſſent vi-
ri quidam, qui diſſipauerunt mandatum regis, in loca occulta in deſerto, & abiiſ-
ſent poſt illos multi. 32. Et ſtatim perrexerunt ad eos, & conſtituerunt aduerſus
eos prælium in die Sabbatorum, 33. & dixerunt ad eos: Reſiſtitis & nunc adhuc?
exite, & facite ſecundùm verbum regis Antiochi, & viuetis. 34. Et dixerunt:
Non exibimus, neque faciemus verbum regis, vt polluamus diem Sabbatorum.
35. Et concitauerunt aduerſus eos prælium. 36. Et non reſponderunt eis, nec la-
pidem miſerunt in eos: nec oppilauerunt loca occulta. 37. dicentes: Moriamur
omnes in ſimplicitate noſtra: & teſtes erunt ſuper nos cælum, & terra, quòd iniu-
ſtè perditis nos. 38. Et intulerunt illis bellum Sabbatis: & mortui ſunt ipſi, & vxo-
res eorum, & filij eorum, & pecora eorum, vſque ad mille animas hominum.
39. Et cognouit Mathathias, & amici eius, & luctum habuerunt ſuper eos valdè.
40. Et dixit vir proximo ſuo: Si omnes fecerimus ſicut fratres noſtri fecerunt, &
non pugnauerimus aduerſus gentes pro animabus, noſtris, & iuſtificationibus no-
ſtris: nunc citiùs diſperdent nos à terra, 41. Et cogitauerunt in die illa, dicentes:
Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die Sabbatorum, pugnemus ad-
uerſus eum: & non moriemur omnes, ſicut mortui ſunt fratres noſtri in occultis.
42. Tunc congregata eſt ad eos ſynagoga Aſſidæorum fortis viribus ex Iſraël, om-
nis voluntarius in lege: 43. & omnes, qui fugiebant à malis, additi ſunt ad eos, &
facti ſunt illis ad firmamentum. 44. Et collegerunt exercitum, & percuſſerunt
peccatores in ira ſua, & viros iniquos in indignatione ſua: & cæteri fugerunt ad na-
tiones, vt euaderent. 45. Et circuiuit Mathathias, & amici eius, & deſtruxe-
runt aras: 46. & circumciderunt pueros incircumciſos quotquot inuenerunt in
finibus Iſraël: & in fortitudine. 47. Et perſecuti ſunt filios ſuperbiæ, & proſpe-
ratum eſt opus in manibus eorum: 48. & obtinuerunt legem de manibus gen-
tium, & de manibus regum: & non dederunt cornu peccatori. 49. Et appro-
pinquauerunt dies Mathathiæ moriendi, & dixit filiis ſuis: Nunc confortata eſt ſu-
perbia, & caſtigatio, & tempus euerſionis, & ira indignationis. 50. Nunc ergo,
ô filij, æmulatores eſtote legis, & date animas veſtras pro teſtamento patrum ve-
ſtrorum. 51. & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus
ſuis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum. 52. Abraham nónne in
tentatione inuentus eſt fidelis, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam; 53. Ioſeph in
tempore anguſtiæ ſuæ cuſtodiuit mandatum, & factus eſt dominus Ægypti.
54. Phinees pater noſter, zelando zelum Dei, accepit teſtamentum ſacerdotij
æterni. 55. Ieſus dùm impleuit verbum factus eſt dux in Iſraël. 56. Caleb,
dum teſtificatur in eccleſia, accepit hereditatem. 57. Dauid in ſua miſericordia
conſecutus eſt ſedem regni in ſæcula. 58. Elias, dum zelat zelum legis, receptus
eſt in cælum. 59. Ananias & Azarias & Miſael credentes, liberati ſunt de flam-
ma. 60. Daniel in ſua ſimplicitate liberatus eſt de ore leonum. 61. Et ita co-
gitate per generationem & generationem: quia omnes qui ſperant in eum, non
infirmantur. 62. Et à verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius, ſtercus
& vermis eſt, 63. hodie extollitur & cras non inuenietur: quia conuerſus eſt in
terram ſuam, & cogitatio eius periit. 64. Vos ergo filij confortamini, & viriliter
agite in lege: quia in ipſa glorioſi eritis. 65. Et ecce Simon frater veſter, ſcio quod
vir conſilij eſt: ipſum audite ſemper, & ipſe erit vobis pater. 66. Et Iudas Ma-
chabæus fortis viribus à iuuentute ſua, ſit vobis princeps militiæ, & ipſe aget bel-
lum populi. 67. Et adducetis ad vos omnes factores legis: & vindicate vindictam
populi veſtri. 68. Retribuite retributionem Gentibus, & intendite in præceptum
legis. 69. Et benedixit eos, & appoſitus eſt ad patres ſuos. 70. Et defunctus eſt
anno centeſimo & quadrageſimo ſexto: & ſepultus eſt à filiis ſuis in ſepulcbris pa-
trum ſuorum in Modin, & planxerunt eum omnis Iſraël planctu magno.

COMMENTARII.

Mathathias, & filij eius Eccleſia pro teſtores exurgunt.

1. VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *In illo tempore ſurrexit. Mathathias filius Ioannis filij Simeonis, Sacerdos ex filijs Ioarib*, (cuius ſors prima exiit tempore Dauid 1. *Paral.* 24. 7. Fuitque prima in viginti quatuor vicibus, quæ omnes erant de filiis Aaron.) *ab Ieruſalem*, nectendum cum verbo *ſurrexit*, id eſt Mathathias Ieroſolyma diſceſſit: *& conſedit in monte Modin*, Iudææ Ciuitate in Tribu Dan ſita, ſed in antiqua diſtributione finibus Tribus Iudæ continebatur. *Et habebat filios quinque, Ioannem, &c.* Mathathias idem eſt ac Dorothæus, ſiue *donum. Dei* Magno enim Dei dono in tanto religionis diſcrimine Iudæis donatus. * Vir enim, qui zelo religionis ſuccenſus eius iura protegit, magnum quidem eſt ex cæleſti munificentia donum.] Summum Sacerdotem fuiſſe Mathathiam non ſola electione, ſed & ſucceſſionis iure, probabilius exiſtimo. In Rituali enim Hebræorum & à Chaldæo Paraphraſte & à Rabinis Kimhi, Abeneſra, Ioſepho Gorionide, & aliis paſſim *ſummus* Sacerdos, vel *Pontifex* vocatur. Hic ergo zelo Dei plenus, non ferens impij tyranni nequitiam, occiſo Ieroſolymis ex Antiochi præfectis Bacchide, ex ea vrbe aufugit, & conceſſit in Modin, ſeu Vrbem, (vt dixi) ſeu (vt aliis exiſtimant) oppidulum monti inædificatum.

Vir zelo religionis accenſus magnum eſt ex Dei munificencia donum.

Verſ. 7. 8. 9. 10. 11. 15. 13. 14. *Et dixit Mathathias: Væ mihi, vt quid natus ſum, videre contritionem*, ſeu vaſtationem (dicta eſt metaphora à vaſis fictilibus) *populi mei, & contritionem Ciuitatis ſanctæ: & ſedere illic, cum datur in manibus inimicorum? Sancta* (Sanctuarium) *in manu* (poteſtate) *extraneorum facta ſunt: Templum eius ſicut homo ignobilis* contemptibile ac vile ab infidelibus reputatur. *Vaſa gloria eius captiua abducta ſunt.* Vaſa glorioſa vocitatur pretioſa auri & argenti ſacra ſupellex, de cuius pulchritudine ſolebat gloriari Ieroſolyma. * Sic Ezechiel cap. 23. 26. *Vaſa gloriæ tuæ*, in Græco, *glorationis*, ſiuè *iactantiæ*. Fidelis quiſque gloriari deberet, quod Templum vaſis pretioſis, perpulchris ornamentis abundaret.] *Trucidati ſunt ſenes eius in plateis, &c.* Gentiles quique pro libito in Iudæa, velut in paterna hereditate dominantur, aut cæſis, aut pulſis legitimis poſſeſſoribus; quod maximè pertinet ad Sionem, vbi cum præſidio aderant præfecti Regis, & ditam in fideles Iudæos tyrannidem exercebant. *Omnis compoſitio*, ſeu *ornatus eius ablata eſt, &c.* * Ac ſi diceret: ſi Templum Dei deſolatum intueor, cur non illico morior? Quaſi vita ſolummodò donemur, vt Deum ſacro in Templo colamus.] *Et ſcidit veſtimenta ſua Mathathias, & filij eius, &c.* Spontè ſuſcipiunt eam corporis afflictationem, vt diuinam indignationem in Iudæos ſæuientem mitigarent. * Pœnalia enim iuſtorum opera Deum admodum quantumcumque iratum ad miſerationem attrahunt.]

Fideles gloriari debent, quod Templum pretioſis ornamentis abundet.

Quaſi ſolùm donamur vita, vt Deum ſuo in Templo colamus.

Pœnalia iuſtorum opera Deum iratum ad miſerationem attrahunt.

Verſ. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. *Et venerunt illuc qui miſſi erant à Rege Antiocho, vt cogerent eos, qui confugerant in Ciuitatem Modin, immolare, & accendere thura idolis, & à lege Dei diſcedere. Et multi de populo Iſrael conſentientes acceſſerunt ad eos: ſed Mathathias, & filij eius conſtanter ſteterunt.* * Dum multi infirmitate decidunt, magis ſe egregiam conſtantis viri virtus oſtentat.] *Et reſpondentes, qui miſſi erant ab Antiocho, dixerunt Mathathiæ: Princeps & clariſſimus, & magnus es in hac Ciuitate, & ornatus filijs, & fratribus: ergo accede prior, & fac iuſſum Regis, ſicut fecerunt omnes Gentes, & viri Iuda, & qui remanſerunt in Ieruſalem: & eris tu, & filij tui inter amicos Regis, & amplificatus auro, & argento, & muneribus multis. Accede*, inquiunt, *prior, & fac iuſſum Regis.* Sciebant enim, facillime ſubditos peruertendos Præſulis debellata fide.] *Et reſpondit Mathathias, & dixit magna voce: Et ſi omnes Gentes Regi Antiocho obediunt* (pro obediant) *vt diſcedat vnuſquiſque à ſeruitute* (ſeu obſeruantia) *legis patrum ſuorum, & conſentiat mandatis eius: ego, & filij mei, & fratres mei obediemus legi patrum noſtrorum: propitius ſit nobis Deus*, ſeu faueat. Ita nos Deus ſeruet, quod non faciemus, quod iubetis. Liceat vulgari idiomate exponere. *Aſi nos guarde Dios, que no hemos de hacer lo que nos dices. Non enim eſt nobis vtile, relinquere legem, & iuſtitias* (idem ſignificat quod legem) *Dei: non audiemus verba Regis Antiochi, nec ſacrificabimus, tranſgredientes legis noſtra mandata, vt eamus altera via*, ſeu alteram religionem ſequamur. Græcè, *Vt eamus dextera, vel ſiniſtra*, vt aliqua ſcilicet parte à recta via aberremus, & à legitimo Dei cultu diſcedamus. * Preme illa: *Ego, & filij mei, & fratres mei obediamus legi patrum noſtrorum.* Quanam id ſecuritate Mathathias aſſeruit? An filiorum, & fratrum conſtans voluntas in eius aderat voluntate? Profectò ſenex filiorum, ac fratrum pietatem, quam didicerant à cunabulis nouerat: & prudenter adiudicabat fore, vt viriles actiones primæuæ illi diſciplinæ, de more, reſponderet.]

Inter infirmos plus viri conſtãtis virtus elucet.

Facilè ſubditi exemplũ Præſulis ſequuntur.

Viriles actiones primæuæ inſtitutioni reſpondent.

Verſ. 13. 14. 25. 26. *Et vt ceſſauit loqui verba hæc, &c. & vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes eius, & accenſus eſt furor eius, ſecundum iudicium legis, &c.* Fecit quidē hoc *ſecundum iudicium legis*, iuris publici auctoritate: erat enim ſummus Pontifex, & ſummus Reipublicæ Iudaicæ eo tempore Præfectus. * Eſt qui exiſtimet Iudæum hunc fortaſſe de induſtria è miniſtris Regis ſummiſſum fuiſſe ſacrificaturum; vt verbis miniſtri regij prauum Iudæi exemplum legis patriæ tenaces vehementius permoueret. Certè prauum exemplum fortiſſimum eſt ad alios in eandem impietatem adducendos.] *Sed & virum, quem Rex Antiochus miſerat, &c.* Hiſtoriam habes *Num.* 25. 13. Hoc etiam geſſit Mathathias *ſecundum iudicium*, ſeu decretum *legis* diuinæ. Nam Deut. 13. 6. iubet Deus, ſi aliquis aliquem abſtrahere velit à patria religione, ab ipſomet occidatur inquit D. Cyprianus.

Prauum exemplum fortiſſimum eſt ad alios in eandem impietatem adducendos.

Verſ. 27. 28. 29. 30. *Et exclamauit Mathathias voce magna in Ciuitate, dicens: Omnis, qui zelum habet legis, ſtatuens teſtamentum, veniat poſt me.* Omnis qui zelum habet procurandi, vt initum cum Deo religionis fœdus ſtet, vigeat, ac ſtabiliatur, mei æmulator veniat. *Et fugit ipſe, &c.* Eis etenim non egebant temporariis ſubſidiis. * Eos enim, qui

Dei

Omniam rerum abundātia ſequitur eos, qui Dei gloriæ promouendæ ſtudent. Qui piè cupit viuere fugiat impiorum ſocietatem.

Dei gloriæ promouendæ ſtudium impendunt, ſpiritualis,ac temporalis ſequitur abundantia.] *Tunc deſcenderunt multi quærentes iudicium,&c.* Hi quidem ſtudentes piè, ac ſanctè viuere, incolas ſe deſerti geſſere, ciues iam idololatriæ addictos deſerentes. * Inter idololatras enim ſocios difficilè fides ac pietas ſeruaretur. Qui piè cupit viuere, fugiat aſſeclas impietatis.]

Verſ. 31. 32.33.34. Et renuntiatum eſt viris Regis, &c. Renuntiatum eſt miniſtris Antiochi, & ducibus, qui præſidium in monte Sion collocarant, à pluribus Hebræis Regis præſcriptum fuiſſe violatum. *Et ſtatim perrexerunt ad eos, & conſtituerunt aduerſus eos prælium in die Sabbatorum.* Seu Sabbati die, quo Iudæi ab exercendis armis abſtinebant. Ea enim omnibus inſederat opinio, haud licere eo die, ne ad defenſionem quidem arma capeſſere, & hoſtibus repugnare; quæ ignoratio zelo legis ſeruandæ,eſt digna non ſolum excuſatione, ſed laude. *Et dixerunt ad eos: Reſiſtitis & nunc adhuc?* An licet vobis die Sabbati repugnare? *Exite, & facite ſecundum verbum Regis Antiochi, &c.* Non egrediemur ad certamen in die Sabbati: ſatiùs enim eſt nobis indefenſi mori,quam diei ſacri religionem polluere.

Verſ. 35.36.37. 38. Et concitauerunt aduerſus eos prælium.&c.nec oppilauerunt loca occulta, hoc eſt non curarunt antra, ad quæ ſe receperant, lapidibus occludi. *dicentes: Moriamur omnes in ſimplicitate,* ſeu innocentia *noſtra: & teſtes erunt ſuper nos cœlum, & terra, quod iniuſtè perditis nos. Et intulerunt illis bellum Sabbatis,* ſeu Sabbato: *& mortui ſunt ipſi, & vxores eorum, &c.* Quamuis igitur abſque peccato potuiſſent reſiſtere, & iniuſtam vim iuſta vi repellere. maluerunt tamen crudeli nece perire, quam Sabbati violatores, vel hoſtium opinione oſtentari. Quod cum ex religionis zelo & ſyncero in Deum eiuſque legis affectu feciſſe conſtet, non arguendi ſunt aut ſuperſtitionis, aut imprudentiæ, vt eos arguit Oſiander, aliique hæretici, ſed tanquam martyribus ſummæ laudi illis dandum, quod pro legis diuinæ cuſtodia voluerint grauiſſima quæque perpeti; & ſi fortè ſcirent, ſe tali occaſione, loco, ac tempore ad id non obligari: nam idem in Martyribus quotidie vſu venit. * Hinc collige, egregium planè facinus eſſe, te iniuria laceſſitum minimè ad vindictam aſſurgere, nec iniuriatori acriter reſpondere, etiam cum id licitè Iudicis ope gerere poſſes.]

Egregium facinus eſt, iniurianti parcere, etiā cum vindictam gerere pores.

Verſ. 39. 40. 41. Et cognouit Mathathias, & amici eius, & luctum habuerunt ſuper eos valdè, ſeu illorum mortem prolixo luctu fuére proſecuti. * Magnum enim fidelis communitatis incommodum eſt, viro, aut fœmina conſtanti, vel vna priuari: quid cum vna die tot periere ſæcula?] *Et dixit vir proximo ſuo: ſi omnes fecerimus, ſicut fratres noſtri fecerunt, & non pugnauerunt, & non pugnauerimus aduerſus Gentes pro animabus noſtris, & iuſtificationibus noſtris,* id eſt, pro vita, ac legibus noſtris: *nunc citius diſperdent nos à terra. Et cogitauerunt in die illa dicentes,&c.* Licet mille illi fideles laudabiliter extinctioni dederint ſe, vt Sabbati ius defenderent, ſe ab hoſtibus non defendendo: nihilominus prudenter, ac piè à Mathathia (penes quem vtpotè ſummum Præſulem ſacrum, poteſtas erat declarandi dubia, ſi quæ ocurrerent, vt dicitur *Deut. 17.*) fuit decretum, vt aduerſus inuaſores etiam Sabbato ſe defenderent: diuino opinor inſtinctu, ne ſtirpitus ea familia exſcinderetur, è qua Chriſtum Dominum in ſalutem totius humani generis naſci oportebat. * Vel ante aduentum Ieſu venturi reſpectus vitalis hominibus fuit.]

Vel vno viro conſtanti priuari, eſt graue communitatis incommodum.

Vel ante aduentum Ieſu venturi reſpectus vitalis fuit hominibus.

Verſ. 42. 43 44.45.46. Tunc congregata eſt ad eos Synagoga Aſſidæorum fortis viribus ex Iſraël, omnis voluntarius in lege. Aſſidæi vel idem fuere cum Eſſeis, qui olim *Cinæi*, & *Rechabitæ* dicebantur: robore erant illuſtres, & à probitate vitæ ſæpè à Ioſepho laudati. Omnes enim erant *voluntarij in lege*, id eſt, eorum voluntas prompta erat ad legem obſeruandam. *Et omnes, qui fugiebant à malis, additi ſunt ad eos, & facti ſunt illis ad firmamentum.* Et omnes Hebræi, qui à perſecutione & calamitate fugere conabantur, ad Mathathiam occurrerunt, & eius exercitum militum multitudine roborarunt: vel exercitus Mathathiæ, fuit magno præſidio iis, qui à perſecutionis diritate fugiebant. *Et collegerunt exercitum,&c.* Coacto exercitu, Mathathias zelo legis iratus contra apoſtatas, eos exitialiter percuſſit; quorum multi, vt euaderent vulnus ſe ad vicinas Gentes receperunt. * Aptè apoſtatæ vocantur *Peccatores*, (vt in libris Regum, & Prophetarum occurrunt exempla) quia plerumque videtis eos, qui aut à fide, aut à regulari vita recedunt, facilè vitiis inquinari] *Et circuiuit Mathathias, &c.* In Græco non eſt coniunctio *Et*, ſed tantum *in fortitudine*, id eſt, fortiter hæc omnia geſſere,

Qui à fide, aut à vita religioſa recedunt, facilè vitiis inquinantur.

Verſ. 47. 48. Et perſecuti ſunt filios ſuperbiæ, &c. Superbos populi Iſraëlitici hoſtes Gentiles ſunt perſecuti proſpero quidem ſucceſſu. *Et obtinuerunt legem de manibus Gentium, &c.* Tutati ſunt legem, & patrios ritus aduerſus vim & furorem Gentilium, & Regum tyrannorum. Et Antiocho, eiuſque ſequacibus non fuere Iudæi deinceps occaſio ſeu gloriæ, ſeu potentiæ amplioris: neque paſſi ſunt eos vlterius creſcere, cornua tollere, aut ferocire.

Verſ. 49. vſque ad 64. Et appropinquauerunt dies Mathathiæ moriendi, & dixit filiis ſuis. Nunc confortata eſt ſuperbia, & caſtigatio, & tempus euerſionis, & ira indignationis. Inualuiſſe, ô filij, videtis hoſtium ſuperbiam ad rerum noſtrarum euerſionem, id permittente Dei ira, & ad vindicandum populi ſcelera concitata. *Nunc ergo ô filij, æmulatores eſtote legis,* ſeu ſtudioſi zelatores: *& date animas veſtras pro teſtamento patrum veſtrorum*, ſeu pro legum auitarum cuſtodia vitam non cunctemini ferro exponere. *Et mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis,* ſeu ſuo æuo, cum eſſent in viuis. *Abraham nonne in tentatione* (cum ſcilicet Deus iuſſit ei filium immolare Gen. 22. 1.) *inuentus eſt fidelis, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam?* ſeu perfectæ iuſtitiæ laudem, & eximium meritum eſt conſecutus? *Ioſeph in tempore anguſtiæ ſuæ cuſtodiuit mandatum, & factus eſt Dominus Ægypti.* Ioſeph cum calumnia fuit vulneratus, & detruſus in carcerem legis cuſtos fidelis oſtenditur, neque enim voluit vxoris Phutipharis laſciniæ aſſentiri: ideoque Ægypti Prorex exurgit, quia libidinis ſe noluit mancipium addicere. Gen. 39. 9. *Phinees pater noſter Zelando zelum Dei accepit teſtamentum Sacerdotij*

æterni. Phinees Dei zelo exardeſcens, Iſraëlitam & Madianitidem impudicos pugione confodit Num. 25. 8. quare ei facta eſt promiſſio Sacerdotij in eius poſteris perpetuo permanſuri. * Caſtitatis aſſertor & protector aptè ad æternum Sacerdotium aſſumitur, cui agnata debet eſſe caſtitas.] *Ieſus, dum impleuit verbum, factus eſt Dux in Iſrael.* Ieſus Ioſue præceptum Dei impleuit transmeandi Iordanem, & terram occupandi promiſſam: & ideo Dux fuit Iſraëlitarum. Ioſ. 1. 2. *Caleb dum teſtificatur in Eccleſia, accepit hæreditatem.* Caleb populum Dei tunc Eccleſiam hortatus eſt, vt aggredi terram promiſſam auderent: ideoque accepit Vrbem Hebron, vt eam tanquam hæreditatem poſſideret. Ioſ. 14. 14. *Dauid in ſua miſericordia conſecutus eſt ſedem Regni in ſæcula.* Ob pietatem quam Dauid exercuit præſertim cum Saüle, vtriuſque Regni Hebræorum fuit æterna poſſeſſione donatus. *Elias dum zelat zelum legis, receptus eſt in cælum.* Elias legis diuinæ zelo accenſus Prophetas Baal [illegible]cidit, & contra idololatriam repugnauit (3 Reg. 18. 14.) ideoque fuit in par diſum tranſlatus. * Non dixit, zelauit legem, ſed *Zelans Zelum legis*: quaſi zelus ipſe legis ei eſſet lex in vberiorem legis tuendæ perfectionem.] *Ananias, & Azarias, & Miſael credentes, liberati ſunt de flamma.* Hiſtoriam habes apud Danielem cap. 3. *Daniel in ſua ſimplicitate*, ſeu propter ſynceritatem, & integritatem morum, *liberatus eſt de ore leonum.* Dan. 6. *Et ita cogitate per generationem, & generationem*, id eſt, per ſingulas ætates, quæ eiuſmodi exundant exemplis, *quia omnes, qui ſperant in eum, non infirmantur*, *viribus* non deficiunt, nec ſuccumbunt aduerſis. *Et à verbis viri peccatoris ne timueritis, &c.* Verba Antiochi & miniſtrorum eius minacia non vos terrore afficiant; citò enim in ſtercus, & vermem decident. * Aptiùs ne diceret à vulneribus Antiochi ne timueritis, quam *à verbis?* Certè viris ingenuis dirius eſt verbum contumeliæ, quam exitiale vulnus.] *Hodie extollitur Antiochus, & cras non inuenietur: quia conuerſus eſt in terram ſuam, & cogitatio eius periit.* Dirior hoſtis tandem ſoluetur in puluerem, è quo fuit formatus, & quæcumque machinabitur, in nihilum recident.

Sacerdotio agnata debet eſſe caſtitas.

Veris legis diuinæ zelatoribus zelus ipſe debet eſſe lex.

Dirius eſt viro ingenuo verbum contumeliæ, quam exitiale vulnus.

Verſ. 64. 65. 66. 67. 68. Vos ergò filij confortamini, & viriliter agite in lege: quia in ipſa glorioſi eritis. * Non vult eos gloriam quærere, id enim vanitatis eſt, & ſanctis viris indignum, ſed eam ſecuturam virtutis ſectatores eos ait, ſicut vmbra corpus.] *Et ecce Simon frater veſter, &c.* Quia pollet prudentia, experientia, ac dexteritate in rebus adminiſtrandis, loco patris vobis erit. * An Simon erat Mathathiæ primogenitus? Aliqui affirmant. Alij vero aſſerunt Iudam eſſe primum Mathathiæ filium, ſecundum Ionatham, tertium Ioannem, quartum demum Simonem. Quare igitur illum cunctis prioribus fratribus præfecit? Quia prudentiæ exceſſus facit iuuenem ſenibus eſſe ſuperiorem.] *Et Iudas Machabæus fortis viribus à iuuentute ſua, ſit vobis Princeps militiæ, & ipſe aget bellum populi. Et adducetis ad vos omnes, factores legis: & vindicate vindictam populi veſtri.* vlciſcimini populi veſtri & Dei veſtri iniurias. Additque ad exercitum aduocare *factores legis*. Hi enim & fortiter dimicant, & feliciter triumphant. Nec enim aduerſo Numine poſſunt victoriæ comparari. * Edocentur hinc Reges ex malis militum moribus & vitiis ſæpè corrumpi victoriam.] *Retribuite retributionem Gentibus: & intendite in præceptum legis.* Id quod par eſt damni eis pro iniuriis populo Dei illatis rependi, illis retribuite: & ſolicitos in legis obſeruatione vos oſtendite. * Dum eos allicere curat ad ſatisfactionem de iniuriis ac damnis ſibi illatis ſumendam, eos *in præceptum legis*, iubet intendere. Circa enim iuſtitiam ſatisfactionis perpendendum eſt, ne ſub velo iuſtæ ſatisfactionis vindicta latitet.

Gloria, ſeu honor ſequitur virtutis ſectatores.

Prudentiæ exceſſus facit iuuenem vel ſenibus eſſe ſuperiorem.

Solet ſub velo iuſtæ ſatisfactionis latitare vindicta.

2.

Verſ. 69. 70. Et benedixit eos, & appoſitus eſt ad patres ſuos. In limbo patrum ſuorum cœtui fuit aggregatus, filiis imprecatus benedictionem. *Et defunctus eſt anno centeſimo & quadrageſimo ſexto* Regni Græcorum. D functúſne naturali morte? Ita prorſus inſinuat præfata mortis eius narratio. Scio tamen Porphyrium apud D. Hieronymum Dan. 11. aſſeruiſſe occiſum in prælio. Fieri potuit fuiſſe vulneratum Ioſiæ, vel Epaminondæ inſtar, ac domum relatum poſt inſignem ſuorum adhortationem, è vulnere paulo poſt interiiſſe: vt iuſtæ vitæ felicius Martyrij palma adiiceretur. *Et ſepultus eſt à filiis ſuis in ſepulchris patrum ſuorum in Modin, &c.* Sicut parentes in Modin palatium ſuum fixerant, ita in ſuburbio ſepulchrum ſibi conſtruxerant: quod paucis poſt annis Simon filius Mathathiæ magnificis columnis, ac pyramidibus exornauit. 1. Machab. 13. 27. * Edocens, admodum eſſe pium ſanctorum reliquiis tumulos magnificos apparare.]

Poſt Mathathiæ obitum Iudas Dux ſancti exercitus declaratur.

Pium valdè eſt. Diuorũ reliquiis tumulos magnificos erigere.

CAPVT III.

Succedit Mathathiæ in Pontificatu ac Principatu eius filius Iudas Machabæus. Qui plurimis exinceps victorijs ſe orbi celeberrimum oſtendit.

1. ET ſurrexit Iudas, qui vocabatur Machabæus, filius eius
pro eo. 2. & adiuuabant eum omnes fratres eius, & vni-
uerſi qui ſe coniunxerant patri eius, & præliabantur præ-
lium Iſraël cum lætitia. 3. Et dilatauit gloriam populo
ſuo: & induit ſe loricam ſicut gigas, & ſuccinxit ſe arma
bellica ſua in prælijs, & protegebat caſtra gladio ſuo. 4. Si-
milis factus eſt leoni in operibus ſuis, & ſicut catulus leonis
rugiens in venatione. 5. Et perſecutus eſt iniquos perſcrutans eos: & qui con-
turbabant populum ſuum, eos ſuccendit flammis: 6. & repulſi ſunt inimici eius
præ timore eius, & omnes operarij iniquitatis conturbati ſunt: & directa eſt ſalus
in manu eius. 7. Et exacerbabat reges multos, & lætificabat Iacob in operibus
ſuis, & in ſæculum memoria eius in benedictione. 8. Et perambulauit ciuita-
tes Iuda, & perdidit impios ex eis, & auertit iram ab Iſraël. 9. Et nominatus
eſt vſque ad nouiſſimum terræ, & congregauit pereuntes. 10. Et congregauit
Apollonius Gentes, & à Samaria virtutem multam & magnam, ad bellandum
contra Iſraël. 11. & cognouit Iudas, & exiit obuiam illi: & percuſſit; & occidit
illum: & ceciderunt vulnerati multi, & reliqui fugerunt. 12. & accepit ſpolia eo-
rum: & gladium Apollonij abſtulit Iudas, & erat pugnans in eo omnibus die-
bus. 13. Et audiuit Seron princeps exercitus Syriæ, quòd congregauit Iudas
congregationem fidelium & Eccleſiam ſecum, 14. & ait: Faciam mihi nomen, &
glorificabor in regno, & debellabo Iudam, & eos qui cum ipſo ſunt, qui ſperne-
bant verbum regis. 15. Et præparauit ſe: & aſcenderunt cum eo caſtra impio-
rum, fortes auxiliarij, vt facerent vindictam in filios Iſraël. 16. Et appropinqua-
uerunt vſque ad Bethoron: & exiuit Iudas obuiam illi cum paucis. 17. Vt au-
tem viderunt exercitum venientem ſibi obuiam, dixerunt Iudæ: Quomodo pote-
rimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem, & nos fatigati
ſumus ieiunio hodie? 18. Et ait Iudas: Facile eſt concludi multos in manus pau-
corum: & non eſt differentia in conſpectu Dei cæli liberare in multis & in paucis:
19. quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt.
20. Ipſi veniunt ad nos in multitudine contumaci, & ſuperbia, vt diſperdant nos,
& vxores noſtras, & filios noſtros, & vt ſpolient nos, 21. nos verò pugnabimus
pro animabus noſtris, & legibus noſtris: 22. & ipſe Dominus conteret eos ante
faciem noſtram: vos autem ne timueritis eos. 23. Vt ceſſauit autem loqui, inſiluit
in eos ſubitò: & contritus eſt Seron, & exercitus eius in conſpectu ipſius: 24. &
perſecutus eſt eum in deſcenſu Bethoron vſque in campum, & ceciderunt ex eis
octingenti viri, reliqui autem fugerunt in terram Philiſthiim. 25. Et cecidit timor
Iudæ, ac fratrum eius, & formido ſuper omnes gentes in circuitu eorum. 26. &
peruenit ad regem nomen eius, & de prælijs Iudæ narrabant omnes gentes.
27. Vt audiuit autem rex Antiochus ſermones iſtos: iratus eſt animo: & miſit, &
congregauit exercitum vniuerſi regni ſui, caſtra fortia valdè: 28. & aperuit æra-
rium ſuum, & dedit ſtipendia exercitui in annum: & mandauit illis vt eſſent pa-
rati ad omnia. 29. Et vidit quòd defecit pecunia de theſauris ſuis, & tributa
regionis modica propter diſſenſionem, & plagam, quam fecit in terra, vt tolleret
legitima, quæ erant à primis diebus: 30. Et timuit ne non haberet vt ſemel & bis,
in ſumptus & donaria, quæ dederat antè larga manu: & abundauerat ſuper reges,
qui ante eum fuerant. 31. Et conſternatus erat animo valdè, & cogitauit ire in
Perſidem, & accipere tributa regionum, & congregare argentum multum. 32. Et
reliquit Lyſiam hominem nobilem de genere regali ſuper negotia regia, à flumine

Euphrate

Euphrate vſque ad flumen Ægypti: 33. & vt nutriret Antiochum filium ſuum, donec rediret. 34. Et tradidit ei medium exercitum, & elephantos: & mandauit ei de omnibus, quæ volebat, & de inhabitantibus Iudæam & Ieruſalem: 35. & vt mitteret ad eos exercitum, ad conterendam & extirpandam virtutem Iſraël, & reliquias Ieruſalem, & auferendam memoriam eorum de loco: 36. & vt conſtitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum, & ſorte diſtribueret terram eorum. 37. Et rex aſſumpſit partem exercitus reſidui, & exiuit ab Antiochia ciuitate regni ſui, anno centeſimo & quadrageſimo ſeptimo: & transfretauit Euphratem flumen, & perambulabat ſuperiores regiones. 38. Et elegit Lyſias Ptolemæum filium Dorymini, & Nicanorem, & Gorgiam, viros potentes ex amicis regis: 39. & miſit cum eis quadraginta millia virorum, & ſeptem millia equitum, vt venirent in terram Iuda, & diſperderent eam ſecundùm verbum regis. 40. Et proceſſerunt cum vniuerſa virtute ſua, & venerunt, & applicuerunt Emmaum in terra campeſtri. 41. Et audierunt mercatores regionum nomen eorum: & acceperunt argentum & aurum multum valdè, & pueros: & venerunt in caſtra, vt acciperent filios Iſraël in ſeruos, & additi ſunt ad eos exercitus Syriæ, & terræ alienigenarum. 42. Et vidit Iudas, & fratres eius, quia multiplicata ſunt mala, & exercitus applicabant ad fines eorum: & cognouerunt verba regis, quæ mandauit populo facere in interitum & conſummationem: 43. & dixerunt vnuſquiſque ad proximum ſuum: Erigamus deiectionem populi noſtri, & pugnemus pro populo noſtro, & ſanctis noſtris. 44. Et congregatus eſt conuentus vt eſſent parati in prælium; & vt orarent, & peterent miſericordiam & miſerationes. 45. Et Ieruſalem non habitabatur, ſed erat ſicut deſertum: non erat qui ingrederetur & egrederetur de natis eius: & ſanctum conculcabatur: & filij alienigenarum erant in arce, ibi erat habitatio Gentium: & ablata eſt voluptas à Iacob, & defecit ibi tibia & cithara. 46. Et congregati ſunt, & venerunt in Maſpha contra Ieruſalem: quia locus orationis erat in Maſpha antè in Iſraël. 47. Et ieiunauerunt illa die, & induerunt ſe ciliciis, & cinerem impoſuerunt capiti ſuo, & diſciderunt veſtimenta ſua: 48. & expanderunt libros legis, de quibus ſcrutabantur Gentes ſimilitudinem ſimulachrorum ſuorum: 49. & attulerunt ornamenta ſacerdotalia, & primitias, & decimas: & ſuſcitauerunt Nazaræos, qui impleuerant dies: 50. & clamauerunt voce magna in cælum, dicentes: Quid faciemus iſtis, & quò eos ducemus? 51. & ſancta tua conculcata ſunt, & contaminata ſunt, & ſacerdotes tui facti ſunt in luctum, & in humilitatem. 52. & ecce Nationes conuenerunt aduerſum nos vt nos diſperdant: tu ſcis quæ cogitant in nos. 53. Quomodo poterimus ſubſiſtere ante faciem eorum, niſi tu Deus adiuues nos? 54. Et tubis exclamauerunt voce magna. 55. Et poſt hæc conſtituit Iudas duces populi, tribunos, & centuriones, & pentacontarchos, & decuriones. 56. Et dixit his, qui ædificabant domos, & ſponſabant vxores, & plantabant vineas, & formidoloſis, vt redirent vnuſquiſque in domum ſuam ſecundùm legem. 57. Et mouerunt caſtra, & collocauerunt ad Auſtrum Emmaum. 58. Et ait Iudas: Accingimini, & eſtote filij potentes, & eſtote parati in manè, vt pugnetis aduerſus Nationes has, quæ conuenerunt aduerſus nos, diſperdere nos & ſancta noſtra: 59. quoniam melius eſt nos mori in bello, quàm videre mala gentis noſtræ, & ſanctorum. 60. Sicut autem fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.

COMMENTARII.

1. *Iudas Machabæus plurimis victorijs ſe orbi celeberrimum oſtentat.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Et ſurrexit Iudas, &c.* Succeſſit Iudas Machabæus Mathathiæ parenti vita functo, & patris inſtitutione, & iure etiam primogenituræ. Nec enim pater, dum cap. 2. 66. commendat Iudæ fortitudinem Principatui agnatam, ideo negat ipſum eſſe primogenitum. *Et adiuuabant eum omnes fratres eius, & vniuerſi qui ſe coniunxerant patri eius: præliabantur prælium Iſraël cum lætitia.* Hi, inquit, *præliabantur prælium*, id eſt, eorum ſtudium ſolum bello gerendo erat intentum non gloriæ, non vindictæ, non ſpoliis. Huiuſmodi enim milites magis gloriam, ſpolia, quam prælium præliantur.] *Et dilatauit gloriam populo ſuo: & induit ſe loricam, &c.* Se Iudas loricam induit tanquam gigas, id eſt, admodum fortiſſimi herois viribus & animo inuicti, Deo confiſi, nullum mortalium metuentis. Rabbini aſſerunt, Iudam conſueuiſſe, eiuſque fratres in labaris, & vexillis ſuis has quatuor litteras geſtare מ.כ.ב.י. *mem. caph. beth. iod.* quibus compendio, & pro quaque littera voce integra ſubſtituta, hæc ſententia illorum mente continebatur: *michamocha baelim iehoua*, id eſt, *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* Vulgus vero cum

Miles præliari prælium debet, non ſpolia.

cum ignarum huius ſententiæ, litteras iſtas ſuo ſenſu iungeret, legiſſe illi aiunt, *Machabai*, & inde Machabæi vocem conflatam. Ego autem probabilius exiſtimo nomen hoc Iudæ à Mathathia fuiſſe inditum propter eius robur militare: nempè à radice *caba*, id eſt, *extinxit*, dictum *Machabi*, id eſt, *extinctorem* hoſtium Eccleſiæ. *Et perſecutus eſt iniquos perſcrutans eos, &c.* Primum Iudæ ſtudium fuit apoſtatas Iudæos diligenter quærere, & exitialiter punire. Eorum enim apoſtaſia populum conturbabat, dum plures quotidie eorum exempli æmulatores ad idola tranſibant. * Prauum exemplum potentiſſimum eſt, vt attrahat eiuſdem iniquitatis imitatores.]

Prauum exēplum potentiſſimum eſt ad imitatores alliciendum.

Verſ. 6.7.8.9. Et repulſi ſunt inimici eius præ timore eius, &c. Cohibiti fuere hoſtes tyrannide noui Ducis potentiſſimi gladium formidantes: & apoſtatæ ſunt timore conſternati. Iudæi autem ſalutem feliciter ductu induſtria,
6 & fortitudine Iudæ fuére conſecuti. *Et exacerbabat Reges multos*, fremere, & frendere faciebat Antiochum Epiphanem, Antiochum Eupatorem, & Demetrium: cum his enim omnibus bellum iniit. *Et lætificauit Iacob*, ſeu Dei populum *in operibus ſuis*, *Et in ſæculum memoria eius in benedictione, &c. Et nominatus eſt vſque ad nouiſſimum terræ, & congregauit pereuntes.* Nomen eius ſeu fama ad vltimos terræ fines euolauit: & Iudæos diſperſos alioqui aut ferro, aut fame perituros ad ſe congregauit.

2\. Profligat Apollonium Syriæ præfectum.

Verſ. 10.11.12. Et congregauit Apollonius Gentes, &c. Apollonius Syriæ præfectus exercitum magnum contra Iſraël coëgit ex Samaritanis, & aliis Gentilibus. Et cognouit Iudas, & exiit obuiam illi: & percuſſit, & occidit illum: & ceciderunt vulnerati multi, *& reliqui fugerunt: Et accepit ſpolia eorum, & gladium Apollonij abſtulit Iudas, &c.* Iudas Apollonium maximis inſtructum copiis exigua manu, ingenti autem fortitudine percuſſit, & occidit. Cum enim inter pugnandū videret Iudas Apollonium ſtantem in medio exercitus ſui, ſummo feruore decurrit ad eum ad medium vſque caſtrorum, omnia penetrans, ad dexteram, ad ſiniſtram fortiſſimos hoſtium proſternēs, haud ſecus (cum Ioſepho Gorion. loquor) ac meſſor manipulos ſpicatum meſſis ſuæ deiicit: pergenſque. At Apollonium percutit eum, ſternitque ſuomet gladio. Quo deinceps vtpotè valdè probo, lato, & acuto, ſimulque in trophæum primæ ſuæ victoriæ, in ſtimulum quoque, atque excitamentum paris perpetuo fortitudinis, in omnibus ſequentibus bellis vſus eſt Iudas. * Habes hinc primò, triumphum non cedere militum multitudini, ſed paucorum induſtriæ, robori, & audaciæ.] * Deindè prudentiſſimum ſeſe oſtendiſſe Iudam, dum omne adhibuit ſtudium, vt Ducem hoſtilis exercitus interimeret, quaſi in vno illo reliqui vincerentur. Vt ad ſpiritualem pugnam edoceamur, omnem diligentiam eſſe adhibendam vt vitium Regem interimamus; facillimè enim alia vitia, illo percuſſo, ſuperabimus.] Tertiò denique egregiæ fortitudinis eſſe hoſtem proprio illius gladio de medio tollere: hoc eſt luxuriam vincere ipſiuſmet fœditatis obiectu, perbreuis voluptatis, & diuturnæ pœnitudinis memoria.]

Victoria non comparatur militū multitudine, ſed paucorū induſtria, & robore.

Vitio Rege deuicto, facilè alia vitia debellantur.

Luxuria interimenda ſuomet gladio, ſeu viui huius fœditatis obiecta.

R.P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. to. VII. p. 2.

Verſ. 13.14.15.16.17. Et audiuit Seron Princeps exercitus Syriæ, quod congregauit Iudas congregationem fidelium, & Eccleſiam ſecum. Eccleſia hîc idem eſt ac fidelium congregatio. * O quàm feliciter decertabit Iudas Eccleſia adiuuante! Tunc equidem Catholicus Princeps Eccleſiam ſecum congregat, cum pugnaturus preces poſtulat ab Eccleſia ad Deum, pro belli felicitate effundi.] *Et ait: Faciam mihi nomen, &c. & exiuit Iudas obuiam illi cum paucis*, ſeu cum omnibus ſuis, qui tamen pauci erant, ſi cum copioſo hoſtium exercitu conferantur. *Vt autem viderunt exercitum venientem ſibi obuiam, dixerunt Iudæ, &c. Et nos fatigati ſumus ieiunio hodie.* Neceſſitatiſne, an religionis cauſa ieiunarint? Crediderim, voluntariam fuiſſe inediam, illud enim *hodie* diem ieiunio dicatam ſignificat. * Vndè annoto militum pietatem, qui armati, & iter agentes, & pugnaturi, Deum propitium ſibi reddere voluerunt, vel à lege præſcriptum obſeruare. Porrò, me auctore ieiunio illuſtriſſima illa tribuenda eſt victoria.]

3\. Seronem militia regia Principem debellat.

Rex vincit in prælio cū Eccleſiā fert ſecum, hoc eſt, Eccleſiæ preces pro victoria.

Ieiunium milites roborat ad certamen, & ei cedit victoria.

Verſ. 18.19.20.21.22. Et ait Iudas: Facilè eſt concludi multos in manus paucorum, &c. quoniam non in multitudine exercitus victoria belli: ſed de cælo fortitudo eſt ad hoſtem ſuperandum. *Ipſi veniunt ad nos in multitudine contumaci, & ſuperbia.* Græcè, *in multitudine iniquitatis*, ſeu multis ſceleribus grauati, Deo inuiſi. * Et à Numine irato quonammodo poteſt ſperari victoria] veniunt, inquam, vt *diſperdant nos, & vxores noſtras, & filios noſtros, & vt ſpolient nos; nos autem pugnabimus pro animabus noſtris*, ſeu in defenſionem vitæ: *& legibus noſtris, & ipſe Dominus conteret eos antè faciem noſtram, vos autem ne timueritis eos.* Hæc Iudas.

A Deo irato poteſtne ſperari victoria.

Verſ. 23.24.25.26. Vt ceſſauit autem loqui, inſiluit in eos ſubitò Dux fortiſſimus, *& contritus eſt Seron, & exercitus eius in conſpectu ipſius. & perſecutus eſt eum in deſcenſu Bethoron* (iam olim nobilitato, cum immiſſa cælitus fuit in fugientem hoſtem grandinis lapidatio. Ioſ. 10. 11.) *vſque in campum: & ceciderunt ex eis octingenti viri: cæteri autem fugerunt in terram Philiſthiim. Et cecidit timor Iudæ, ac fratrum eius, & formido ſuper omnes gentes in circuitu eorum: & peruenit ad Regem* Antiochum nomen *eius* ſeu fama fortitudinis Iudæ: *& de præliis Iudæ narrabant omnes gentes.* Itaque fortiſſimus Machabæus Seronem exercitus Syrij Principem mira felicitate fudit, proſtrauit, occidit cum non niſi paucos ſuorum ad manus haberet, eoſque ſat pauidos, & ieiunio fatigatos.

Verſ. 27.28.29.30. Vt audiuit autem Rex Antiochus ſermones iſtos, iratus eſt animo: & miſit & congregauit exercitum vniuerſi Regni ſui, &c. * A Barbaro Principe diſcant Reges bella gerentes, prius ærarium aperiendum ad ſtipendia militum, quam claſſicum inſonet ad certamen.] Ad annum militibus prouidit annonam. In hoc minus prouidum ſe oſtentauit; pecunia enim difficilè à militibus aſſeruatur: ideò prudentius ageret ſi ad hebdomadam, vel ad menſem ſtipendia divideret.] *Et vidit, quod defecit pecunia de theſauris ſuis, &c.* Vidit, ſenſitque Antiochus deficere pecuniam; theſauri enim exhauſti iterum de nouo non complebantur, eò quod tributa à vicinis regionibus pendi ſolita,

4\. Antiochus expillaturus Perſidem, ad colligēdos bellī ſumptus proficiſcitur.

Prius ærarium aperiēdum ad ſtipendia militum, quam cogendus exercitus.

Non omnes theſauri vno die dādi ſunt à Rege.

iam valde modica ſubminiſtrarentur, idque propter diſſenſionem, ſeu defectionem non ſolùm Iudæorum, ſed etiam quarumdam aliarum nationum hac occaſione Regi rebellantium: item propter bellum in Syria, & vicinis Iudææ partibus infeliciter ſemel atque iterùm geſtum, quo ferè exhauſtæ regiones non erant miniſtrando tributo antè condicto. Denique propter plagam, quam Antiochus tum per ſe, tum per ſuos fecerat in terris ſibi antè ſubiectis, cum tolleret eis legitima ſua, & patrios ritus, ac leges, quibus illæ gauiſæ fuerant à primis Rerum publicarum ſuarum conditarum diebus. * Certè nimia tributorum exactio non ſolum ciues, ſed ipſum Principem faciunt inopia premi.] Ergo deſtitutus Rex tributorum ſubſidio, timuit, nè poſt primam illam ſtipendiorum primi anni liberalem exhibitionem, non haberet, vndè iterùm ſimiles ſumptus, & donaria in belli vſus neceſſaria ſufficere poſſet. Addo, eſſe & bis mille talenta Romanis pro tributo iam à tempore Antiochi Magni à Scipione deuicti quotannis pendenda. Dan. 11. 18. Vnde.

Nimia tributorum exactio facit, non ſolùm ciues, ſed & ipſum Principem inopia premi.

Verſ. 31.32.33.34.35.36.37. *Et conſternatus erat animo valde, & cogitauit ire in Perſidem, &c.* Cogitauit itaque Antiochus in Perſidem proficiſci, & pecuniam inde emungere partim expilando, vt 2. Mach. 9. 2. dicitur: partim cogendo ad tributa vel augenda, vel de nouo pendenda. Ergo aſſumpta medietate exercitus iam parati, conceſſit in Perſidem, relicto in Syria pro vicario ſuo Lyſia de ſtirpe regali cum mandatis, vt Antiochum Eupatorem filium ſuum & hæredem Regni nutriret, eo modo quo decebat tantum Principem educari. Deindè vt Iudæos contereret, & extirparet, tradita ei in finem hunc altera medietate exercitus ſui, cum inſtructis elephantis. * Preme illud ex verſ. 32. *Et reliquit Lyſiam hominem nobilem de genere regali.* Sufficiebat quidem dixiſſe, fuiſſe Lyſiam de genere regali: cur ergo addidit, hominem eſſe nobilem? Annon ſatis conſtaret eſſe nobilem, ſi de regio ſanguine trahebat originem? Profectò non omnes, qui de illuſtri progenie procedunt, nobiles eſſe probantur, ſi morum fœditas natalitij obſcurat originem. Nobilis ille eſt, cuius actiones nihil referunt non auguſtum.]

Ille nobilis eſt, cuius opera nihil referunt non auguſtum.

5. *Verſ.* 38. 39 40. *Et elegit Lyſias Ptolemeum filium Dorimini, &c.* Lyſias Regis imperio obſecuturus miſit ternos in Iudæam Duces Ptolemæum filium Dorymenis Cœleſyriæ & Phœnicis Ducem Nicanorem Patrocli filium, & Gorgiam in bellicis rebus experientiſſimum. (2. Mach. 8. 8.) cum quadraginta millibus peditum, & equitum ſeptem millibus. *Et proceſſerunt cum vniuerſa virtute ſua, & venerunt, & applicuerunt Emmaum in terra campeſtri.* Non applicuerunt Emmaum illam, quæ propè Tiberiadem adiacet, ſed quæ propè Ieroſolymam, & poſteà dicta fuit Nicopolis.

Aduerſus Lyſiam Regis vicarium inſtruit exercitum.

Verſ. 41.42.43.44. *Et audierunt mercatores regionum nomen eorũ, &c. & additi ſunt ad eos exercitus Syriæ, & terræ alienigenarum.* Ad exercitum, quem Lyſias miſerat adiectæ ſunt aliæ nouæ copiæ, nempe Syriæ exercitus propriis Syriorum collectus expenſis. Quibus adeò Nicanor præſidebat, vt quaſi certus de victoria, euocaret vndique mercatores ad Iudaica mancipia vili pretio coëmenda, quaſi iam capta teneret. 2. Mach. 8. 11. Et hi maximo numero confluebant ad caſtra. *Et vidit Iudas, & fratres eius, &c. & dixerunt vnuſquiſque ad proximum ſuum: Erigamus deiectionem populi noſtri, & pugnemus pro populo noſtro, & ſanctis noſtris.* Excitant Iudæi alij alios, animant ſe mutuo. Gentem, inquiunt, Iudaicam ludibrio paſſim habitam, linguis omnium deiectam virtute, ac robore noſtro erigamus, priſtino reſtituamus ſplendori. *Et congregatus eſt conuentus:* (Synagoga) *vt eſſent* milites *parati in prælium: & vt orarent, & peterent miſericordiam, & miſerationes*, id eſt copioſam Dei miſericordiam flagitarent. * Ad præliandum & orandum ſimul præparantur: felicitas enim prælij non tam ex robore militum, quàm ex Deo inſtanter exorato dimanat.]

Felicitas prælij ex Deo exorato magis, quàm ex robore militum dimanat.

Verſ. 45. *vſque ad* 48. *Et Ieruſalem non habitabatur, &c. & ablata eſt voluptas à Iacob, & defecit ibi tibia, & cithara.* Omnibus vtique mœrentibus, quod tam indignè ſanctum, ſeu Templum tractaretur, & quod Vrbs ad ſolitudinem eſſet redacta: & quod ablata eſſet voluptas, qua Iudæi afficiebantur in feſtiuitatum celebratione, in quibus inſtrumenta muſica perſonabant. * Et quidem fidelis nullum gaudium debet admittere, cum viderit ſacra contemni.] *Et congregati ſunt, &c.* Intelligo tempora Samuëlis. Nam 1. Reg. 7. 5. dixit Samuel: *Congregate vniuerſum Iſrael in Maſphath, vt orem pro vobis Dominum.* Erat autem id oppidum in edito loco ſitum; in confinio Tribuum Iuda & Benjamin poſitum Adrichomius in deſcriptione Tribus Benjamin num. 88. exiſtimat. *Et ieiunauerunt illa die, &c.* Vt orationem efficatiorem ad ſuperos emitterent ieiunio, & aliis corporis afflictionibus alas ei indiderunt. * Facilius enim impetrabis, quod aſperitate corporis comite petieris.] Porrò expandendi libros ceremonia exiſtimo voluiſſe quodammodò Deum commonefacere de promiſſa venia populo ſuo pœnitenti, & de auxilio ſupplicibus ſuis præſtando, & de hoſtibus coërcendis. Simile factum Ezechiæ 4. Reg. 19. 14. Vt autem difficilia illa verba, *De quibus ſcrutabantur Gentes ſimilitudines ſimulacrorum ſuorum*, exponam, memoro Gentiles inſignes quaſque hiſtorias ſcripturæ ſacræ, & Dei miracula ad deos ſuos transferre ſtuduiſſe, vti de Eliæ quadriga in ſolis quadrigam verſa Beda q. 27. in Reges annotauit. Senſus igitur eſt. Expanderunt Iudæi ſacros libros, ac ſi Deo dicerent: En Domine, qui mirabilia magna pro ſeruis tuis geſſiſti, & ſimilia his, te, cum fuerit opus, promiſiſti præſtiturum: en, inquam, ea impij homines ſcrutantur, & mendaciter diis ſuis affingunt. Quin & ſacros ritus & ceremonias, quibus coli vis, Domine. Gentiles ad inania deorum ſuorum ſacra traducunt. Tanta ergo impietas eorum in capite vindicetur. * Deum equidem ad iram vehementer impellit qui ſacratum Scripturarum ſententias, aut hiſtorias applicat ad profana.]

Fidelis nullum gaudiũ admittit, cũ videt ſacra contemni.

Corporis afflictiones efficaciam orationi preſtant.

Deum ad iram prouocat, qui Scripturæ verba, aut hiſtorias ad profana accommodat.

Verſ. 49. 50. 51. 52. 53. *Et attulerunt ornamenta Sacerdotalia, &c.* Ornamenta, quibus Solemniori ritu diuinum officium celebrarent, attulere: & redditus Deo debitos primitias, ac decimas, & excitarunt quoſdam, qui ſeſe Domino Nazaræorum ritu ſanctificarent, ſeu perpetuò,

petuò, ſeu ad tempus. Si qui autem ex Nazaræis ante iam Deo dicatis expleuerant ſui nazareatus dies, ſeu tempus hos excitarunt, vt hoſtias, quæ in fine nazareatus ex præſcripto legis Deo erant offerendæ, ritè offerrent. *Et clamauerunt voce magna in cælum, dicentes: Quid faciemus iſtis, & quò eos ducemus?* De his autem Nazaræis ſolicitè quærunt: Quid agere oportebit, vt Nazaræi iſti ritè compleant, quæ in nazaræatus fine lex complenda præſcribit. Et quò eos ducemus? Ducendi erant *ad oſtium tabernaculi fœderis*, Num. 6. 13. Quod quidem iam geri non poterat. Nam *Et ſancta tua conculcata ſunt, &c.* Omnia Templi loca, omnia vaſa contaminata iacent. Sacerdotes verò, quibus Nazaræi ſiſti iubentur, in luctuoſo & triſti vagantur exilio abſque vllo honore. *Et ecce nationes conuenerunt aduerſum nos, &c.* * Quare, precor, in tanta rerum anguſtia nazareatus ritum, qui eo tempore in deſuetudinem videbatur abiiſſe, renouare curarunt? Crediderim, vt Deum fortius ad populi protectionem allicerent, ei obiicientes Religioſi ſtatus ſimulacrum. Regularis enim inſtitutio Deo admodum grata, eiuſque vel imagine obiecta, ad pietatem allicitur.] *Quomodo*, ô Domine à tot hoſtibus agitati, *poterimus pauci*, & infirmi cum ſimus, *ſubſiſtere ante faciem eorum, niſi tu Deus adiuues nos?*

Adeo grata eſt Deo Regularis ſtatus inſtitutio, vt ei obiecta illius imagine ad pietatem allicitur.

Verſ. 54. 55. 56. Et tubis exclamauerunt voce magna. Et poſt hæc conſtituit Iudas Duces populi, Tribunos, &c. Partitur acies in duos ordines, & hos in quatuor partes, quarum ſingulis ſingulos fratrum ſuorum præficit. 2. Machab. 8. 22. *Et dixit his, qui ædificabant domos, & ſponſabant vxores, & plantabant vineas, & formidoloſis, vt redirent vnuſquiſque in domum ſuam ſecundam legem.* Deut. 20. Aptè quidem iubet eos domum repetere. * Formidoloſi enim inepti ſunt ad certamina: non proſunt, & nocent, dum aliis formidinem incutiunt. Infirmitas hæc peſtis inſtat; facillimè vel in fortes ſerpere aſſolet. *. Cur autem ædificantes domum aut plantantes vineas, aut vxorem ducentes ab exercitu retrahuntur? Credo, quia milites ſic ad bella debent procedere à curis vacui, vt vnica eis cura ſit ſtrenue pugnare.]

Formidoloſus miles certamini ineptus ab exercitu debet excludi.

Vnica militis cura debet eſſe ſtrenuè pugnare.

Verſ 57. 58. 59. 60. Et mouerunt caſtra, &c. Accingimini, & eſtote filij potentes, & eſtote parati in mane, &c. Suos adhortatur Iudas ad fortitudinem, ad promptitudinem, ad mortem potius pro patria ſubeundam, quam vitam in ignaua ſeruitute trahendam. *Sicut autem fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.* Ne autem in vocabulis Ducum offendas, ad memoriam affero Tribunos vocari, qui mille præerant militibus. Centuriones, qui centum militibus præſunt, Pentaeontarchos, qui præſunt quinquaginta, Decuriones qui decem. Fuſiùs cuncta hæc, 2. *Mach.* 8. 20. & ſequentibus explicantur.

CAPVT IV.

Gorgiæ copias Machabæus profligat, Lyſiam Syriæ proregem vincit. Et dum hic rurſum inſtaurat exercitum, Iudas Templo repurgando, & inſtaurando Dei cultu ſtudium impendit.

1. ET aſſumpſit Gorgias quinque millia virorum, & mille equites
electos: & mouerunt caſtra nocte, 2. vt applicarent ad ca-
ſtra Iudæorum, & percuterent eos ſubito: & filij, qui erant
ex arce, erant illis duces. 3. Et audiuit Iudas, & ſurrexit
ipſe, & potentes, percutere virtutem exercituum regis, qui
erant in Emmaum. 4. Adhuc enim diſperſus erat exercitus
à caſtris. 5. Et venit Gorgias in caſtra Iudæ noctu, & ne-
minem inuenit, & quærebat eos in montibus: quoniam dixit: Fugiunt hi à nobis.
6. Et cum dies factus eſſet, apparuit Iudas in campo cum tribus millibus virorum
tantùm, qui tegumenta & gladios non habebant: 7. & viderunt caſtra Gentium
valida, & loricatos, & equitatus in circuitu eorum, & hi docti ad prælium. 8. Et
ait Iudas viris, qui ſecum erant: Ne timueritis multitudinem eorum, & impetum
eorum ne formidetis. 9. Mementote qualiter ſalui facti ſunt patres noſtri in mari
rubro, cum ſequeretur eos Pharao cum exercitu multo. 10. Et nunc clamemus
in cælum; & miſerebitur noſtri Dominus, & memor erit teſtamenti patrum noſtro-
rum, & conteret exercitum iſtum ante faciem noſtram hodie: 11. & ſcient omnes
gentes, quia eſt qui redimat & liberet Iſraël. 12. Et eleuauerunt alienigenæ ocu-
los ſuos, & viderunt eos venientes ex aduerſo. 13. Et exierunt de caſtris in præ-
lium, & tuba cecinerunt hi qui erant cum Iuda. 14. Et congreſſi ſunt: & contritæ
ſunt Gentes, & fugerunt in campum. 15. Nouiſſimi autem omnes ceciderunt in
gladio, & perſecuti ſunt eos vſque Gezeron, & vſque in campos Idumææ, & Azoti,
& Iamniæ: & ceciderunt ex illis vſque ad tria millia virorum. 16. Et reuerſus eſt
Iudas, & exercitus eius, ſequens eum, 17. Dixitque ad populum: Non concupi-

ſeatis ſpolia : quia bellum contra nos eſt, 18. & Gorgias & exercitus eius prope
nos in monte : ſed ſtate nunc contra inimicos noſtros, & expugnate eos, & ſumetis
poſteà ſpolia ſecuri. 19. Et adhuc loquente Iuda hæc, ecce apparuit pars quædam
proſpiciens de monte. 20. Et vidit Gorgias quod in fugam conuerſi ſunt ſui, &
ſuccederunt caſtra : ſumus enim, qui videbatur, declarabat quod ſactum eſt.
21. Quibus illi conſpectis timuerunt valdè, aſpicientes ſimul & Iudam, & exerci-
tum in campo paratum ad prælium. 22. Et fugerunt omnes in campum alieni-
genarum : 23. & Iudas reuerſus eſt ad ſpolia caſtrorum, & acceperunt aurum
multum & argentum, hiacinthum, & purpuram marinam, & opes magnas. 24. Et
conuerſi, hymnum canebant, & benedicebant Deum in cælum, quoniam bonus eſt,
quoniam in ſæculum miſericordia eius. 25. Et facta eſt ſalus magna in Iſraël in die
illa: 26. Quicumque autem alienigenarum euaſerunt, venerunt, & nunciauerunt
Lyſiæ vniuerſa quæ acciderant. 27. Quibus ille auditis, conſternatus animo defi-
ciebat : quod non qualia voluit, talia contigerunt in Iſraël, & qualia mandauit rex.
28. Et ſequenti anno congregauit Lyſias virorum electorum ſexaginta millia, &
equitum quinque millia, vt debellaret eos. 29. Et venerunt in Iudæam, & caſtra
poſuerunt in Bethoron, & occurrit illis Iudas cum decem millibus viris. 30. Et
viderunt exercitum fortem, & orauit, & dixit : Benedictus es ſaluator Iſraël, qui
contriuiſti impetum potentis in manu ſerui tui Dauid, & tradidiſti caſtra alienige-
narum in manu Ionathæ filij Saul, & armigeri eius. 31. Conclude exercitum iſtum
in manu populi tui Iſraël, & confundantur in exercitu ſuo & equitibus. 32. Da
illis formidinem, & tabeſac audaciam virtutis eorum, & commoueantur contritione
ſua. 33. Deiice illos gladio diligentium te : & collaudent te omnes, qui nouerunt
nomen tuum, in hymnis. 34. Et commiſerunt prælium : & ceciderunt de exerci-
tu Lyſiæ quinque millia virorum. 35. Videns autem Lyſias fugam ſuorum, & Iu-
dæorum audaciam, & quod parati ſunt aut viuere, aut mori fortiter, abiit Antio-
chiam, & elegit milites, vt multiplicati rurſus venirent in Iudæam. 36. Dixit au-
tem Iudas, & fratres eius : Ecce contriti ſunt inimici noſtri: aſcendamus nunc mun-
dare ſancta ; & renouare. 37. Et congregatus eſt omnis exercitus, & aſcenderunt
in montem Sion. 38. Et viderunt ſanctificationem deſertam, & altare profanatum,
& portas exuſtas, & in atriis virgulta nata ſicut in ſaltu vel in montibus, & paſtopho-
ria diruta. 39. Et ſciderunt veſtimenta ſua, & planxerunt planctu magno, & im-
poſuerunt cinerem ſuper caput ſuum, 40. & ceciderunt in faciem ſuper terram
& exclamauerunt tubis ſignorum, & clamauerunt in cælum. 41. Tunc ordinauit
Iudas viros, vt pugnarent aduerſus eos qui erant in arce, donec emundarent ſancta.
42. Et elegit Sacerdotes ſine macula, voluntatem habentes in lege Dei : 43. &
mundauerunt ſancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum.
44. Et cogitauit de altari holocauſtorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret.
45. Et incidit illis conſilium bonum vt deſtruerent illud : ne fortè illis eſſet in op-
probrium, quia contaminauerunt illud Gentes, & demoliti ſunt illud. 46. Et re-
poſuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret propheta, & re-
ſponderet de eis. 47. Et acceperunt lapides integros ſecundùm legem, & ædifi-
cauerunt altare nouum, ſecundùm illud quod fuit priùs : 48. & ædificauerunt
ſancta, & quæ intra domum erant intrinſecus : & ædem, & atria ſanctificauerunt.
49. Et fecerunt vaſa ſancta noua, & intulerunt candelabrum, & altare incenſo-
rum, & menſam in templum. 50. Et incenſum poſuerunt ſuper altare, & accen-
derunt lucernas, quæ ſuper candelabrum erant, & lucebant in templo. 51. Et
poſuerunt ſuper menſam panes, & appenderunt vela, & conſummauerunt omnia
opera quæ fecerant. 52. Et ante matutinum ſurrexerunt quinta & vigeſima die
menſis noui (hic eſt menſis Caſleu) centeſimi quadrageſimi octaui anni : 53. &
obtulerunt ſacrificium ſecundùm legem, ſuper altare holocauſtorum nouum quod
fecerunt. 54. Secundùm tempus & ſecundùm diem, in qua contaminauerunt il-
lud gentes, in ipſa renouatum eſt in canticis, & citharis, & cinyris, & in cymbalis.
55. Et cecidit omnis populus in faciem, & adorauerunt, & benedixerunt in cæ-
lum eum, qui proſperauit eis. 56. Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo,
& obtulerunt holocauſta cum lætitia, & ſacrificium ſalutaris & laudis. 57. Et
ornauerunt faciem templi coronis aureis & ſcutulis : & dedicauerunt portas, & pa-
ſtophoria, & impoſuerunt eis ianuas. 58. Et facta eſt lætitia in populo magna val-
dè, & auerſum eſt opprobrium Gentium. 59. Et ſtatuit Iudas, & fratres eius, &

vniuerſa

vniuerſa Eccleſia Iſraël, vt agatur dies dedicarionis altaris in temporibus ſuis, ab anno in annum, per dies octo, à quinta & vigeſima die menſis Caſleu, cum lætitia & gaudio. 60. Edificauerunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas, nequando venirent Gentes, & conculcarent eum, ſicut anteà fecerunt. 61. Et collocauit illic exercitum, vt ſeruarent eum, & muniuit eum ad cuſtodiendam Bethſuram, vt haberet populus munitionem contra faciem Idumææ.

COMMENTARII.

Gorgia copias profligat.

1. VERS. 1. 2. 3. 4. *Et aſſumpſit Gorgias quinque millia virorū, &c.* Gorgias è tribus primariis Antiochi ducibus vnus, & cum eo ſex millia intenderunt ſecretò Iudæos percutere ex improuiſo nihil tale tunc exſpectantes. At cum noctu caſtra mouerant, nè aberrarent in via, ductores eis venerunt ex præſidiariis arcis Ieroſolymitanæ nonnulli periti viarum. *Et audiuit Iudas, & ſurrexit ipſe. &c.* Iudas comperto dolo, præuertit Gorgiam, & quas ipſe Iudæis parabat inſidias in relictas à Gorgia copias in Emmaum retorſit: ibi enim aderat præcipua virtus exercitus Antiochi; ſed adhuc diſperſus erat à caſtris, id eſt, ſine ordine degebant milites illi, non admodum caſtrorum benè compoſiti: vtpote nihil hoſtile metuentes. * Repentè à Gorgia Iudas, repentè à Iuda exercitus relictus in Emmaum hoſtilis inuaditur. Vincit Iudas, quia minimè dormiebat, ſed ad quamcumque hoſtis irruptionem aderat præparatus. Qui cum inuiſibili nocturno hoſte confligit, ſomno minimè indulgeat, ſed ſubitam ſemper timeat irruptionem.]

Qui cum inuiſibili nocturno hoſte cōfligit, ſemper vigilet, timens ſubitam irruptionem.

Verſ. 5. 6. 7. Et venit Gorgias in caſtra Iuda noctu, &c. Et cum dies factus eſſet, apparuit Iudas in campo cum tribus millibus virorum tantùm, qui tegumenta, & gladios non habebant. In Græco additur. *Sicut volebant.* Ac ſi diceret, Iudæi quoad arma non erant pro voto ſuo ſat instructi, certè hoſtibus nulla ex parte æquandi. Nec enim thoraces ferrei clypei, & gladij erant ex probatiſſimis. *Et viderunt caſtra Gentium valida. &c. & hi docti ad prælium,* ſeu ſtrenui erant, & exercitati milites.

Verſ. 7. 8. 9. 10. 11. Et ait Iudas viris, qui ſecum erant: Ne timueritis multitudinem eorum, &c. Et nunc clamemus in cælum, & miſerebitur noſtri Dominus. * Quanam ſecuritate Iudas promittit Dei miſericordiam? Profectò quia oratio iuſti, cum afflictione afficitur, efficax admodum eſt, ad impetrandum.] *Et memor erit teſtamenti patrum noſtrorum,* ſeu pacti cum patribus initi, de ipſis, eorúmque poſteris fauendo: *Et conteret exercitum iſtum antè faciem noſtram hodie. Et ſcient omnes Gentes, quia eſt qui redimat* ſeu eripiat à periculo, & liberet Iſraël. * Eſt inquit, *qui redimat.* Quomodo redemit, ſi nondum Iudæi in captiuitatem Antiochi incidirant? Redemit pulchrius eos ante captiuitatem, id eſt, à captiuitate, qua premendi procul dubio erant, ſi Deus redemptor non accurriſſet. Hinc Deiparæ redemptionem priuſquam peccati captiuitatem incurriſſet, non iam probare poſt Alexandri Bullam, ſed celebrare datur.]

Oratio eius, qui afflictione afficitur, efficax eſt, ad impetrandum.

Redempta Deipara, priuſquam captiuitate peccati premeretur.

Verſ. 12. 13. 14. 15. Et eleuauerunt alienigenæ oculos ſuos, &c. & fugerunt in campum, ſeu per aperta camporum concitato curſu ſe fugæ dederunt. *Nouiſſimi autem omnes,* qui non ita cito ſe fugæ proripere potuerunt, *ceciderunt in gladio. Et* Iudæi *perſecuti ſunt eos vſque Gezeron,* ſeu Gadara (ſeu Gazer; triplici hoc nomine Ciuitas illa notabatur) *& vſque in campos Idumeæ, & Azoti, & Iamniæ: & ceciderunt ex illis vſque ad tria millia virorum.* Qui inter fugientes erant nouiſſimi trucidati ad tria millia fuerunt.

Verſ. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. Et reuerſus eſt Iudas, & exercitus eius ſequens eum, &c. Hac obtenta victoria, non contentus Iudas reuerſus in locum caſtrorum Gorgiæ ſpoliis refertum, prudenti planè conſilio ſuos omnes ſub ſignis continuit, fatus: Haud præproperè, & immaturè ad ſpolia capienda properetis; prius enim cum hoſte ceruicibus noſtris imminente nobis confligendum, quàm prædæ incubare poſſimus. * Porrò multæ victoriæ euanuere, quia milites nondum perfecta pugna ad legenda ſpolia properarunt.] Etenim Gorgias & exercitus eius ſex electa millia caſtris nuper egreſſi ad nos noctu opprimendos iam reuerſi ecce prope nos ſunt in monte vbi nos preſſos formidine latitare crediderunt. *Et adhuc loquente Iuda hæc, ecce apparuit pars quædam proſpiciens de monte. Et vidit Gorgias, quod in fugam conuerſi ſunt ſui, & ſuccenderunt caſtra, &c.* Relicta à fugitiuis tuguria Iudæi ſuccenderunt, Vt flammis hiſce indicarent Gorgiæ, fuſaa eſſe omnea eius copias, & inuaſa caſtra, quo & illum terrerent. & in fugam compellerent: vti pro voto accidit. Nam *Et fugerunt* omnes in campum alienigenarum, Græcè, *in terram* ad Syriam ditionem pertinentem. *Et Iudas reuerſus eſt ad ſpolia caſtrorum, &c.* Tunc licuit Iudæis per otium ſpolia hoſtilia legere, inter quæ præter aurum & argentum repererunt *hyacinthum.* id eſt, veſtes multas hyacinthinas violacei coloris, & purpuram non fictam ex vacciniis, & violis, ſed veram, nempè marinam ex oſtreis, ſed ex muricis ſanguine. Tyriam purpuram omnium præſtantiſſimam fuiſſe à Plinio lib. 4. cap. 39. didici. * Non cadat ſine pondere verbum illud verſiculi 17. *Non concupiſcatis ſpolia.* Cur nō dixit, Non colligatis, ſed *Non concupiſcatis!* Crediderim, quia ſi quis aliquid concupiſcat, difficile ſe ab eius acquiſitione continebit. Vt autem cohibeat opus ipſum concupiſcentiam cohibere curauit. Edocemur, prauos affectus omnino cohibendos à nobis eſſe, ſi velimus difficilius ad effectus prodire.]

Milites ad ſpolia incubare non debent antè victoriæ perfectionem.

Prauos affectus cohibe, ſi vis ad prauos affectus non prodire.

Verſ. 24. 25. 26. 27. Et conuerſi, hymnum canebant, &c. Reuerſi igitur è certamine ad propriam ſtationem, voce in altum ſublata, pro gratiarum actione de victoria, illud Pſalmi ce-

cinerunt : *Confitemini Domino quoniam bonus, &c.*

Beneficio cœleſti accepto, mox ad actionē gratiarum nobilis ſe accingit.

* Nobilis enim, ac fidelis animus, accepto cœlitus beneficio, nihil prius cogitat quam gratiarum actione exhibita, alius egregius donum promereri.] *Et facta eſt ſalus magna in Iſrael in die illa*, ſcilicet libertas, victoria, & incolumitas. *Quicumque autem alienigenarum euaſerunt : venerunt, & nunciauerunt Lyſia vniuerſa, qua acciderant.* * Ad referenda enim triſtes euentus, vel in extrema omnium ſtrage nunquam nuncius defuit, vt in Iobi apparuit incommodis. *Quibus ille auditis, conſternatus animo deficiebat, quod non qualia volmt, talia contigerunt in Iſrael, & qualia mandauit Rex.* * Adulationis incuſandus eſt Lyſias, quod non mœret de exercitus ſtrage, ſed quod Regis vota non potuit explere. O quam inhumana, quam crudelis eſt adulatio!]

Nunquam deeſt nuncius ad infortunia referenda.

Crudelis eſt adulatio aulicorum.

2. *Verſ.* 28.29.30.31.32.33. *Et ſequenti anno congregauit Lyſias virorum electorum ſexaginta millia, & equitum quinque millia, vt debellaret eos*, Iudæos ſcilicet. *Et venerunt in Iudaam, &c. Et viderunt exercitum fortem, & orauit, & dixit: Benedictus es Saluator Iſrael, qui contriuiſti impetum potentis*, Goliæ ſcilicet validi, ac robuſti bellatoris *in manu ſerui tui David : & tradidiſti caſtra alienigenarum in manu Ionatha filij Saul, & armigeri eius.* 1 Reg. 14. *Conclude* ſeu trade *exercitum iſtum in manu populi tui Iſrael: & confundantur in exercitu ſuo, & equitibus.* Licet ingentes Lyſias copias equitum, ac peditum exponat, ignominioſè tamen à paucis tuis militibus ſuperentur. *Da illis formidinem, & tabeſac audaciam virtutis eorum.* Diſſolue timore immiſſo, & compreſſis ſuperbis ſpiritibus, audaciam eorum, quam viribus ſuis præſidentes conceperunt. *Et commoueantur contritione ſua*, & omninò conteri, & ſciſſi deleantur. *Deijce illos gladio diligentium te, & collaudente omnes, qui nouerunt nomen tuum, in hymnis.*

Lyſiam Syriæ proregem vincit.

Verſ. 34.35.36.37. *Et commiſerunt prælium, & ceciderunt de exercitu Lyſia quinque millia virorum*, reliquibus in fugam datis. *Videns autem Lyſias fugam ſuorum, & Iudaorum audaciam, &c.* Pari itaque felicitate Iudas Lyſiam cum multo maioribus copiis cædit, fugat, ſternit. Neque armorum magis, quam ſacrorum Dux feliciſſimus poſt nobiliſſimas has victorias, interim dum copias ſuas Lyſias inſtaurat, ſatagit Templi loca, & abolitum Dei cultum inſtaurare. Deum vtique hac pia actione magis adhuc pronum opem ferendam ſuo exercitui reddens. * Ediſcant Principes poſt felicem belli ſucceſſum veram gratiarum actionem eſſe Templorum ornatui dona litare.]

Vera actio gratiarū pro felici belli ſucceſſu eſt, Templo dona litare.

3. *Verſ.* 38.39.40.41.42.43. *Et viderunt ſanctificationem deſertam*, id eſt Templum, quod ſancto conſtabat, & ſancto ſanctorum : *& altare prophanatum, & portas exuſtas : & in atrijs virgulta nata ſicut in ſaltu vel in montibus : & paſtophoria*, id eſt, Sacerdotum cubicula ad Templi latus, diruta. *Et ſciderunt veſtimenta ſua, &c. & exclamauerunt tubis ſignorum*, id eſt, quibus ſolebat ſignum dari vel in bello, vel in feſtis. Etſi confusè iam ſcirent, quam luctuoſus eſſet Templi ſtatus; tamen obiectæ oculis miſerabilis eius ſpecies, non potuere non fortiori affectu doloris documenta exponere. * Vndè elicio, operæ pretium eſſe, Principes, quæ audiunt circà Regni calamitates, pauperum oppreſſionem, populorum ruinas, agricolarum ex tributorum exactione omnimodam extinctionem, propriis oculis aſpicere, vt afflictorum miſereantur, & de medicamine tantæ ægritudini ſatagant prouidere.] *Tunc ordinauit Iudas viros, vt pugnarent aduerſus eos, qui erant in arce, donec emundarent ſancta*, ſi fortè erumpentes hoſtes, emundationem Templi impedire conarentur. *Et elegit Sacerdotes ſine macula*, qui ſcilicet non eſſent cæci, vel claudi, vel fracto aut collo, pede, vel manu, vti Leuitici lege præſcribitur. cap. 21. 17.) *voluntatem habentes in lege Dei*, ſeu legis obſeruandæ ſtudioſos. * Sacerdotes enim, qui huiuſmodi ſtudio non accenduntur, inutiles omninò ſunt cultui Dei promouendo.] *Et mundauerunt ſancta, & tulerunt lapides contaminationis*, ſeu ſimulachra idolorum contaminantia Templum, & aras lapideas in eorum cultum excitatas, *in locum immundum.* Locus hic erat torrens Cedron, ſiue conuallis Cedron, ſiue Topheth, vbi comburebantur immunda, & vſque ad cineres redigebantur. * Habes hinc, quonammodò animi tui Templum Domino præpares. Prius conſcientiæ mundandæ per pœnitentiam ſtude, vt poſtea ornatui virtutum operam impendas.]

Templum reprophanatum purgat Iudas, & Dei cultum inſtaurat.

Oportet Reges Regni calamitates propriis oculis aſpicere, vt efficacius de remedio prouideant.

Sacerdotes, vt Dei cultui promouendo ſint apti, debent eſſe legis obſeruationi ſtudioſi.

Animi Templum prius purgādum a vitiis, mox virtutibus ornandum.

Verſ. 44.45.46. *Et cogitauit de altari holocauſtorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret, &c.* Iudas tanquam Pontifex dubitauit, & in quæſtionem vertit, quid faciendum eſſet de altari holocauſtorum ab Eſdra, & aliis Sacerdotibus olim exædificato, ſed iam per ſtatuam Iouis Olimpij impoſitam fœde profanato, eluerentne illud, & mundarent, deincepſque eo vterentur, an omninò è Templo eliminarent? Poſt ſeriam verò conſultationem, cœlitus eis optimo conſilio immiſſo, decreuerunt, altare deſtruere; ne fortè eis cederet in opprobrium tam apud Deum, quam apud homines, quod tam fœde contaminato altari ad tam ſancta ſacrificia vterentur, quaſi ſumptui parcentes in re tam graui. Verum horrebant, ſemel Deo conſecratam Topheth loco ſpurco committere. Mediæ igitur viæ inſiſtunt: vt diſſoluti altaris lapides ponerent in loco ſacro ad id apto, nempe in angulo aliquo areæ vnius in Templo, vel etiam extra Templum, ſed in eodem monte Sion, in quo *domus* Dei ſeu Templum erat extructum. * Ediſce hinc, quanta nunc veneratio rebus longè ſacratioribus debeatur. v. g. altaribus Chriſtianorum, Sacerdotalibus veſtibus, calicibus, Cælitum reliquiis. Putarunt verò Iudas, & ſocij lapides iſtos tantiſper eo loci adſeruandos donec certius quid de illis reſponderetur per venturum Prophetam, quicumque is eſſet, qui primum à Deo mitteretur.

Quanta reuerentia ſacra ornamēta, & vaſa deceat.

Verſ. 47.48.49. *Et acceperunt lapides integros*, ſeu impolitos, quos ferrum non tetigit, *ſecundum legem* Exo. 20. 25. *Et ædificauerunt altare nouum, ſecundum illud, quod fuit prius : & ædificauerunt ſancta, & qua intra domum erant intrinſecus : & ædem, & atria ſanctificauerunt.* Interiora omnia ſanctuarij, & ſancti ſanctorum, & atria exteriora Templi conſecrarunt, emundarunt, dedicarunt. *Et fecerunt vaſa ſancta noua, & intulerunt candelabrum, & altare incenſorum, & menſam in Templum.* Candelabrum ſe-

peiceps

pticeps & auream menſam, in qua ſacri panes proponerentur Deo, in Templum intulere. Non ergò Salomonico more, qui dena candelabra, & denas menſas in Sanctuario poſuit) ſed Moſaico (qui non niſi vnum è ſingulis habebat) Templum hoc ſuum Iudæi inſtruxerunt.

Verſ. 50.51.52.53.54.55. *Et incenſum poſuerunt ſuper altare, & accenderunt lucernas, quæ ſuper candelabrum* ſeptiramum *erant, & lucebant in Templo. Et poſuerunt ſuper menſam panes, & appenderunt vela, & conſummauerunt omnia opera, quæ fecerant.** Non ſufficit rectè incipere, niſi opus ad perfectionem deducatur.] *Et ante matutinum ſurrexerunt quinto & vigeſimo die menſis noni (qui eſt menſis Caſleu.) centeſimi quadrageſimi octaui anni. Et obtulerunt ſacrificium ſecundum legem, ſuper altare holocauſtorum nouum, quod fecerunt. Secundum tempus, & ſecundum diem, in qua contaminauerunt illud Gentes: in ipſa renouatum eſt in canticis, & citharis, & cinyris, & in cymbalis. Et cecidit omnis populus in faciem: & adorauerunt, & benedixerunt in cælum eum, qui proſperauit eis.* Eodem protſus die, nempe 25. menſis noui Caſleu, qui noſtro Septembri reſpondet, quo cœpit profanatio Templi, & altaris per profana & idololatrica ſacrificia: eodem etiam deſiit vertente triennio. Nam *biennium*, cuius *cap.* 10.3. mentio fit, non reſpicit initium profanationis Templi, ſed initium Principatus Iudæ. Porrò innouatio hæc, ſeu noua Templi & altaris dedicatio facta fuit cum citharis, & cinyris muſicis inſtrumentis, quæ aliquando pro iiſdem ſumuntur, v.gr. 2. *Paral.* 9.11. vbi pro Græco *cinyras* Latinus vertit *citharas*. aliquando diſtinguuntur, vt hîc, & alibi.* Enimverò ſæpè audiſti, & legiſti, hoc nouum altare de nouo extructum conceptionis Deiparæ typum, expreſſiſſe. Nec enim Deo decens fuiſſet Agni ſui immaculati ſacrificium primum (Incarnationis) in altari offerri, quod vel per inſtans fuiſſet peccati originalis tabe profanatum. Huic vulgari iam conceptui addo nouam Eccleſiæ ſolemnitatem, qua celebratur Pontificis maximi Bulla, quæ aſſerit Eccleſiam ſub nomine feſti conceptionis colere, imo coluiſſe primum illud inſtans, quo anima beatiſſimæ Virginis ſacerrimo fuit infuſa corpori. Vt celebri plauſu ſurgant fideles colere conceptionis immaculatæ miſterium *ſecundum tempus & ſecundum diem*, id eſt, ſecundum primum illud inſtans, in quo contaminatum altare hoc ſacerrimum dicebatur à paucis.

Non ſufficit rectè incipere, niſi opus ad perfectionem deducatur.

In illo ipſo inſtanti, in quo nonnulli aſſerebant, contaminatũ fuiſſe Mariæ altare, explicat Pontifex celebrari debere feſtum immaculatæ conceptionis.

Verſ. 56.57.58.59.60.61. *Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocauſta cum lætitia, & ſacrificium ſalutis, & laudis*, ſeu ſacrificia pacifica, quæ in actionem gratiarum offerebantur. *Et ornauerunt faciem Templi coronis aureis, & ſcutulis.* Coronare Templa non eſt aliud, quàm frondibus illa contegere. Dicuntur autem coronæ aureæ, quia bracteolis aureis frondes illæ erant aſperſæ: vel quia inter frondes, vt etiam nunc fit, auri ſtridentis folia pendebant. Scutula autem illa crediderim fuiſſe ornamenta aliqua pendentia in facie Templi ſcuti formam habentia, & deaurata. Dedicauerunt itaque altare legitimis ſanctificationibus & benedictionibus. *Et portas, & paſtophoria, & impoſuerunt eis ianuas. Et facta eſt lætitia in populo magna valdè: & auerſum eſt opprobrium Gentium*, ſeu ſublatum dedecus; quia ſic res fuére reſtitutæ, vt non auderent amplius Gentiles fideli populo inſultare, quod Templum ab illis idololatrico cultu fuiſſet dehoneſtatum. *Et ſtatuit Iudas, & fratres eius, & vniuerſa Eccleſia Iſraël, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus ſuis ab anno in annum*, ſeu ſingulis annis. Hoc feſtum appellabant Encænia, ſeu renouationis ſolemne. *Et ædificauerunt in tempore illo montem Sion, &c.* Arcem præſidiariam conſtruxerunt in monte Sion ex oppoſito arcis hoſtilis (1. Mach. 1. 35.) Licet enim coërcuerit excurſionem præſidiariorum hoſtium Iudas interim, dum Templum repurgaretur, vt verſ. 41. vidimus: certum tamen non eſt, ipſum arce hoſtili potitum fuiſſe tunc temporis. Nam biennio poſt, nempe anno 150. Græcorum (vt cap. 6. 20. narratur) cœpit demùm illam obſidere: nec niſi poſt 23. annos, nempe 171. Græcorum ea arce Iudæi fuére potiti. Ergo ad compeſcendos hoſtes, ne more conſueto erumperent, & Templum infeſtarent, nouam hanc illis arcem Iudæi obiecerunt, fortè parte vna extimæ areæ Templi in eum vſum conuerſa, vti eodem cap. 6. 51. innuitur. *Et collocauit illic exercitum, vt ſeruarent eum, & muniuit eum*, (montem Sion) *ad cuſtodiendam Bethſuram, vt haberet populus munitionem contra faciem Idumææ.* Conſtruxit Iudas inſuper aliam munitionem contra Idumæos in Vrbe Bethſura quinto ſtadio ab Ieroſolymis, vbi intrà montium fauces, & anguſtias munitionem inſignem erexit. Copias ibidem præſidij cauſa collocauit, eidemque tuendo Bethſuram, vt præſidium populus aduerſus Idumæam haberet.

CAPVT

CAPVT V.

Idumæos Iudas & Ammonitas debellat: Iudæis laborantibus ſubuenit: Timothei exercitum ſemel & iterum vincit: Alióſque præclariſſimos refert triumphos.

1. ET factum eſt, vt audierunt Gentes in circuitu, quia ædifica-
tum eſt altare & ſanctuarium ſicut priùs, iratæ ſunt valdè:
2. & cogitabant tollere genus Iacob, qui erant inter eos, &
cœperunt occidere de populo, & perſequi. 3. Et debella-
bat Iudas filios Eſaù in Idumæa, & eos qui erant in Acraba-
thane, quia circumſedebant Iſraëlitas, & percuſſit eos pla-
ga magna. 4. Et recordatus eſt malitiam filiorum Bean,
qui erant populo in laqueum, & in ſcandalum, inſidiantes ei in via. 5. Et con-
cluſi ſunt ab eo in turribus, & applicuit ad eos, & anathematizauit eos, & incendit
turres eorum igni, cum omnibus qui in eis erant. 6. Et tranſiuit ad filios Ammon,
& inuenit manum fortem, & populum copioſum, & Timotheum ducem ipſo-
rum: 7. & commiſit cum eis prælia multa, & contriti ſunt in conſpectu eorum, &
percuſſit eos: 8. & cepit Gazer ciuitatem, & filias eius, & reuerſus eſt in Iu-
dæam. 9. Et congregatæ ſunt gentes quæ ſunt in Galaad, aduerſus Iſraëlitas
qui erant in finibus eorum, vt tollerent eos: & fugerunt in Datheman munitio-
nem, 10. & miſerunt litteras ad Iudam & fratres eius, dicentes: Congregatæ ſunt
aduerſum nos gentes per circuitum, vt nos auferant: 11. & parant venire, & oc-
cupare munitionem, in quam confugimus: & Timotheus eſt dux exercitus eo-
rum. 12. Nunc ergo veni, & eripe nos de manibus eorum, quia cecidit multitu-
do de nobis. 13. Et omnes fratres noſtri, qui erant in locis Tubin, interfecti
ſunt: & captiuas duxerunt vxores eorum, & natos, & ſpolia, & peremerunt illic
fere mille viros. 14. Et adhuc epiſtolæ legebantur, & ecce alij nuntij venerunt de
Galilæa conſciſſis tunicis, nuntiantes ſecundùm verba hæc: 15. dicentes conue-
niſſe aduerſum ſe à Ptolemaida, & Tyro, & Sidone: & repleta eſt omnis Galilæa
alienigenis, vt nos conſumant. 16. Vt audiuit autem Iudas, & populus, ſermo-
nes iſtos, conuenit Eccleſia magna cogitare quod facerent fratribus ſuis, qui in tri-
bulatione erant, & expugnabantur ab eis. 17. Dixítque Iudas Simoni fratri ſuo:
Elige tibi viros, & vade, & libera fratres tuos in Galilæa: ego autem & frater
meus Ionathas ibimus in Galaaditim. 18. Et reliquit Ioſephum filium Zachariæ,
& Azariam, duces populi, cum reſiduo exercitu in Iudæa ad cuſtodiam: 19. &
præcepit illis, dicens: Præſtote populo huic: & nolite bellum committere aduer-
ſum gentes, donec reuertamur. 20. Et partiti ſunt Simoni viri tria millia, vt iret
in Galilæam: Iudæ autem octo millia in Galaaditim. 21. Et abiit Simon in Gali-
læam, & commiſit prælia multa cum gentibus: & contritæ ſunt gentes à facie eius,
& perſecutus eſt eos vſque ad portam 22. Ptolemaidis: & ceciderunt de genti-
bus ferè tria millia virorum, & accepit ſpolia eorum. 23. Et aſſumpſit eos, qui
erant in Galilæa, & in Arbatis, cum vxoribus, & natis, & omnibus quæ erant
illis, & adduxit in Iudæam cum lætitia magna. 24. Et Iudas Machabæus & Iona-
thas frater eius tranſierunt Iordanem, & abierunt viam trium dierum per deſer-
tum. 25. Et occurrerunt eis Nabuthæi, & ſuſceperunt eos pacificè, & narraue-
runt eis omnia, quæ acciderant fratribus eorum in Galaaditide, 26. & quia multi
ex eis comprehenſi ſunt in Baraſa, & Boſor, & in Alimis, & in Caſphor, & Mageth,
& Carnaim: hæ omnes ciuitates munitæ, & magnæ. 27. Sed & in cæteris ciuita-
tibus Galaaditidis tenentur comprehenſi, & in craſtinum conſtituerunt admouere
exercitum ciuitatibus his, & comprehendere, & tollere eos in vna die. 28. Et
conuertit Iudas, & exercitus eius, viam in deſertum Boſor repentè, & occupauit
ciuitatem: & occidit omnem maſculum in ore gladij, & accepit omnia ſpolia eo-
rum, & ſuccendit eam igni. 29. Et ſurrexerunt inde nocte, & ibant vſque ad mu-
nitionem. 30. Et factum eſt diluculo, cùm eleuaſſent oculos ſuos, ecce populus
multus, cuius non erat numerus, portantes ſcalas & machinas, vt comprehende-

rent munitionem, & expugnarent eos. 31. Et vidit Iudas quia cœpit bellum, &
clamor belli aſcendit ad cælum ſicut tuba: & clamor magnus de ciuitate: 32. &
dixit exercitui ſuo: Pugnate hodie pro fratribus veſtris. 33. Et venit tribus ordi-
nibus poſt eos, & exclamauerunt tubis, & clamauerunt in oratione. 34. Et cog-
nouerunt caſtra Timothei quia Machabæus eſt, & refugerunt à facie eius: & percuſ-
ſerunt eos plagâ magnâ, & occiderunt ex eis in die illa ferè octo millia virorum.
35. Et diuertit Iudas in Maſpha, & expugnauit, & cepit eam: & occidit omnem
maſculum eius, & ſumpſit ſpolia eius, & ſuccendit eam igni. 36. Inde porrexit,
& cepit Casbon, & Mageth, & Boſor, & reliquas ciuitates Galaaditidis. 37. Poſt
hæc autem verba congregauit Timotheus exercitum alium, & caſtra poſuit contra
Raphon trans torrentem. 38. Et miſit Iudas ſpeculari exercitum: & renuntiaue-
runt ei, dicentes: Quia conuenerunt ad eum omnes gentes, quæ in circuitu noſtro
ſunt exercitus multus nimis: 39. & Arabas conduxerunt in auxilium ſibi, & ca-
ſtra poſuerunt trans torrentem, parati ad te venire in prælium. Et abiit Iudas ob-
uiam illis. 40. Et ait Timotheus principibus exercitus ſui: Cùm appropinquauerit
Iudas, & exercitus eius ad torrentem aquæ: ſi tranſierit ad nos prior, non poteri-
mus ſuſtinere eum quia potens poterit aduerſum nos. 41. ſi verò timuerit tranſi-
re, & poſuerit caſtra extra flumen, transfretemus ad eos, & poterimus aduerſus
illum. 42. Vt autem appropinquauit Iudas ad torrentem aquæ, ſtatuit ſcribas
populi ſecus torrentem, & mandauit eis, dicens: Neminem hominum reliqueritis:
ſed veniant omnes in prælium. 43. Et transfretauit ad illos prior, & omnis popu-
lus poſt eum; & contritæ ſunt omnes gentes à facie eorum, & proiecerunt arma ſua,
& fugerunt ad fanum, quod erat in Carnaim. 44. Et occupauit ipſam ciuitatem,
& fanum ſuccendit igni, cum omnibus qui erant in ipſo: & oppreſſa eſt Carnaim, &
non potuit ſuſtinere contra faciem Iudæ. 45. Et congregauit Iudas vniuerſos Iſ-
raëlitas, qui erant in Galaaditide, à minimo vſque ad maximum, & vxores eorum,
& natos, & exercitum magnum valdè, vt venirent in terram Iuda. 46. Et vene-
runt vſque Ephron: & hæc ciuitas magna in ingreſſu poſita, munita valdè, & non
erat declinare ab ea dextera vel ſiniſtra, ſed per mediam iter erat. 47. Et inclu-
ſerunt ſe qui erant in ciuitate, & obſtruxerunt portas lapidibus: & miſit ad eos
Iudas verbis pacificis, 48. dicens: Tranſeamus per terram veſtram, vt eamus
in terram noſtram: & nemo vobis nocebit: tantùm pedibus tranſibimus. Et nole-
bant eis aperire. 49. Et præcepit Iudas prædicare in caſtris, vt applicarent vnuſquiſ-
que in quo erat loco. 50. & applicuerunt ſe viri virtutis: & oppugnauit ciuita-
tem illam tota die, & tota nocte, & tradita eſt ciuitas in manu eius: 51. & pere-
merunt omnem maſculum in ore gladij, & eradicauit eam, & accepit ſpolia eius, &
tranſiuit per totam ciuitatem ſuper interfectos. 52. Et transgreſſi ſunt Iordanem
in campo magno, contra faciem Bethſan. 53. Et erat Iudas congregans extremos,
& exhortabatur populum per totam viam, donec venirent in terram Iuda. 54. Et
aſcenderunt in montem Sion cum lætitia & gaudio, & obtulerunt holocauſta, quod
nemo ex eis cecidiſſet, donec reuerterentur in pace. 55. Et in diebus, quibus erat Iu-
das & Ionathas in terra Galaad, & Simon frater eius in Galilæa contra faciem Ptole-
maidis, 56. audiuit Ioſephus Zachariæ filius, & Azarias princeps virtutis, res benè
geſtas, & prælia quæ facta ſunt, 57. & dixit: Faciamus & ipſi nobis nomen, & eamus
pugnare aduerſus gentes, quæ in circuitu noſtro ſunt. 58. Et præcepit his qui erant
in exercitu ſuo, & abierunt Iamniam. 59. Et exiuit Gorgias de ciuitate, & viri eius
obuiam illis in pugnam. 60. Et fugati ſunt Ioſephus & Azarias vſque in fines Iudææ:
& ceciderunt illo die de populo Iſraël ad duo millia viri, & facta eſt fuga magna in
populo: 61. quia non audierunt Iudam, & fratres eius, exiſtimantes fortiter ſe factu-
ros. 62. Ipſi autem non erant de ſemine virorum illorum, per quos ſalus facta eſt in
Iſraël. 63. Et viri Iuda magnificati ſunt valdè in conſpectu omnis Iſraël, & gentium
omnium vbi audiebatur nomen eorum. 64. Et conuenerunt ad eos fauſta acclaman-
tes. 65. Et exiuit Iudas, & fratres eius, & expugnabant filios Eſaü, in terra quæ ad Au-
ſtrum eſt, & percuſſit Chebron & filias eius: & muros eius & turres ſuccendit igni in
circuitu. 66. Et mouit caſtra vt iret in terram alienigenarum, & perambulat Sama-
riam. 67. In die illa ceciderunt Sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum
ſine conſilio exeunt in prælium. 66. Et declinauit Iudas in Azotum in terram alieni-
genarum, & diruit aras eorum, & ſculptilia deorum ipſorum ſuccendit igni: & cepit
ſpolia ciuitatum, & reuerſus eſt in terram Iuda.

COMMENTARII.

1\.

Idumæos, & Ammonitas debellat.

VERS. 1. 2. 3. *Et factum eſt, vt audierunt Gentes in circuitu, &c.* Idumæi, & Ammonitæ perpetui populi Dei hoſtes audierunt Templum à Iuda fuiſſe inſtauratum, nouumque altare ædificatum; ideoque iram maximam conceperunt. * Eſt etenim iniuria inimico, quidquid proſperum illi quem proſequitur odio, ſuccedit.] *Et cogitabant de medio tollere genus Iacob*, (nempe Iudæos omninò delere) *qui erant inter eos, & cœperunt occidere de populo, & perſequi.* Intendentes igitur omnes Iudæos comminuere, cœperunt ab eis, qui ob vicinitatem apud eos negotiationis, vel ſimilis rei cauſa commorabantur. *Et debellabat Iudas filios Eſau in Idumæa, & eos, qui erant in Acrabathane, &c.* Acrabathane, ſeu Acrabata erat Vrbs vna ex vndecim Iudææ toparchiis ſorte tertia, terminus Samariæ. Iudas ergo Idumæos Eſau poſteros bello acri premebat, eo quod circumſedebant, ſeu obſidebant Iſraëlitas iurati illorum hoſtes.

Eſt iniuria inimico, quidquid proſperum ei, quem odit, ſuccedit.

Verſ. 4. 5. 6. 7. 8. Et recordatus eſt malitiam filiorum Bean, &c. Qui ſint filij Bean obſcurum eſt, cum hoc tantum loco eorum in ſcriptura mentio fiat. Crediderim Idumæos eſſe. Reddit namque ſacer textus rationem, cur Iudas debellare ſtuduerit Idumæos, nempè quia memoriæ retinebat horum malitioſum aſtum, quo Iudæis viatoribus inſidias ſtatuebant. *Et concluſi ſunt ab eo in turribus, &c.* Fugientes Idumæi Iudæ impetum ad arces, ac turres ſeſe receperunt, ſed inibi eos igne ſuccendit. *Anathematizauit eos* ait, id eſt, penitus deſtruxit. Hebræi *anathema* חרם *cherem* vocitant, id eſt, *occiſionem, perditionem, exciſionem.* * Vt norint illi, qui Eccleſiæ anathemate percutiuntur, quanto excidio ſubiaceant.] *Et tranſiuit ad filios Ammon, &c. & cepit Gazer Ciuitatem*, in Græco eſt *ιαζὴρ*, de qua *Ioſue* 13. 24. & videtur diſtincta à Gazer, quæ eſt cis Iordanem in Tribu Ephraim cum Iazer ſit in Tribu Gad. *& filias eius*, cepit & Oppida Iazer ſubiecta: *& reuerſus eſt in Iudæam.*

Magno ſubiacent excidio, qui Eccleſiæ anathemate percutiuntur.

2\.

Iudæis laborantibus ſubuenit Timothei bis profligans copias.

Verſ. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Et congregatæ ſunt Gentes, quæ ſunt in Galaad, aduerſus Iſraelitas, qui erant in finibus eorum, vt tollerent eos, & fugerunt, vt euaderent primum hoſtium impetum, *in Datheman munitionem*, ſeu in locum munitiſſimum, qui erat in monte Galaad inter Boſor & Maſpha. *Et miſerunt litteras ad Iudam, & fratres eius, dicentes: Congregatæ ſunt aduerſum nos Gentes per circuitum, vt nos auferant: & parant venire, & occupare munitionem* Datheman, *in quam confugimus: & Timotheus eſt Dux exercitus eorum*, qui ſæpè à vobis ſuperatus, fortior ad famam reſarciendam inſurgit. *Nunc ergo* ô Iuda fortiſſime, *veni*, & eripe nos de manibus eorum, quia cecidit multitudo de nobis, ſeu multi è noſtris cæſi fuerunt ab hoſtibus, vnde ſi cum eis decertare velimus, non tam ad bellum, quam ad iugulum procedemus. *Et omnes fratres noſtri, qui erant in locis Tubin, interfecti ſunt, &c.* Pro *locis Tubin* eſt in Græco *locis Tobiæ.*

Verſ. 15. 16. 17. Et adhuc epiſtolæ legebantur, & ecce alij nuncij venerunt de Galilæa conciſſis tunicis nunciantes ſecundum verba hæc. ſiue referentes quæ ſequuntur. *Dicentes* vtique, *conueniſſe aduerſum ſe à Ptolemaida, & Tyro, & Sidone* Gentes: *& repleta eſt omnis Galilæa alienigenis, vt nos conſummant. Vt audiuit autem Iudas & populus ſermones iſtos: conuenit Eccleſia magna*, ſeu ingens congregata eſt procerum & ſenum, ſiue magnatum concio, aut conuentus, *cogitare* ſeu conſultare, *quid facerent fratribus ſuis, qui in tribulatione erant, & expugnabantur ab eis*, ſeu ab hoſtibus illis oppugnabantur. *Dixitque Iudas Simoni fratri ſuo: Elige tibi viros, & vade, &c.*

Verſ. 18. 19. 20. 21. 22. 23. Et reliquit Ioſephum filium Zachariæ, &c. Et partiti ſunt (paſſiuè ſumitur ex Græco) *Simoni viri tria millia, vt iret in Galilæam: Iudæ autem octo millia*, vt iret *in Galaaditim*, cum pluribus hoſtibus bellaturus, ideo plures ſibi milites addixit. *Et abiit Simon in Galilæam, &c. Et aſſumpſit eos, qui erant in Galilæa, & in Arbatis cum vxoribus, & natis, & omnibus, quæ erant illis, & adduxit in Iudæam cum lætitia magna.* Quæ ſint Arbata non ſatis liquet. Putarim tamen, eſſe oppidum, aut regiunculam Galilææ. Vnde fortaſsè oriundus fuit Abialbon Albathites vnus de Dauidis fortibus 2. Reg. 23. 31.

Verſ. 25. 26. 27. 28. 29. 30. Et Iudas Machabæus & Ionathas frater eius tranſierunt Iordanem & abierunt viam trium dierum per deſertum, quod ſolitudo Boſor dicebatur ab hac Ciuitate, quæ illic eſt ſita. *Et occurrerunt eis Nabuthæi, &c. & quia multi ex eis comprehenſi ſunt in Baraſa, & Boſor, & in Alimis, & in Caſphor, & Mageth, & Carnaim: hæ omnes Ciuitates munitæ & magnæ* Galaditis regionis. *Sed & in cæteris Ciuitatibus Galaaditidis tenentur comprehenſi &c.* Iudæi illi obſeſſi, cincti, & quaſi capti tenebantur ab hoſte in Baraſa, Græcè in *Boſra*, Sic vocatur *Ierem.* 48. 24) & in aliis præfatis Vrbibus, ne poſſent exire, vel fugere: & iam de eorum interfectione hoſtes cogitabant. *Et conuertit Iudas & exercitus eius viam in deſertum Boſor repentè, &c.* Boſor Ciuitas erat Moabitarum trans Iordanem in Tribu Ruben, ſed Leuitis donata Ioſ. 20. 8. *Et ſurrexerunt inde nocte, & ibant vſque ad munitionem.* Vrbe Boſor capta & ſuccenſa ſuccurrit Iudas periclitantibus Iſraëlitis in munita arce exiſtentibus ei loco vicina: vt inibi ſe ab hoſtibus tutarentur. *Et factum eſt diluculo, cum eleuaſſent oculos ſuos, ecce populus multus, &c.*

Verſ. 31. 32. 33. 34. 35. 36. Et vidit Iudas, quia cœpit bellum, & clamor belli aſcendit ad cælum ſicut tuba, &c. Clamor hoſtium obſidentium munitionem, & Iudæorum obſeſſorum clamor ſimul auditur, & munitio expugnari incipiebat. Tunc fortiſſimus Iudas ſuum direxit exercitum, vt fratribus pugnax ſubueniret oppreſſis. * Non dixit: Pugnate hodie pro ſpoliis diripiendis, ſed *Pugnate pro fratribus.* Hoc ſit catholici Ducis ſtudium, Regnum defendere, protegere ciues, quibus velut fratribus debet ſuccurrere.] *Et venit tribus ordinibus poſt eos, &c.* Militibus per tria diuerſa loca diſpoſitis, irruit in hoſtes, clamans non ſolis tubis, ſed & oratione, alta voce opem diuinam implorans. * Oratio enim potentior eſt quam gladius

Catholici militis primum ſit ſtudium Regnū defendere ciuibus velutī fratribus ſuccurrere.

Oratio fortior eſt ad hoſtes ſuperādos, quam bellica tormenta.

dius & tormenta bellica ad hoſtes ſuperandos.] *Et cognouerunt caſtra Timothei, quia Machabæus eſt* Iudas, qui Iudæos defenderet: *& refugerunt à facie eius*: & Iudæ milites *percuſſerunt eos*, nempe Timothei acies *plaga magna, & ceciderunt ex eis in die illa fere octo millia virorum. Et diuertit Iudas in Maſpha* in terra Moab, in Tribu Ruben: *& expugnauit, & cepit eam: & occidit omnem maſculum eius & ſumpſit ſpolia eius, & ſuccendit eam igni. Inde perrexit, & cepit Caſbon,* (Græcè *Caſpor*) *& Mageth, & Boſor, & reliquas Ciuitates Galaaditidis.*

Verſ. 37. 38. 39. *Poſt hæc autem verba,* ſeu poſt tam illuſtrem Iudæ victoriam, *congregauit Timotheus exercitum alium, & caſtra poſuit contrà Raphon trans torrentem.* Timotheus Ammonitarum dux, inſtaurato rurſus exercitu, caſtra collocat è regione Vrbis Raphon trans torrentem, qui Vrbem alluit, qui quidem torrens verſ. 41. *flumen* vocatur, ſic Lucianus lib. 9. fluuium Nilum torrentem vocat. *Et miſit Iudas ſpeculari exercitum, &c.*

Verſ. 40. 41. 42. 43. 44. 45. *Et ait Timotheus Principibus exercitus ſui: Cum appropinquauerit Iudas, & exercitus eius ad torrentem aquæ; ſi tranſierit ad nos prior non poterimus ſuſtinere eum, &c.* Porrò ex traiectu torrentis, ſeu fluminis omen Timotheus captat. Si tranſierit (fatur) Iudas flumen prior, & ad nos impugnandos vltro accurrerit, ſignum erit, quod nos non timeat quaſi fortior nobis: ac proinde præualebit nobis vtique infirmioribus. Sin verò tranſire formidauerit, nobis obiiciet infirmitatis exercitus documentum, vnde tranſmeato flumine ad eum debellandum accurremus. *Vt autem appropinquauit Iudas ad torrentem aquæ, ſtatuit ſcribas populi ſecus torrentem, &c.* Conſtitutis ſcribis, ſeu præfectis militaribus, qui deſcriptos habebant ſinguli ſuos milites cum mandato, ne quis militum relinqueretur in caſtris, & abeſſet à pugna iam iam inſtante, in felix omen hoſtibus exhibuit. Nam *& transfretauit ad illos prior, & omnis populus poſt eum; & contrita ſunt omnes* illæ *Gentes à facie eorum, &c. Et occupauit ipſam Ciuitatem, & fanum* idolorum *ſuccendit igni cum omnibus, qui erant in ipſo.* * Sic protegunt idola ſuos aſſeclas ad eos confugientes.] *Et oppreſſa eſt Carnaim, & non potuit ſuſtinere contra faciem Iudæ. Et congregauit Iudas vniuerſos Iſraëlitas, qui erant in Galaditide à minimo vſque ad maximum, &c.* Omnes Iſraëlitas, qui Galaaditidem incoluerant, inde in Iudæam Iudas tranſtulit. Qui ibi minus tuti degerent ob Philiſthæorum, aliorumque Gentilium viciniam. Neque enim poterant Iudæi tam vaſtæ regioni, & à Iudæa remotæ præſidio tunc eſſe fratribus, cum numero eſſent admodum exiguo, & Vrbes Galilææ ſimul & vici 204. recenſerentur (teſte Ioſepho in vita ſua) quorum minimus contineret incolas pluſquam quindecim millia. * Quid pauculi Iſraëlitæ facerent inter, & contra tot hoſtes, ſi vel vnus inteſtinus hoſtis vel æmulus ſufficiens eſt in Vrbe vt quindecim millia pacifici incolæ haud ſine exitij periculo victitent?]

Diabolus ſuos protegit, eos occiſioni dando.

Vel vnus hoſtis, vel malè affectus in Vrbe poteſt multis pacificis ciuibus timorem exitij incutere.

Verſ. 46. 47. 48. 49. 50. 51. *Et venerunt vſque Ephron, &c. Tranſeamus per terram veſtram, vt eamus in terram noſtram: & nemo vobis nocebit: tantum pedibus tranſibimus,* rectà iter facientes, nec in aliud intenti. *Et nolebant eis aperire. Et præcepit Iudas prædicare in caſtris*, ſeu per præconem edici, *vt applicarent vnuſquiſque in quo erant loco*, ſeu vt vnuſquiſque inuaderet. *Et applicuerunt ſe viri virtutis* (Hiſpanè dixeris, *Acometieron los hombres de valor.*) *& oppugnauit* Iudas *Ciuitatem illam tota die, & tota nocte, &c.* Quomodò eradicauit vrbem, ſi nec eam ſubuertit, nec fœminas gladio addixit? Certè quia omnibus maſculis, qui ſtirpem renouarent ferro erant ſublati. * Et quia ſine viris Ciuitas iam exciſa eſſe videbatur. Vel innumeræ enim mulieres ad regimen aut munimen Vrbis quaſi non ſint. Vndè Ciuitas plena mulieribus ſi viri non adſint, ſola ſedet: vt poſſint vicini inclamitare. *Quomodo ſedet ſola Ciuitas plena mulieribus.*]

3.
Alios prælatores refert triūphos.

Ciuitas plena fœminis, ſi viri non adſit, vacua eſt omninò, & iam non Ciuitas.

Verſ. 52. 53. 54. *Et tranſgreſſi ſunt Iordanem in campo magno contrà faciem Bethſan.* Hic campus magnus eſt cis Iordanem reſpectu Iudææ, & Hebraicè vocatur *Aulon*, alias *vallis* ſylueſtris, quam poſt Sodomæ incendium maiori ex parte mare Mortuum cooperuit. *Et erat Iudas congregans extremos, &c.* Prouidum Ducem ſe Iudas gerebat, dum extremos agminis congregabat, ne qui fortè præ ignauia, fatigatione, vel infirmitate in tāta multitudine, etiam feminarum, & puerorum à reliquo agmine deuiaret, & ſic hoſtibus præda fieret. Et pium ſe parentem exhibuit opportunis adhortationibus addens animos populo, vt alacriter procederet. * Vnde habes bonum decere Principem, vt non ſolùm cunctis ſubditis in communi, ſed ſingulis etiam in particulari prouideat.]

Bonus Princeps, non ſolùm omnibus ſubditis in communi, ſed & ſingulis in particulari prouidet.

Verſ. 55. 56. 57. *Et aſcenderunt in montem Sion cum lætitia, & gaudio, & obtulerunt holocauſta, &c.* * Poſt beneficium à Deo acceptum, mox fidelis animus ad gratiarum actionem ſe debet accingere.] * *Holocauſta* (ait) *obtulerunt.* Optima enim actio gratiarum eſt, quæ non tam verbis, quam piis operibus eleemoſynæ &c. exhibetur.] *Et in diebus, quibus erat Iudas, &c. audiuit Ioſephus Zachariæ filius, & Azarias Princeps virtutis*, ſeu exercitus, *res bene geſtas, & prælia, quæ facta ſunt.* Ioſephus & Azarias Principes exercitus in Iudæa relicti Machabæorum gloriæ, quæ omnium linguis longè lateque celebrabatur æmuli aſſurgunt. *Et dixit* eorum vnus alteri: *Faciamus & ipſi nos nobis nomen, & eamus pugnare aduerſus Gentes, quæ in circuitu noſtro ſunt.*

Poſt beneficium mox actio gratiarum inſtat.

Optima gratiarum actio non tam verbis, quā piis operibus exhibetur.

Verſ. 58. 59. 60. 61. 62. *Et præcepit*, ſeu Ioſephus, ſeu Azarias iis, *qui erant in exercitu ſuo, & abierunt Iamniam*, vbi aderat Gorgias. *Et exiuit Gorgias de Ciuitate, & viri eius obuiam in pugnam. Et fugati ſunt Ioſephus, & Azarias vſque in finem Iudææ: & ceciderunt illo die de populo Iſrael ad duo millia viri; & facta eſt fuga magna in populo: quia non audierunt Iudam, & fratres eius*, qui imperauerant eis, ne ad bella procederent, donec ipſi reuerterentur.] *exiſtimantes, fortiter ſe facturos.* Illud preme: *Et facta eſt fuga magna in populo.* Quaſi diceret, Facta eſt magna cædes, vel ſciſſio in exercitu. Fugæ enim ſe dare milites magis eſt turpe, quam ſi cuncti gladio ſe traderent.] Porrò Iamnia Ciuitas eſt maritima in Tribum Dan, quam propè Ioppen Adrichominus collocat. Hanc vrbem tenebat Gorgias quem ſcriptura 2. Mach. 8. 9. belli ſcientiſſimum appellat. *Ipſi*

Fugere exercitū turpius eſt, & dirius, quam occidi.

autem non erant de ſemine virorum illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael. Non erant ex Machabæorum familia, quam Dominus elegerat, vt per eam ſalus populo fideli contingeret. Simile factum leges in omnia apud Ioſephum lib. 13. Antiq. cap. 6. * O quam multi ſeſe ingerunt hodie in quæuis officia ad quidliber in quolibet vitæ ſtatu per fas, nefaſque audendum! Non miremur itaque tam infauſtos ſubinde ſucceſſus.] * Præcipuè quidem quæ contra obedientiæ præſcriptum geruntur, infeliciter terminantur.]

Infauſtus ſucceſſus ſequitur eos, qui ſe temerè muneri ingerunt.

Infeliciter terminantur, quæ ex inobedientia aguntur.

Verſ. 63. 64. 65. 66. 67. 68. Et viri Iuda magnificati ſunt valdè in conſpectu omnis Iſraël, &c. (In Græco eſt, *Et Iudas & fratres eius*) *Et conuenerunt ad eos fauſta acclamantes, &c.* Porrò damna accepta ex Ioſephi & Azariæ imprudenti expeditione breui Iudas reſarciuit expugnans filios Eſau Idumæorum reliquias. Chebron Ciuitas eſt in montanis Idumææ, quam tempore illo Idumæi tenebant. *Et mouit caſtra, vt iret in terram alienigenarum, & perambulabat Samariam.* Præterea Iudas expugnauit Philiſthæos & Samaritas, alióſque Iſraëlitarum hoſtes re ipſa complens, quæ tot ante annis de illorum per Iudæos excidio Abdias cap. 1. & Sophonias cap. 2. prædixerant. *In die illa ceciderunt Sacerdotes in bello, &c.* In expeditione illa aduerſus Samaritas ceciderunt aliqui Sacerdotes ſocij, & æmuli Iudæ, dum ſine conſenſu ducis ſui in prælium exierunt. * Plerumque temeritas, & ſtulta virium præfidentia aſſolet eſſe infelix: inobedientia verò infeliciſſima] Scio, nonnullos putare hos Sacerdotes eſſe Ioſephum, & Azariam, de quibus verſic. 56. Sed hiſtoricam hanc narrationem diuerſos eſſe probare crediderim. *Et declinauit Iudas in Azotum in terram alienigenarum,* Azotum erat vna ex quinque Satrapiis Philiſthæorum, quos hîc alienigenas vocitauit.

CAPVT VI.

Antiochus Epiphanes cognita Lyſiæ clade, mærore affectus mortem incurrit: cui Antiochus Eupater ſuccedit. Iudas arcem Ieroſolymitanam obſidet, qua ſoluta, obuiam it Regi, cum quo feliciter decertat. Eleazarus confodit elephantem. Arx Ieroſolymitana penè Regi ſe dedit, ſed Rex auocatus in Syriam ſoluit obſidionem, & pacem cum Iudæis init.

1. ET rex Antiochus perambulabat ſuperiores regiones, & audi-
uit eſſe ciuitatem Elymaidem in Perſide nobiliſſimam, & co-
pioſam in argento & auro, 2. templúmque in ea locu-
ples valdè: & illic velamina aurea, & loricæ, & ſcuta, quæ
reliquit Alexander Philippi rex Macedo, qui regnauit pri-
mus in Græcia. 3. Et venit, & quærebat capere ciuita-
tem, & deprædari eam: & non potuit, quoniam innotuit ſer-
mo his qui erant in ciuitate: 4. & inſurrexerunt in prælium, & fugit inde, &
abiit cum triſtitia magna, & reuerſus eſt in Babyloniam. 5. Et venit qui non-
tiaret ei in Perſide, quia fugata ſunt caſtra, quæ erant in terra Iuda: 6. & quia
abiit Lyſias cum virtute forti in primis, & fugatus eſt à facie Iudæorum, & inualue-
runt armis, & viribus, & ſpoliis multis, quæ ceperunt de caſtris, quæ excide-
runt: 7. & quia diruerunt abominationem, quam ædificauerat ſuper altare,
quod erat in Ieruſalem, & ſanctificationem, ſicut priùs, circumdederunt muris
excelſis, ſed & Bethſuram ciuitatem ſuam. 8. Et factum eſt vt audiuit rex ſermo-
nes iſtos, expauit, & commotus eſt valdè: & decidit in lectum, & incidit in lan-
guorem præ triſtitia, quia non factum eſt ei ſicut cogitabat. 9. Et erat illic per
dies multos: quia renouata eſt in eo triſtitia magna, & arbitratus eſt ſe mori.
10. Et vocauit omnes amicos ſuos, & dixit illis: Receſſit ſomnus ab oculis meis,
& concidi, & corrui corde præ ſolicitudine: 11. & dixi in corde meo: In quan-
tam tribulationem deueni, & in quos fluctus triſtitiæ, in qua nunc ſum: qui iucun-
dus eram, & dilectus in poteſtate mea? 12. Nunc verò reminiſcor malorum,
quæ feci in Ieruſalem, vnde & abſtuli omnia ſpolia aurea & argentea, quæ erant in
ea, & miſi auferre habitantes Iudæam ſine cauſa. 13. Cognoui ergo quia propte-
reà inuenerunt me mala iſta: & ecce pereo triſtitia magna in terra aliena. 14. Et
vocauit Philippum, vnum de amicis ſuis, & præpoſuit eum ſuper vniuerſum reg-
num ſuum: 15. & dedit ei diadema, & ſtolam ſuam, & annulum, vt adduceret
Antiochum filium ſuum, & nutriret eum, & regnaret. 16. Et mortuus eſt illic
Antiochus rex, anno centeſimo quadrageſimo nono. 17. Et cognouit Lyſias quo-

niam

niam mortuus eſt rex, & conſtituit regnare Antiochum filium eius, quem nutriuit
adoleſcentem: & vocauit nomen eius Eupator. 18. Et hi qui erant in arce, con-
cluſerant Iſraël in circuitu ſanctorum: & quærebant eis mala ſemper, & firmamen-
tum Gentium. 19. Et cogitauit Iudas diſperdere eos: & conuocauit vniuerſum
populum, vt obſiderent eos. 20. Et conuenerunt ſimul, & obſederunt eos, an-
no centeſimo quinquageſimo, & fecerunt baliſtas & machinas. 21. Et exie-
runt quidam ex eis qui obſidebantur, & adiunxerunt ſe illis aliqui impij ex Iſraël.
22. & abierunt ad regem, & dixerunt: Quouſque non facis iudicium, & vindicas
fratres noſtros? 23. Nos decreuimus ſeruire patri tuo, & ambulare in præceptis
eius, & obſequi edictis eius: 24. & filij populi noſtri propter hoc alienabant ſe à
nobis, & quicumque inueniebantur ex nobis, interficiebantur, & hereditates no-
ſtræ diripiebantur. 25. Et non ad nos tantùm extenderunt manum, ſed & in om-
nes fines noſtros. 26. & ecce applicuerunt hodie ad arcem Ieruſalem occupare
eam, & munitionem Bethſuram munierunt: 27. & niſi præueneris eos velo-
ciùs, maiora quàm hæc facient, & non poteris obtinere eos. 28. Et iratus eſt rex,
vt hæc audiuit: & conuocauit omnes amicos ſuos, & principes exercitus ſui, &
eos qui ſuper equites erant. 29. ſed & de regnis alijs, & de inſulis maritimis,
venerunt ad eum exercitus conductitij. 30. Et erat numerus exercitus eius, cen-
tum millia peditum, & viginti millia equitum, & elephanti trigintaduo, docti ad
prælium. 31. Et venerunt per Idumæam, & applicuerunt ad Bethſuram, & pug-
nauerunt dies multos, & fecerunt machinas; & exierunt, & ſuccenderunt eas igni,
& pugnauerunt viriliter. 32. Et receſſit Iudas ab arce, & mouit caſtra ad Beth-
zacharam contra caſtra regis. 33. Et ſurrexit rex ante lucem, & concitauit exer-
citus in impetum contra viam Bethzacharam: & comparauerunt ſe exercitus in
prælium, & tubis cecinerunt: 34. & elephantis oſtenderunt ſanguinem vuæ &
mori, ad acuendos eos in prælium: 35. & diuiſerunt beſtias per legiones: &
aſtiterunt ſingulis elephantis mille viri in loricis concatenatis, & galeæ aereæ in ca-
pitibus eorum: & quingenti equites ordinati vnicuique beſtiæ electi erant. 36. Hi
ante tempus vbicumque erat beſtia, ibi erant: & quocumque ibat, ibant, & non di-
ſcedebant ab ea. 37. Sed & turres ligneæ ſuper eos firmæ protegentes ſuper ſingu-
las beſtias: & ſuper eas machinæ: & ſuper ſingulas viri virtutis trigintaduo, qui pu-
gnabant deſuper, & Indus magiſter beſtiæ. 38. Et reſiduum equitatum hinc & in-
de ſtatuit in duas partes, tubis exercitum commouere, & perurgere conſtipatos in
legionibus eius. 39. Et vt refulſit ſol in clypeos aureos, & æreos, reſplenduerunt
montes ab eis, & reſplenduerunt ſicut lampades ignis. 40. Et diſtincta eſt pars
exercitus regis per montes excelſos, & alia per loca humilia: & ibant cautè & ordi-
natè. 41. Et commouebantur omnes inhabitantes terram à voce multitudinis, &
inceſſu turbæ, & colliſione armorum: erat enim exercitus magnus valdè, & fortis.
42. Et appropiauit Iudas, & exercitus eius in prælium: & ceciderunt de exercitu
regis ſexcenti viri. 43. Et vidit Eleazar filius Saura vnam de beſtijs loricatam lori-
cis regis: & erat eminens ſuper ceteras beſtias, & viſum eſt ei quod in ea eſſet rex:
44. & dedit ſe vt liberaret populum ſuum, & acquireret ſibi nomen æternum.
45. Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens à dextris & à ſini-
ſtris, & cadebant ab eo huc atque illuc. 46. Et iuit ſub pedes elephantis, & ſuppo-
ſuit ſe ei, & occidit eum: & cecidit in terram ſuper ipſum, & mortuus eſt illic.
47. Et videntes virtutem regis, & impetum exercitus eius, diuerterunt ſe ab eis.
48. Caſtra autem regis aſcenderunt contra eos in Ieruſalem, & applicuerunt caſtra
regis ad Iudæam & montem Sion. 49. Et fecit pacem cum his qui erant in Beth-
ſura: & exierunt de ciuitate, quia non erant eis ibi alimenta concluſis, quia ſabbata
erant terræ. 50. Et comprehendit rex Bethſuram: & conſtituit illic cuſtodiam
ſeruare eam. 51. Et conuertit caſtra ad locum ſanctificationis dies multos: & ſta-
tuit illic baliſtas, & machinas & ignis iacula, & tormenta ad lapides iactandos, &
ſpicula, & ſcorpios ad mittendas ſagittas, & fundibula. 52. Fecerunt autem & ipſi
machinas aduerſus machinas eorum, & pugnauerunt dies multos. 53 Eſcæ au-
tem non erant in ciuitate, eo quod ſeptimus annus eſſet: & qui remanſerant in Iu-
dæa de Gentibus, conſumpſerant reliquias eorum, quæ repoſitæ fuerant. 54. Et
remanſerunt in ſanctis viri pauci, quoniam obtinuerat eos fames: & diſperſi ſunt
vnuſquiſque in locum ſuum. 55. Et audiuit Lyſias quod Philippus, quem conſti-
tuerat rex Antiochus, cum adhuc viueret, vt nutriret Antiochum filium ſuum, &

Y 3 regnaret,

regnaret, 56. reuerſus eſſet à Perſide, & Media & exercitus qui abierat cum ipſo, & quia quærebat ſuſcipere regni negotia: 57. feſtinauit ire, & dicere ad regem, & duces exercitus: Deficimus quotidie, & eſca nobis modica eſt, & locus, quem obſidemus, eſt munitus, & incumbit nobis ordinare de regno. 58. Nunc itaque demus dextras hominibus iſtis, & faciamus cum illis pacem, & cum omni gente eorum: 59. & conſtituamus illis vt ambulent in legitimis ſuis ſicut priùs, propter legitima enim ipſorum, quæ deſpeximus, irati ſunt, & fecerunt omnia hæc. 60. Et placuit ſermo in conſpectu regis & principum: & miſit ad eos pacem facere, & receperunt illam. 61. Et iurauit illis rex, & principes: & exierunt de munitione. 62. Et intrauit rex montem Sion, & vidit munitionem loci: & rupit citiùs iuramentum, quod iurauit: & mandauit deſtruere murum in gyro. 63. Et diſceſſit feſtinanter, & reuerſus eſt Antiochiam, & inuenit Philippum dominantem ciuitati: & pugnauit aduerſus eum, & occupauit ciuitatem.

COMMENTARII.

1.
Antiochus Epiphanes, audita Lyſiæ clade, ex mœrore morbum, & mortem incurrit.

VERS. 1.2.3.4. *Et Rex Antiochus perambulabat ſuperiores regiones, &c.* Interim dum Iudas Machabæus victoriis potitur in Iudæa & vicinis regionibus, Rex Antiochus Epiphanes regiones Perſidis circuebat. Cuius primariam Vrbem Elimaidam (2. *Mach.* 9. *Perſepolim*, id eſt, Perſidis *Vrbem*) & in ea Templum Veneri, more Perſico, ſacrum, expilare tentabat. Sed Perſis arma in eum vertentibus, re infecta, mœrore affectus inde in Babylonem aufugit.

Verſ. 5.6.7.8.9. Et venit, qui nunciaret ei in Perſide, &c. Priuſquam è Perſide diſcederet, certior eſt factus de infelici exercitus, quem ſub Lyſiam reliquerat in Iudæa, ſucceſſu. *Et quia diruerunt abominationem*, ſeu idolum Iouis Olimpij in Sacro Ieroſolymæ Templo collocatum, *quam ædificauerat ſuper altare, quod erat in Ieruſalem: & ſanctificationem ſicut prius circumdederunt muris excelſis, ſed & Bethſuram Ciuitatem ſuam*, id eſt, Ciuitatem Antiochi, quam ſcilicet anteà ipſe occupauit, recuperarunt, & munierunt. *Et factum eſt, vt audiuit Rex ſermones iſtos, expauit, & commotus eſt valde: & decidit in lectum, & incidit in languorem præ triſtitia, quia non factum eſt ei, ſicut cogitabat.* Dum languoris cauſa hîc affertur triſtitia non excluduntur aliæ plagæ, & dolores horribiles diuinitus inflicti, quorum fit mentio 2. Mach. 9. 5.

Magna triſtitia omnium dolorum ſuperat diritatem.

* Imo vt Sacer hiſtoriographus vnico verbo exprimeret horribiles Antiocho inflictas fuiſſe plagas & dolores, dixit fuiſſe mœrore affectum. Magna enim triſtitia omnium dolorum ſuperat diritatem.

Verſ. 10.11.12.13. Et erat illic per dies multos, &c. Erat illic, id eſt, in lecto, cui in medio in itinere affixus eſt, nec enim iactationem ferre poterat, & iter verſus Babylonem proſequi. Licet enim textus aſſerat reuerſum eſſe *in Babylonem*, in Græcò habetur, *vt reuerteretur*, neque enim peruenit in Babylonem, cum 2. Mach. 9. 28. dicatur, *Peregrè in montibus vita functus.* Dum autem eſſet *illic* langore correptus renouata eſt in eo triſtitia magna, ſcilicet ex conſcientia admiſſorum ſcelerum, & imminentium tormentorum prægustatione. Suſpicatus itaque eſt, hunc morbum ſibi fore lethalem, *Et vocauit omnes amicos ſuos, & dixit illis: Receſſit ſomnus ab oculis meis, & concidi, & corrui corde præ ſollicitudine*, concidi animo, & magna triſtitia premor. *Et dixi in corde meo* dum in ſomnis quereret: *In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus triſtitiæ, in qua nunc ſum? qui iucundus eram, & dilectus in poteſtate mea*; qui lætus eram & benignus: ſic Græcè in dominatione mea. * *Benignus* idem eſt, quod *dilectus*? Ita quidem; benignitas enim facit Principem omnibus ciuibus eſſe dilectum. *Nunc verò reminiſcor malorum, quæ feci in Ieruſalem, vnde abſtuli omnia ſpolia aurea, & argentea, quæ erant in ea: & miſi auferre* (ſeu delere) *habitantes Iudæam ſine cauſa. Cognoui ergo, quod propterea inuenerunt me mala iſta.* Cauſam profectò admiſerant Iudæi, cur talia paterentur, quia ſpontè ad gentilitios tranſierant ritus, & Templum, Deique in eo cultum neglexerant. Verum in Antiochum ipſum haud deliquerant. Vnde fatetur eos ſine cauſa afflixiſſe. * Cùm aliqua iniuria gratis illata à proximo afficeris: vide, an contra Deum aliquod ſcelus perpetraueris, & ea cauſa tuæ afflictionis erit, licet ſine cauſa à proximo percutiaris.] *Et ecce pereo triſtitia magna in terra aliena.*

Benignitas facit Principem cunctis ſubditis eſſe dilectum.

Sæpè à proximo quis ſine cauſa affligitur, qui peccādo cauſam Deo dedit, vt illam permitteret afflictionem.

Verſ. 14.15.16. Et vocauit Philippum vnum de amicis ſuis, &c. Non dedit Philippo diadema ſtolam, & annulum, vt hiſce Regni vteretur ſignibus; ſed vt ſuo tempore Antiochum filium iis cohoneſtaret, & in Regni poſſeſſionem addiceret. *Et mortuus eſt illic Antiochus Rex anno centeſimo quadrageſimo nono* Græcorum. De morbis, ac morte illius fusè omnia enarrat liber 2. cap. 9.

Verſ. 17.18.19.20. Et cognouit Lyſias, quoniam mortuus eſt Rex, & conſtituit, regnare Antiochum filium eius, (ſeu Regem conſtituit Antiochum) *quem nutriuit adoleſcentem: & vocauit nomen eius Eupator.* Ille à Græcis *Eupator* dicitur, cui bonus pater contigit. Ita ergò vocatus eſt Antiochus, licet ſceleratum parentem nactus eſſet, nimirum aulicorum adulatione. * Hi enim Regum ſcelera virtutum nomine geſtiunt condecorare.] *Et ij, qui erant in arce*, ſeu præſidiarij milites, qui aderant in arce Sionis, & illam Antiochi nomine tenebant, *concluſerant Iſrael in circuitu ſanctorum: & quærebant eis mala ſemper, & firmamentum Gentilium.* Præſidiarij, inquam, illi vſi abſentia Iudæ bellis alibi diſtenti, continuis excurſionibus Iudæos infeſtabant: neque poterant à præſidiariis alterius arcis Iudaicæ ob horum

2.
Antiochus Eupator patri ſuccedit, & Regno Iudas arcem Ieroſolymitanam obſidet.

Aulici adulatores Regum ſcelera nomine virtutum condecorare geſtiunt.

pauci

paucitatem compeſci: quin potios cunclu ſerat hos illi in circuitu Templi, vt extra eius ſepta, & arcis ſuæ nullus egredi vel auderer, vel poſſet. Et hoc modo creſcebat continuo *firmamentum*, ſeu robur, & potentia Gentilium. *Et cogitauit Iudas diſperdere eos; & conuocauit vniuerſum populum, vt obſiderent eos. Et conuenerunt ſimul, & obſederunt eos anno centeſimo quinquageſimo* Græcorum: *& fecerunt baliſtas & machinas bellicas*, arietes ſcilicet ad diruendum muros, portaſque confringendum.

Verſ. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. *Et exierunt quidam ex eis, qui obſidebantur, &c.* Quidam impij Iſraëlitæ, qui à Iuda receſſerant, ſe Gentilibus præſidiatiis ſocios addixerunt, vt quæruli venirent ad Regem profantes; To, qui Rex es, & Iudex vindica iniuriam, quæ à fratribus noſtris Iudæis eſt nobis inflicta. *Nos decreuimus ſeruire patri tuo, &c.* Iudæi propter hoc alienabant ſe à nobis; & quicumque inueniebantur ex nobis, interficiebantur, & hereditates noſtræ diripiebantur. Et non ad nos tantùm extenderunt manum, ſed & in omnes fines noſtros. Et ecce applicuerunt hodie ad *arcem Ieruſalem*, ad quam nos protegendi à militibus tuis præſidiariis nos receperamus, *occupare eam: & munitionem Bethſuram munierant: & niſi praueneris eos velocius, maiora, quam hæc facient, & non poteris obtinere*, ſeu continere *eos*.

Verſ. 28. 29. 30. 31. *Et iratus eſt Rex, vt hæc audiuit, &c.* Quo per legatos, & apoſtatas quoſdam Iſraëliras cognito, Rex iuuenis mox aduenit cum exercitu potentiſſimo, ante omniaque obſider Bethſuram. (de qua cap. 4. v. vlt.) ſed egreſſi ex Vrbe præſidiarij Iudæi regias machinas igni dedere.

3\. *Verſ.* 32. 33. 34. 35. 36. *Et receſſit Iudas ab arce, &c.* Iudas relicta quam obſidebat, Ieroſolymitana arce, caſtrametatur ex aduerſo, ſeu iuxta caſtra Regis. *Et ſurrexit ante lucem, &c.* Antè lucem comparantur exercitus, omnes ad certamen, acies inſtruuntur, expediuntur machinæ. *Et elephantis oſtenderunt ſanguinem vuæ, &c.* Elephantis oſtenditur rubrum vinum, & ſuccus mori qui & ipſe viroſus eſt, Neque verò ſolo vini aſpectu, vel olfactu irritabantur elephanti. Sed & re ipſa potandum ipſis dabatur, Eliano teſte. lib. 6. de animal. Et licet elephanti, vt tauri, leones, & apri nulla egeant ad pugnam cohortatione, vel ſtimulo, ſed ſuopte ſeſe impetu accendant: quando res aliqua, cum qua iis eſt antipathia, oculis, vel phantaſiæ occurrit, ſtimulo indigent, & proritatione maximè ſi in homines ſint immittendi quibus alioqui infeſti eſſe non aſſolent. * Vt pudeat homines aduerſus homines tam facilè, & tam ſine ſtimulo pugnaces inſurgere.] *Et diuiſerunt beſtias per legiones, &c.* Elephantis per legiones diſtributis aſſiſtebant ſingulis mille viri tecti loricis concatenatis ſeu hamatis. Eæ ſunt maculæ ferreæ admodum rectis confectæ hamis ſeu annulis inter ſe concatenatis. (Hiſpanè *Cota de malla.*) *Hi ante tempus vbicumque erat beſtia, ibi erant, &c. Antè tempus*, idem eſt ac opportunè, ſeu citiſſimè.

Iudas ſoluta obſidione, cũ Rege feliciter pugnat.

Diſcit homo ab elephanti in alium hominem non inſurgere.

Verſ. 37. 38. 39. 40. 41. 42. *Sed & turres ligneæ ſuper eos firmæ protegentur ſuper ſingulas beſtias, &c.* Super ſingulos elephantos ligneæ turres firmæ erant, ſic vallis & loricis inſtructæ, vt protegerent tum machinas impoſitas, tum milites, qui ex viris robuſtioribus ſelecti, imponebantur ſingulis turribus numero triginta duo, præter Indum beſtiæ rectorem. Ex quo colligo, elephantos hos non fuiſſe Africanos, qui iam vix ſenos aut ſeptenos armatos in lignea turri ferrent: ſed indicos Africanis multo maiores teſtibus Plinio lib. 7. c. 2. & Liuio dec. 4. lib 7. *Et reſiduum equitatum hinc, &c.* Statuit equitatum reſiduum, vt conſtipati, ſeu immixti hinc indè milites perurgerent, ſeu ſolicitarent ad prælium tubis interim perſonantibus, animoſque addentibus. *Et vt efulſit Sol in clypeos æreos, & aureos, reſplenduerunt montes ab eis, &c. Et commouebantur omnes inhabitantes terram à voce multitudinis, & inceſſu turbæ, & colliſione armorum; erat enim exercitus magnus valde, & fortis.* Omnis habitatores terræ illius *commouebantur*, admiratione ſcilicet & metu afficiebantur tanti exercitus ad aſpectum. *Et appropinquauit Iudas & exercitus eius in prælium: & ceciderunt de exercitu Regis ſexcenti viri*

4\. *Verſ.* 43. 44 45. 46. *Et vidit Eleazar filius Saura de beſtiis loricatam loricis Regis, &c. Et ibit ſub pedes elephantis & ſuppoſuit ſe ei, & occidit eum: & cecidit in terram* elephas *ſuper ipſum & mortuus eſt illic.* Exiſtimo hunc Eleazarum fuiſſe etiam Iudæ fratrem; pro *filio enim Saura* puto legendum, *Dictus Aura* ſiue Auaron, vt aliqui vertunt, & appellatur ſuprà *cap.* 2. 5. Peccauitne Eleazarus? Non ſolum non peccauit: ſed & opus egregium Deo gratiſſimum expreſſit. Laudatorem habet D. Ambroſium lib. 1. offic. cap. 4. & alios Doctores. Nec obſtat, quod verſ. 44. dicatur, ad tantum opus ſe dediſſe, *vt acquireret ſibi nomen æternum.* * Nam gloriam quærere, modo in ea finis vltimus non ſtatuatur, vel immoderate non appetatur, peccatum non eſt, cum ſit res indifferens.] Porrò Eleazarus facinus hoc fuit aggreſſus, vt liberaret populum ſuum, cui primariæ intentioni alteram acquirendæ gloriæ ſine culpa potuit adiungere.

Eleazarus elephantem occidit, & occiditur.

Gloriam hic ex operibus quærere quis ſine peccato poteſt,

Verſ. 47. 48. 49. 50. *Et videntes virtutem Regis, &c.* Profectò Iudæi videntes Regis exercitum tantò ſuperiorem numero, prudenter à periculo declinarunt. * Non enim formidinis, ſed fortitudinis eſt terga hoſti oſtentare, cum certum eſt repugnandi periculum, & de ſucceſſu proſpero admodum dubitatur.] *Caſtra autem Regis aſcenderunt contrà eos in Ieruſalem, &c.* Amicè ſe dedere Bethſuræ ciues Regi à fame compulſi, quia erat tum annus ſeptimus, ſeu ſabbaticus: quo nec ſerere, nec metere licebat Iudæis. Simili anno Sabbatico cepit poſtea Herodes Ieroſolymam vt Ioſephus enarrat lib. 14. Antiq. cap. 28. *Et comprehendit Rex Bethſuram: & conſtituit illic cuſtodiam, ſeruare eam*, ſeu ad eam adſeruandam, & cuſtodiendam, ne rurſus à Iudæis recuperaretur.

Fortium ducum eſt terga vertere hoſti, cum certum eſt periculum, & de felici ſucceſſu dubitatur.

Verſ. 51. 52. 53. 54. *Et conuertit caſtra ad locum ſanctificationis.* Vrbe potitus, (Templum obſedit.) *dies, multos: & ſtatuit illic baliſtas, &c. & fundibula* ſeu fundas. *Fecerunt autem & ipſi* Iudæi *machinas aduerſus machinas eorum. & pugnauerunt dies multos. Eſca autem non erant in Ciuitate, eo quod ſeptimus annus eſſet*, Sabbaticos ſcilicet: *& qui remanſerant in Iudæa de Gentibus conſumpſerant reliquias eorum*, ſeu reliqua cibaria, *quæ repoſita fuerant. Et remanſerant in ſanctis*

ctis viri pauci, quoniam obtinuerat eos fames. Ad defenſionem Templi viri pauci remanſerant, quià fames eos compulit exire; *& diſperſi ſunt vnuſquiſque in locum ſuum*, vt miſeram huc illuc quærerent anoonam.

5. *Lyſia monito Rex pacem cum Iudæis init. Antiochiam à Philippo recuperat.*

Verſ. 55.56.57.58.59. *Et audiuit Lyſias, quod Philippus, quem conſtituerat Rex Antiochus* Epiphanes, *cum adhuc viueret, vt nutriret Antiochum filium ſuum: & regnaret*, id eſt, vt hæres Regno præficeretur adoleſcens, poſt pueriliś ætatis educationem, Audiuit, inquam Lyſias, quod Philippus *reuerſus eſſet à Perſide, & Media, & exercitus, qui abierat cum ipſo: & quia quærebat ſuſcipere Regni negotia*, repulſo Lyſia, qui hoc munere fungebatur: *Feſtinaui ire, & dicere ad Regem, & duces exercitus: Deficimus quotidie, & eſca nobis modica eſt: & locus, quem obſidemus, eſt munitus, & incumbit nobis ordinare de Regno. Nunc itaque demus dextras hominibus iſtis, & faciamus cum illis pacem, & cum omni gente eorum: & conſtituamus illis, vt ambulent in legitimis ſuis*, ſeu permittamus vt leges ſuas ſeruent, *ſicut prius; propter legitima enim ipſorum, quæ deſpeximus irati ſunt, & fecerunt omnia hæc.* * Nihil enim ſic Reges Catholicos excitare debet ad arma arripienda, quàm videre Dei ſacra ab infidelibus eſſe deſpecta.

Nihil ſic debet Reges Catholicos excitare ad arma arripienda, quàm videre ſacra ab hoſtibus violari.

Verſ. 60.61.62. *Et placuit ſermo in conſpectu Regis, & Principum: & miſit ad eos pacem facere, & receperunt illam.* Et iurauit illis Rex, & Principes: & exierunt de *munitione* Iudæi, obuiam procedere Regi officij cauſa. * *Receperunt* itaque Iudæi pacem à Rege oblatam. Tantum enim bonum eſt pax, vt vel de inimici manu recipi libenter poſſit.] *Et intrauit Rex in montem Sion, & vidit munitionem loci, &c.* Cum Lyſias certior factus fuit de rebellione à Philippo facta (deque inferius) hac occaſione Regi perſuaſit, vt inita cum Iudæis pace, Antiochiam ſedem Regni ſui totis viribus aggrederetur. Vt ſcilicet poſſet æmulum ſuum Philippum omninò à poteſtate deturbare.

Tantum bonum eſt pax, vt vel ex inimici manu poſſit libenter recipi.

CAPVT VII.

Demetrius paternum Syriæ Regnum recuperat, Antiocho & Lyſia à propriis militibus iugulato. Alcimus ſummum Pontificatum ambit, crudelem ſe gerit in Iudæos. Iudas autem armis eius perfidiam reprimit. Nicanorem ſecundò debellat.

1. ANNO centeſimo quinquageſimo primo, exiit Demetrius
Seleuci filius ab vrbe Roma, & aſcendit cum paucis viris in
ciuitatem maritimam, & regnauit illic. 2. Et factum eſt,
vt ingreſſus eſt domum regni patrum ſuorum, comprehendit
exercitus Antiochum & Lyſiam, vt adducerent eos ad eum.
3. Et res ei innotuit, & ait: Nolite mihi oſtendere faciem
eorum. 4. Et occidit eos exercitus. Et ſedit Demetrius
ſuper ſedem regni ſui: 5. & venerunt ad eum viri iniqui & impij ex Iſraël: &
Alcimus dux eorum, qui volebat fieri ſacerdos. 6. Et accuſauerunt populum
apud regem, dicentes: Perdidit Iudas, & fratres eius, omnes amicos tuos, & nos
diſperſit de terra noſtra. 7. Nunc ergo mitte virum, cui credis, vt eat, & videat
exterminium omne, quod fecit nobis, & regionibus, regis: & puniat omnes amicos eius, & adiutores eorum. 8. Et elegit rex ex amicis ſuis Bacchidem, qui dominabatur trans flumen, magnum in regno, & fidelem regi: & miſit eum. 9. vt
videret exterminium, quod fecit Iudas: ſed & Alcimum impium conſtituit in ſacerdotium, & mandauit ei facere vltionem in filios Iſraël. 10. Et ſurrexerunt, &
venerunt cum exercitu magno in terram Iuda: & miſerunt nuntios, & locuti ſunt
ad Iudam, & ad fratres eius, verbis pacificis in dolo. 11. Et non intenderunt
ſermonibus eorum: viderunt enim quia venerunt cum exercitu magno. 12. Et
conuenerunt ad Alcimum & Bacchidem congregatio ſcribarum requirere quæ iuſta ſunt: 13. & primi, Aſſidæi qui erant in filiis Iſraël, & exquirebant ab eis pacem. 14. Dixerunt enim: Homo Sacerdos de ſemine Aaron venit, non decipiet
nos. 15. Et locutus eſt cum eis verba pacifica: & iurauit illis, dicens: Non inferemus vobis malum, neque amicis veſtris. 16. Et crediderunt ei: & comprehendit ex eis ſexaginta viros, & occidit eos in vna die, ſecundùm verbum quod
ſcriptum eſt: 17. Carnes ſanctorum tuorum, & ſanguinem ipſorum effuderunt
in circuitu Ieruſalem, & non erat qui ſepeliret. 18. Et incubuit timor & tremor
in omnem populum: quia dixerunt: Non eſt veritas & iudicium in eis: tranſgreſſi
ſunt enim conſtitutum, & iuſiurandum quod iurauerunt. 19. Et mouit Bacchi-
des

des caſtra ab Ieruſalem, & applicuit in Bethzecha: & miſit, & comprehendit mul-
tos ex eis qui à ſe effugerant, & quoſdam de populo mactauit, & in puteum ma-
gnum proiecit. 20. Et commiſit regionem Alcimo, & reliquit cum eo auxilium
in adiutorium ipſi. Et abiit Bacchides ad regem: 21. & ſatis agebat Alcimus pro
principatu ſacerdotij ſui. 22. & conuenerunt ad eum omnes, qui perturbabant
populum ſuum, & obtinuerunt terram Iuda, & fecerunt plagam magnam in Iſ-
raël. 23. Et vidit Iudas omnia mala quæ fecit Alcimus, & qui cum eo erant,
filiis Iſraël, multò plus quàm Gentes. 24. & exiit in omnes fines Iudææ in circui-
tu, & fecit vindictam in viros deſertores, & ceſſauerunt vltra exire in regionem.
25. Vidit autem Alcimus quòd præualuit Iudas, & qui cum eo erant: & cogno-
uit quia non poteſt ſuſtinere eos, & regreſſus eſt ad regem, & accuſauit eos mul-
tis criminibus. 26. Et miſit rex Nicanorem, vnum ex principibus ſuis nobiliori-
bus: qui erat inimicitias exercens contra Iſraël: & mandauit ei euertere popu-
lum. 27. Et venit Nicanor in Ieruſalem cum exercitu magno, & miſit ad Iudam
& ad fratres eius verbis pacificis cum dolo, 28. dicens: Non ſit pugna inter me
& vos: veniam cum viris paucis, vt videam facies veſtras cum pace. 29. Et ve-
nit ad Iudam, & ſalutauerunt ſe inuicem pacificè: & hoſtes parati erant rapere
Iudam. 30. Et innotuit ſermo Iudæ, quoniam cum dolo venerat ad eum: &
conterritus eſt ab eo, & ampliùs noluit videre faciem eius. 31. Et cognouit Nica-
nor quoniam denudatum eſt conſilium eius: & exiuit obuiam Iudæ in pugnam
iuxta Capharſalama. 32. Et ceciderunt de Nicanoris exercitu ferè quinque mil-
lia viri, & fugerunt in ciuitatem Dauid. 33. Et poſt hæc verba aſcendit Nica-
nor in montem Sion: & exierunt de Sacerdotibus populi ſalutare eum in pace, &
demonſtrare ei holocautomata, quæ offerebantur pro rege. 34. Et irridens ſpre-
uit eos, & polluit: & locutus eſt ſuperbè, 35. & iurauit cum ira, dicens: Niſi tra-
ditus fuerit Iudas, & exercitus eius in manus meas, continuò cùm regreſſus fuero
in pace, ſuccendam domum iſtam. Et exiit cum ira magna. 36. & intrauerunt ſa-
cerdotes, & ſteterunt ante faciem altaris & templi: & flentes dixerunt: 37. Tu
Domine elegiſti domum iſtam ad inuocandum nomen tuum in ea, vt eſſet domus
orationis & obſecrationis populo tuo. 38. fac vindictam in homine iſto, & exer-
citu eius, & cadant in gladio: memento blaſphemias eorum, & ne dederis eis vt
permaneant. 39. Et exiit Nicanor ab Ieruſalem, & caſtra applicuit ad Bethoron:
& occurrit illi exercitus Syriæ. 40. Et Iudas applicuit in Adarſa cùm tribus milli-
bus viris: & orauit Iudas, & dixit. 41. Qui miſſi erant à rege Sennacherib, Domi-
ne, quia blaſphemauerunt te, exiit angelus, & percuſſit ex eis centum octoginta-
quinque millia. 42. ſic contere exercitum iſtum in conſpectu noſtro hodie: &
ſciant cæteri quia malè locutus eſt ſuper ſancta tua: & iudica illum ſecundùm mali-
tiam illius. 43. Et commiſerunt exercitus prælium tertia decima die menſis Adar:
& contrita ſunt caſtra Nicanoris. & cecidit ipſe primus in prælio. 44. Vt autem
vidit exercitus eius quia cecidiſſet Nicanor, proiecerunt arma ſua, & fugerunt:
45. & perſecuti ſunt eos viam vnius diei, ab Adazer vſquequò veniatur in Gazara,
& tubis cecinerunt poſt eos cum ſignificationibus: 46. & exierunt de omnibus
caſtellis Iudææ in circuitu, & ventilabant eos cornibus, & conuertebantur iterùm
ad eos, & ceciderunt omnes gladio, & non eſt relictus ex eis nec vnus. 47. Et ac-
ceperunt ſpolia eorum in prædam: & caput Nicanoris amputauerunt, & dexteram
eius, quam extenderat ſuperbè, & attulerunt & ſuſpenderunt contra Ieruſalem.
48. Et lætatus eſt populus valdè, & egerunt diem illam in lætitia magna. 49. Et
conſtituit agi omnibus annis diem iſtam, tertia decima die menſis Adar. 50. Et ſi-
luit terra Iuda dies paucos.

COMMENTARII.

1. *Demetrius paternum Syria Regnum recuperat, Antiocho & Lyſia à propriis militibus iugulatis.*

VERS. 1.2.3.4.5. Demetrius Seleuci Philopatoris filius Antiochi Eupatoris patruus extincto parente, fraude patrui ſui Antiochi Epiphanis ſpoliatus paterno Regno, cum propter teneram ætatem minus idoneus rebus gerendis eſſet, Romæ tantiſper latuit, dum adoleſceret, nempè per annos circiter quatuordecim. Adultus verò factus *Anno centeſimo quinquageſimo primo exiit Demetrius Seleuci filius ab Vrbe Roma, & aſcendit cum paucis viris in Ciuitatem maritimam* Tripolim, & applaudentibus omnium ciuium animis, & pro legitimo Rege agnitus, *regnauit illic* ad tempus, nempè donec collectis copiis, & certior factus de mente ducum exercitus Syriaci fieret. *Et factum eſt, vt ingreſſus eſt domum Regni patrum ſuorum, &c.* Vt autem ingreſſus eſt Antiochiam

Vrbem regiam & ſedem Regni paterni à ducibus euocatus: mox exercitus ab Antiocho ad Demetrium deficiens, comprehendit Antiochum iam vndecennem, & Lyſiam protegem, vt captiuos abducerent ad Demetrium.

Fortunæ inſtabilitas.

* Vt inſtabilitatem fortunæ perpendas, & videas terræ Principatus appoſitè comœdiæ perſonatibus æquiparari.] *Et res ei innotuit, & ait: Nolite mihi oſtendere faciem eorum.* Qua re comperta, Demetrius: Nolite, inquit, mihi eorum faciem oſtendere. Ac ſi diceret, Nolo viuos habere, ſed mortuos. *Et occidit eos exercitus,* hoc accepto mandato.

Inſinuatio voluntatis Regis quaſi præceptum eſt ſubditis.

* Regis enim inſtauratio quaſi præceptum aſſolet eſſe ſubditis. Vnde neceſſarium eſt Reges tardos admodum eſſe ad ſui animi affectum exprimendum.] *Et ſedit Demetrius ſuper ſedem Regni ſui: & venerunt ad eum viri iniqui, & impij ex Iſrael: & Alcimus dux eorum, qui volebat fieri Sacerdos.* Alcimus apoſtata ille, (de quo ſupra) pro Pontifice ſummo ſe iactitans, ſed à verò Pontifice Iuda Machabæo, reliquiſque probis Iudæis nunquam admiſſus, cum aliis improbis ſectatoribus ad nouum Regem Demetrium venit, vt falſas delationes contra Iudam exponeret.

2.

Alcimus ſummum Pontificatum ambiens ſimul cũ Bacchide male crudeliter agit contrà Iudæos.

Verſ. 6.7.8.9. Et accuſauerunt populum apud Regem, &c. Nunc ergo mitte virum, cui credis, ſeu tibi fidum, *vt eat, & videat exterminium omne, quod fecit nobis, & regionibus Regis: & puniat omnes amicos eius, & adiutores eorum.* Aſſidæos intelligit, vt patet ex 2. Mach. 14.6. *Et elegit Rex ex amicis ſuis Bacchidem, qui dominabatur trans flumen,* Euphratẽ, ſeu Meſopotamiæ præfectum, *magnum in Regno, & fidelem Regi, & miſit eum, vt videret exterminium, quod fecit Iudas: ſed & Alcimum impium conſtituit in Sacerdotium, &c.* Iam ante ab Antiocho Eupatore Alcimus conſtitutus fuerat ſummus Sacerdos: (2. *Mach.* 14.3.) poſt Menelai cædem, quia tamen acta omnia Antiochi vtpotè tyranni, & Regni vſurpatoris à Demetrio fuerant annullata, iterato debebat hæc pontificia dignitas per Demetrium legitimum Regem Alcimo conferri, ſi vellet pro Pontifice agnoſci. At hæc omnia haud poterant præiudicare legitimo Pontificatui Iudæ Machabæi.

Verſ. 10.11.12.13.14.15. Et ſurrexerunt, & venerunt cum exercitu magno in terram Iuda, &c. Iudas cum ſuis ex rerum militiarum peritia intellexit fidem non eſſe adhibendam Bacchidi, nec Alcimo ſacrilego & apoſtatæ.

Apoſtatæ amicitia ſit ſemper tibi ſuſpecta.

* Nam qui mentitus eſt fidei ab ea recedens, quomodò poterit fidem datam hominibus ſeruare. Semper apoſtatæ ſit tibi ſuſpecta amicitia] Alij verò viri recti quidem, non rectè putauerunt, fidem adhibendam eſſe offerentibus amicitiam: ſed ſuo malo. *Et conuenerunt ad Alcimũ, &c. & primi Aſſidæi, qui erant in filijs Iſrael: & exquirebant ab eis pacem.* Acceſſere Aſſidæi, & alij Sapientes vt ab Alcimo, & Bacchide requirerent, quonam animo magno inſtructi exercitu ad Iudæam ventitaſſent. *Dixerunt enim: Homo Sacerdos* de ſemine Aaron *venit, non decipiet nos.* Aſſidæi, qui *primi* erant in filiis Iſraël, & Scribæ ſibiipſis dubitantibus de pacifico Alcimi aduentu, reſpondebant: Cum ſit Alcimus Sacerdos, haud poterit nos ſeducere.

A corde & ore Sacerdotis longè debet eſſe ſeductio. & mendacium.

* Et quidem deberet à corde & ore Sacerdotali longè eſt ſeductio & mendacium.] *Et locutus eſt cum eis verba pacifica, &c.* Rogantibus autem Aſſidæis & Scribis, nùm pacificus eſſet eorum aduentus, Alcimus eis iuramento adhibito affirmauit, ſe eis, eorumque amicis nullum incommodum eſſe inferendum.

Verſ. 16.17.18.19.20.21.22. Et crediderunt ei.

Non facilè credas, alium falsò iurare.

* Quis enim Sacerdoti, aut ſæculari cuilibet iuranti non crederet, ſi perpendat, quam horribile facinus ſit Deum mendacij adducere in teſtem? Nec facilè credendum, alium auſum eſſe ſe tanti criminis pondere onerare.] *Et comprehendit ex eis ſexaginta viros, &c.* Sancti quidem erant Aſſidæi religionis, ac fidei profeſſione. Horum ſanguinem apoſtata ille iniquus profudit periurio reus, ſicut Dauid prædixerat Pſal. 78.2. *Et incubuit timor, & tremor in omnem populum; quia dixerunt: Non eſt veritas, & iudicium in eis.* A veritate & iuſtitia hi omninò receſſerunt.

Homo mendax frequenter improbus.

Alij pro *iudicio* ponunt probitatem, vt dicas: *Non eſt veritas & probitas in eis.* Profectò vbi veritas non eſt, vitæ improbitas ſolet adeſſe.] *Transgreſſi ſunt enim conſtitutum,* ſeu pactum, *& iuſiurandum, quod iurauerunt. Et mouit Bacchides caſtra ab Ieruſalem, &c.* Ex illis primæ notæ viris Aſſidæis & Scribis, qui ad Alcimum & Bacchidem venerant, ſumma perfidia Alcimus propè Ieroſolymam ſexaginta interemerat; ſed multo plures in Bethzecha Bacchides occidit ex iis, qui ex Iudæis ad ſe perfugerant, ſed territi Alcimi perfidia iterum à ſe ad ſuos aufugerant, ſeu effugere tentabant. *Et commiſit regionem Alcimo, & reliquit cum eo auxilium in adiutorium ipſi.* Commiſit Alcimo regionem illam, vt eius gubernator eſſet & Pontifex loco Iudæ: copiamque militum inibi reliquit, vt Alcimus Iudæ poſſet obſiſtere id indignè ferenti. *Et abijt Bacchides ad Regem.*

Graue eſt aulicis, vel ad inſtans ſeparari à Curia.

* Aulicis enim graue admodum eſt vel ad inſtans à Regis latere ſeparari.] *Et ſatis agebat Alcimus pro Principatu Sacerdotij ſui.* Solicitus erat, & conabatur Pontificatu ſpoliare Iudam, eoque ſe iuxta Demetrij placitum, indoere. *Et conuenerunt ad eum omnes, &c. & fecerunt plagam magnam in Iſrael,* cædibus, & rapinis.

3.

Alcimus à Iuda debellatur.

Verſ. 23.24.25.26.27.28. Et vidit Iudas omnia mala, &c.

Nequitia apoſtatæ à fide de Gentilium nequitiã ſuperat tyrannorum.

* Nequitia enim apoſtatæ à vera fide vincit admodùm malitiam eorum omnium qui gentilis, aut barbariei à cunabulis ſunt addicti. Teſtor Iulianum horribile Eccleſiæ flagellum.] *Et exijt in omnes fines Iudææ in circuitu, & fecit vindictam in viros deſertores,* ſeu puniuit eos, qui exibant ex exercitu Gentium depopulari oppida Iſraël. *Et ceſſauerunt vltra exire,* ſeu excurrere, & populari *in regionem* Iſraëliticam. *Vidit autem Alcimus, quod præualuit Iudas, &c. Et iratus miſit Rex Nicanorem vnum ex Principibus ſuis nobilioribus, &c.* Nicanor erat elephantorum præpoſitus, Iſraelitarum inimicus, quia turpiter ab eis victus in Antiochiam ſe fugiens receperat, 2. Mach. 8. 35. *Et venit Nicanor in Ieruſalem cum exercitu magno: & miſit ad Iudam, & ad fratres eius verbis pacificis cum dolo, dicens: Non ſit pugna inter me, & vos, veniam cum viris paucis, vt videam facies veſtras cum pace.*

4.

Nicanorem profligat.

Verſ. 29.30.31.32.33.34. Et venit ad Iudam, &c. id eſt, timuit ſibi: *& amplius noluit videre faciem eius.*

Proditio ipſa ſe manifeſtat.

* A quonam Iudas certior fuit de dolo factus? Certè proditio ipſa ſe manifeſtat.] * *Noluit,* inquit, *amplius videre faciem*

eius,

Nec à longè delinquendi occaſionem aſpicias.

eius. Vt edoceamur, conſcios ſpiritualis periculi, nec à longè aſpectare debere illius occaſionem.] *Et cognouit Nicanor, quoniam denudatum eſt conſilium eius, &c.* Quàm Vrbem Adrichomius in Manaſſis Tribu cis Iordanem collocat, addens, poſteà fuiſſe ab Herode reſtauratam, & à parente ſuo Antipatrida vocitatam fuiſſe. *Et ceciderunt de Nicanoris exercitu ferè quinque millia viri, & fugerunt* reliqui *in Ciuitatem Dauid*, hoc eſt, in arcem, quam adhuc hoſtes poſſidebant. *Et poſt hæc verba*, ſeu poſt hæc geſta, *aſcendit Nicanor in montem Sion, &c.* Poſtquam hoſtes è campo in arcem ſe receperant, ad eam ipſe Nicanor mox conſcendit: vbi à Sacerdotibus, quorum tunc vices erant in Templo, honorificè ſalutatur, oſtenſis ei ſacrificiis, quæ pro ſalute Regis ipſius ibidem Deo offerebantur. * Fidelium enim charitas etiam ad inimicos extenditur.] At Nicanor ridens, & ſpernens omnia *polluit Sacerdotes*, (Græcè ſic) cogens eos ad illicita, & lege vetita ſeu offerenda, ſeu comedenda.

Fidelium charitas etiã ad inimicos extenditur.

Verſ. 35.36.37.38.39. *Et iurauit cum ira, dicens, &c.* Se in pace ait regreſſurum, & tunc incendio tradendum eſſe Templum minatur. * En pax hoſtium Eccleſiæ hæreticorum ſcilicet, verbis amicis Eccleſiam euertere, & ſi poſſent, omnino in fauillam adducere.] *Et intrauerunt Sacerdotes, &c.* ex affectu pœnitudinis, quod permiſiſſent ſe à Nicanore pollui, *dixerunt: Tu Domine, elegiſti domum iſtam, ad inuocandum nomen tuum in ea, &c. memento blaſphemias eorum, & ne dederis eis, vt permaneant.* * Adeò enim agnatum eſt blaſphemo non permanere in viuis, ſed immaturè mori, vt ſi viuat, ei quaſi gratis à Domino detur. Ideo inquiunt Sacerdotes & ne dederis eis, vt permaneant.] *Et exiit Nicanor ab Ieruſalem, & caſtra applicuit ad Bethoron: & occurrit exercitus Syriæ* ſiue incrementum copiarum ex Syria.

Pax hæreticorum exitialis Eccleſiæ.

Agnatum eſt eſt blaſphemis immaturè mori.

Verſ. 40.41.42.43. *Et Iudas applicuit in Adarſa cum tribus millibus viris, &c.* * Memorat Iudas beneficium acceptum à populo in Sennacheribi exitio, vt Deum exciret ad ſimile beneficium conferendum in Nicanoris extinctione: Deus enim ex vno collato beneficio quaſi debitor ad aliud conferendum ſe accingit.] *Et commiſerant exercitus Iſraëlis &* Syriæ *prælium tertia decima die menſis Adar*, ſeu noſtri Martij initio, *& contrita ſunt caſtra Nicanoris, & cecidit ipſe primus in prælio.* * Vt qui primus verba ſuperba contra Iudam iactauerat, primus occumberet, vt videret, arrogantem ſermonem contra proximum ei incommoda minitantem plerumque in proprio capite experiri ſucceſſum.]

Ex vno beneficio collato Deus quaſi debitor ad aliud conferendum ſe accingit.

Plerumque ſuperbæ minæ in caput ipſius minitantis recidunt.

Verſ. 44 45.46. *Vt autem vidit exercitus eius, quia cecidiſſet Nicanor, proiecerunt arma ſua, & fugerunt. Et perſecuti ſunt eos* Iſraelitæ *viam vnius diei. ab Adazer vſquequo venitur in Gazera.* Fuſæ, fugatæ, contritæ ſunt Nicanoris copiæ, Iudæis fugientes Syros perſequentibus ab Adazer (Græcè Adaſa) vbi prælium fuerat commiſſum, vſque in Gazara Vrbem Ephraim Tribus, quæ Leuitis ceſſerat Iuſ. 21. 21. haud procul Nicopoli. *Et tubis cecinerunt poſt eos cum ſignificationibus*, ſeu partæ victoriæ, ſeu potius ſignificatione bellica, quam cantu tubarum dabant vicinis, & accolis omnibus, vt & ipſi in hoſtes fugientes arma verterent: vti & fecerunt. *Et exierant de omnibus caſtellis Iudea in circuitu, & ventilabant eos cornibus, &c. Ventilabant*, inquit, *eos cornibus.* Metaphora eſt à tauris deſumpta, quâ ſignificare vult ſacer textus Iudæos omni ex parte fugientibus inſtitiſſe, nullo ad euadendum, vel latitandum loco relicto. Nam poſt cæſos vno loco, conuertebantur iterum ad eos, qui effugerant, ſeu in eodem, ſeu in vicino loco indagandos, & iugulandos, adeò vt nec vnus ex eis relictus fuerit in viuis.

Verſ. 47 48.49.50. *Et acceperunt ſpolia eorum in prædam, &c.* Porrò blaſphemi tyranni caput & dexteram Iudæi ſuſpenderunt prope Ieroſolymam. Idque in memoriam perpetuam tùm victoriæ, tum vltionis diuinæ. 2. Mach. vlt. 35. * Vnde inſtruimur, quam aptè diſſecta delinquentium membra in capitibus viarum propè Vrbes ſuſpenduntur, iniuſti ſupplicij criminis documentum, vt alij aſpectantes à ſimili piaculo abſterreantur.] *Et lætatus eſt populus valdè, &c. Et ſiluit terra Iuda dies paucos.* Seu quieta; pacata fuit Iudæa.

Aptè delinquentium diſſecta corpora in aliorum terrorem ſuſpenduntur in viis.

CAPVT VIII.

Iudas cum Romanis fœdus init. Recenſentur fœderis capita. Rex Demetrius à Iudæis incommodis inferendis iubetur abſtinere.

1. ET audiuit Iudas nomen Romanorum, quia ſunt potentes
viribus, & acquieſcunt ad omnia, quæ poſtulantur ab eis:
& quicumque acceſſerunt ad eos, ſtatuerunt cum eis ami-
citias, & quia ſunt potentes viribus. 2. Et audierunt præ-
lia eorum, & virtutes bonas, quas fecerunt in Galatia, quia
obtinuerunt eos, & duxerunt ſub tributum: 3. & quanta
fecerunt in regione Hiſpaniæ, & quòd in poteſtatem rede-
gerunt metalla argenti & auri, quæ illic ſunt, & poſſederunt omnem locum con-
ſilio ſuo, & patientia: 4. locáque quæ longè erant valdè ab eis, & Reges qui ſu-
peruenerant eis ab extremis terræ, contriuerunt, & percuſſerunt eos plaga magna:

gient Hiſpania ; & quod in poteſtatem redegerunt metalla argenti, & auri, quæ illic ſunt : *& poſſederunt omnem locum conſilio ſuo, & patientia.* Romani quidem locum omnem Hiſpaniæ prudenti conſilio ſuo, & ſingulari patientia poſt 230. annos tandem ſibi ſubiecerunt. * Profectò prudens ducum conſilium circà belli diſpoſitionem fortius eſt, quam copiæ potentiſſimæ ad hoſtes ſuperandos.] * Mira ſanè Romanorum patientia, qui 230. annorum prolixum ſpatium in ſubiuganda Hiſpania conſumpſere : imo & mira Hiſpaniæ fortitudo, quæ non potuit tot annis omnino debellari. Sed patientia, & inſiſtentia militaris omnia denique vincit.] De fodinis auri & argenti in Hiſpania Plinius in fine ſui operis conſulendos : & Guadalcanæ fodina videnda, quæ magnam circa hæc tempora nobis argenti vim exhibuit. *Locaque, quæ longè erant valde ab eis, &c.* Conſilio præterea & patientia ſuperarunt loca longe ab eis diſſita ; & Reges qui ſurrexerant vndique, vt eos bello laceſſerent, aut comminuerunt, aut tributarios ſibi reddidere,

Prudens conſilium Ducũ fortius eſt, quàm copiæ, ad victoriam.

Patientia, & perſiſtentia militaris omnia vincit.

Verſ. 5. 6. 7. 8. Et Philippum, & Perſem Cethæorum Regem. &c. Romani per L. Æmilium Paulum, vicerunt Philippum Epiri, & Macedoniæ Regem, eiuſque filium Nothum Perſem, ſeu Perſeum Cethæorum ſeu Macedonum Regem bello ſubiugarunt. Et Emilius deuictum Perſeum duxit in triumphum, & Macedoniam in prouinciam redegit. *Et Antiochum magnum Regem Aſiæ, &c.* Audierunt item Antiochum Regem Aſiæ deuictum & contritum à Romanis etiam fuiſſe. (Dan. 11. 10.) *Et quia ceperunt eum viuum, &c.* Antiochum Romani ceperunt *viuum*, vt eum facerent tributarium. * Satius illi fuerat ſi mortuus caperetur. Tributi enim exactio ditior eſt morte.] Ità igitur Antiochus preſſus, & in arctum adactus à L. Cipione fuit, vt inſtar captiui Romanis ceſſerit, quæcumque petiere, nempè tributum bis mille talentorum quotannis : proprium inſuper filium inter obſides : *conſtitutum* quoque, Græcè διαςολὰ, hoc eſt *diuiſionem* Regnorum ſuorum fuit paſſus : & annuit, vt optimæ regiones ſuæ ſcilicet Medica, Lydia, & India (quo nomine deſignari videntur remotiores prouinciæ vltrà montes Tauri ſitæ, vti latè probat Serarius) ſibi ſubtraherentur, & Eumeni Pergami, ac Bithiniæ Regi hoſti, & æmulo ſuo, ſed Romanorum amico donarentur : ipſeque ſola Syria, & aliis ignobilioribus Regnis cis Taurum contentus viueret. Quis has tam duras conditiones tanto probro plenas niſi captus, aut nimium amans vitæ ſubiret? * Nimium eſt vitæ amans, ſeu demens vitæ amaſius, vt viuat, ſubire non timet opprobrium?]

Tributi exactio ditior eſt morte.

Demens eſt vitę amaſius, qui, vt viuat, ſubire eligit opprobrium.

Verſ. 9. 10. 11. Et quia qui erant apud Helladam, voluerunt ire, &c. Audierant inſuper Iudæi, incolas Hellade ſeu Græcos voluiſſe aduerſum Romanos decertare, eoſque de medio tollere legiones iſtic in vicinia degentes : Romanos verò miſiſſe ad eos debellandos Ducem vnum ſuum Naoidem, & poſt hunc alios, qui variis præliis omnes paulatim ſubegerunt.

Verſ. 12. 13. 14. Cum amicis autem ſuis, &c. Amicos autem, & eos, qui in ipſis requiem habebant, ſeu *acquieſcebant eis* (ſic Græcè, fidentes illis, Romani opibus auxerunt, & Regnis. Teſtor Eumenium, de quo verſ. 6 *Et in omnibus iſtis nemo portabat diadema, &c.* * Auguſtius enim diadema eſt, illud vincendo meruiſſe, quam effectu geſtare.]

Auguſtius diadema eſt meruiſſe, illud, quàm geſtare.

Verſ. 15. 16. Et quia curiam fecerunt ſibi, &c. Audierunt etiam Romanos ſibi conſtituiſſe Senatum ex trecentis ſupra viginti capitibus, vt quotidiana conſultatione de rebus publicis prudenter decernerent. Non autem ille numerus ſemper fuit idem, primò enim centum dumtaxat a Romulo fuére conſtituti, mox ducenti, paulo poſt trecenti. Et hic numerus cum aliquo auctuario nempe viginti Senatoribus adiectis, vſque ad Gracchi ſeditiones durauit, quando 600. fuere Senatores, poſt etiam 900. imò mille, & plures, ſi Libio credendum lib. 2. &c. * Nec mirum Romanorum imperium adeò fuiſſe felicem, quia vbi conſilium viget, euentus proſperantur.] *Et committunt vni homini Magiſtratum ſuum per ſingulos annos dominari vniuerſæ terræ ſuæ, &c.* Verum id eſt, non de ſolo Dictatore, ſed & de conſule Romano. Nam licet duo quotanis crearentur, nunquam tamen ambo ſimul vno eodemque loco imperabant ſed vnus in Vrbe, alter in exercitu ; vnus in vna orbis parte, alter in altera. Quod ſi vterque ſimul vel in Vrbe eſſent, vel in vno eodemque exercitu, ſinguli alternis diebus imperabat, & alteri ſoli faſces illo die præferebantur. *Et non erat*, addit, *inuidia*, nec *zelus* ſeu æmulatio *inter eos*. Audiuit hoc Iudas, ſed exiſtimo eum nonnullis falſum audiſſe. * Rarò enim videris felicem Gobernatoris ſucceſſum ſine inuidiæ latratu.]

Vbi conſilium viget, euentus proſperantur.

Rarò felix Gubernatoris ſucceſſus pergit ſine inuidiæ latratu.

Verſ. 17. 18. 19. 20. Et elegit Iudas Eupole-
mum filium Ioannis, &c. Cum Romanis ergo
tam potentibus, tam æquis, tam laudatis ami- 2.
citiam & fœdus ineundum Machabæos Iudas
putauit eo conſilio, vt auctoritate illorum in-
ſolentiam Demetrij Regis Syriæ compeſceret,
cui alioquin humanis viribus ſe diu reſiſtendo
nõ eſſe ſentiebat. Ideò duos illos viros ſibi fidos
immiſit, vt Iudæorum nomine cum Romanis
fœdus ſtabilirent. *Et vt auferrent ab eis iugum*
Græcorum, &c. Et abierunt Eupolemus & Ia-
ſon *Romam, viam multam valdè, &c.* 3

Mittuntur nuncij ad Romanos, & fœderis ab eis admiſſi conditiones recenſentur.

Verſ. 21. 22. 23. 24. 25. 26. Et placuit ſermo in conſpectu eorum. Et hoc reſcriptum eſt, quod reſcripſerunt in tabulis æreis, &c. (Sententiam reſcripti phraſi refert Hebraica.) *gladiuſque, & hoſtis procul ſit ab eis. Quod ſi inſtiterit bellum Romanis prius, aut omnibus ſocijs eorum in omni dominatione eorum, auxilium feret gens Iudæorum, prout tempus dictauerit, corde pleno*, id eſt promptiſſimè, prout accurrere ſolent, qui ex animi operantur affectu. * Cur exiſtimas, diu bella produci, ſeroque, aut nunquam apparari triumphum? Profectò quia milites ſegniter cum hoſte decertant : mano vacua, non *corde pleno* ad certamen accurrunt. Vulgariter exponam. *No pelean de veras, ſino por cumplimiento.*] *Et præliantibus non dabunt, neque ſubminiſtrabunt triticum, &c.* Cum in Romanorum auxilium Iudæi venerint, Romani de eorum armis aut annona minimè curabit, ſed de his omnibus, aliiſque neceſſariis ipſimet Iudæi ſuis proſpicient, gratis, ac propria impenſa Romanis ſuccurrentes.

Diu bella producuntur, quia milites corde pleno non pugnãt. Pelean por cumplimiento.

Verſ. 27.28.29.30.31.32. Similiter autem etſi genti Iudaeorum prius acciderit bellum, adiuuabunt Romani ex animo, &c. Viciſſim Romani Iudæis gratuito ferent auxilium, propriiſque impenſis. Nec enim dabitur eis ſeu commeatus, ſeu apparatus bellicus. * Sic exigit vera amicitia: durumque eſſet afflictis, & laborantibus, nullam ab amicis opem ſperare, vel accipere, niſi quantam proprio ęre coëmptã ab illis vellent.] Amici itaque auxilium, vel officium non debet coëmi, ſed gratuito exhiberi.] *Secundum hæc verba conſtituerunt Romani populo Iudæorum* amicitiam, & ſocietatem. Et addidere: *Quod ſi poſt hæc verba*, ſeu vltrà hoc ſtatum, & fœderis conditiones, *hi, aut illi addere, aut demere ad hæc aliquid voluerint, facient ex propoſito ſuo:* ſeu pro arbitratu, partibus tamen conſentientibus. *Et quæcumque addiderint, vel dempſerint, rata erunt, &c. Si ergò iterum adierint nos aduerſum te, faciemus illis iudicium, & pugnabimus tecum terra, marique.* Si igitur Iudæi rurſum nos queruli de tua in eos immanitate, adierint, vt poſtulat noſtræ ius amicitiæ, eos tutabimur, pro eis terra marique ex animo dimicantes.

Amici auxilium non debet coëmi, ſed gratuitò dari.

CAPVT IX.

Bacchide, & Alcimo in Iudæos graſſantibus iterum. Iudas innumeros hoſtes exiguo debellat exercitu. Sed victor occumbit. Iudæi fame preſſi Bacchidi ſe dedunt. Ionathas fratris Iudæ ſucceſſor, fratris Ioannis à filiis Iambri occiſi cædem vindicat. Alcimus diuinitùs punitur. Bacchides perpetuam cum Iudæis pacem init.

1. INTEREA vt audiuit Demetrius, quia cecidit Nicanor &
exercitus eius in prælio, appoſuit Bacchidem & Alcimum
rurſum mittere in Iudæam, & dextrum cornu cum illis.
2. Et abierunt viam, quæ ducit in Galgala, & caſtra po-
ſuerunt in Maſaloth, quæ eſt in Arbellis: & occupauerunt
eam, & peremerunt animas hominum multas. 3. In men-
ſe primo anni centeſimi & quinquageſimi ſecundi, appli-
cuerunt exercitum ad Ieruſalem: 4. & ſurrexerunt, & abierunt in Beream viginti
millia virorum, & duo millia equitum. 5. Et Iudas poſuerat caſtra in Laiſa, &
tria millia virí electi cum eo: 6. & viderunt multitudinem exercitus quia multi
ſunt, & timuerunt valdè: & multi ſubtraxerunt ſe de caſtris, & non remanſerunt
ex eis niſi octingenti viri. 7. Et vidit Iudas quòd defluxit exercitus ſuus, & bel-
lum perurgebat eum, & confractus eſt corde, quia non habebat tempus congre-
gandi eos: & diſſolutus eſt. 8. Et dixit his qui reſidui erant: Surgamus, & eamus
ad aduerſarios noſtros, ſi poterimus pugnare aduerſus eos. 9. Et auertebant eum,
dicentes: Non poterimus, ſed liberemus animas noſtras modò, & reuertamur ad
fratres noſtros, & tunc pugnabimus aduerſus eos: nos autem pauci ſumus. 10. Et
ait Iudas, Abſit iſtam rem facere vt fugiamus ab eis: & ſi appropiauit tempus no-
ſtrum moriamur in virtute propter fratres noſtros, & non inferamus crimen gloriæ
noſtræ. 11. Et mouit exercitus de caſtris, & ſteterunt illis obuiam: & diuiſi ſunt
equites in duas partes, & fundibularij & ſagittarij præibant exercitum, & primi cer-
taminis omnes potentes. 12. Bacchides autem erat in dextro cornu, & proximauit
legio ex duabus partibus, & clamabant tubis: 13. exclamauerunt autem & hi,
qui erant ex parte Iudæ, etiam ipſi, & commota eſt terra à voce exercituum: &
commiſſum eſt prælium à manè vſque ad veſperam. 14. Et vidit Iudas, quod fir-
mior eſt pars exercitus Bacchidis in dextris, & conuenerunt cum ipſo omnes con-
ſtantes corde: 15. & contrita eſt dextera pars ab eis, & perſecutus eſt os vſque ad
montem Azoti. 16. Et qui in ſiniſtro cornu erant, viderunt quod contritum eſt
dextrum cornu, & ſecuti ſunt poſt Iudam, & eos qui cum ipſo erant, à tergo: &
ingrauatum eſt prælium, & ceciderunt vulnerati multi ex his & ex illis. 18. Et Iu-
das cecidit, & cæteri fugerunt. 19. Et Ionathas & Simon tulerunt Iudam fratrem
ſuum, & ſepelierunt eum in ſepulchro patrum ſuorum in ciuitate Modin. 20. Et
fleuerunt eum omnis populus Iſraël planctu magno, & lugebant dies multos, 21. &
dixerunt: Quomodo cecidit potens, qui ſaluum faciebat populum Iſraël! 22. Et
cætera verba bellorum Iudæ, & virtutum quas fecit, & magnitudinis eius, non ſunt
deſcripta:

deſcripta: multa enim erant valdè. 23. Et factum eſt: poſt obitum Iudæ emerſe-
runt iniqui in omnibus finibus Iſraël, & exorti ſunt omnes qui operabantur iniqui-
tatem. 24. In diebus illis facta eſt fames magna valdè, & tradidit ſe Bacchidi om-
nis regio eorum cum ipſis. 25. Et elegit Bacchides viros impios, & conſtituit eos
dominos regionis: 26. & exquirebant, & perſcrutabantur amicos Iudæ, & addu-
cebant eos ad Bacchidem, & vindicabat in illos, & illudebat. 27. Et facta eſt tribu-
latio magna in Iſraël, qualis non fuit ex die, qua non eſt viſus Propheta in Iſraël.
28. Et congregati ſunt omnes amici Iudæ, & dixerunt Ionathæ: 29. Ex quo fra-
ter tuus Iudas defunctus eſt, vir ſimilis ei non eſt, qui exeat contra inimicos noſtros,
Bacchidem, & eos qui inimici ſunt gentis noſtræ. 30. Nunc itaque te hodie ele-
gimus eſſe pro eo nobis in Principem, & Ducem ad bellandum bellum noſtrum.
31. Et ſuſcepit Ionathas tempore illo principatum, & ſurrexit loco Iudæ fratris ſui.
32. Et cognouit Bacchides, & quærebat eum occidere. 33. Et cognouit Iona-
thas, & Simon frater eius, & omnes qui cum eo erant: & fugerunt in deſertum
Thecuæ & conſederunt ad aquam lacus Aſphar. 34. Et cognouit Bacchides, & die
Sabbatorum venit ipſe, & omnis exercitus eius, trans Iordanem. 35. Et Ionathas
miſit fratrem ſuum ducem populi, & rogauit Nabuthæos amicos ſuos, vt commo-
darent illis apparatum ſuum, qui erat copioſus. 36. Et exierunt filij Iambri ex Ma-
daba, & comprehenderunt Ioannem, & omnia quæ habebat, & abierunt habentes
ea. 37. Poſt hæc verba, renuntiatum eſt Ionathæ, & Simoni fratri eius, quia filij
Iambri faciunt nuptias magnas, & ducunt ſponſam ex Madaba, filiam vnius de ma-
gnis principibus Chanaam, cum ambitione magna. 38. Et recordati ſunt ſangui-
nis Ioannis fratris ſui: & aſcenderunt, & abſconderunt ſe ſub tegumento montis.
39. Et eleuauerunt oculos ſuos, & viderunt: & ecce tumultus, & apparatus multus,
& ſponſus proceſſit, & amici eius, & fratres eius, obuiam illis cum tympanis & mu-
ſicis, & armis multis. 40. Et ſurrexerunt ad eos ex inſidiis, & occiderunt eos, &
ceciderunt vulnerati multi, & reſidui fugerunt in montes, & acceperunt omnia ſpo-
lia eorum: 41. & conuerſæ ſunt nuptiæ in luctum, & vox muſicorum ipſorum in
lamentum. 42. Et vindicauerunt vindictam ſanguinis fratris ſui: & reuerſi ſunt ad
ripam Iordanis. 43. Et audiuit Bacchides, & venit die Sabbatorum vſque ad oram
Iordanis in virtute magna. 44. Et dixit ad ſuos Ionathas: Surgamus, & pugnemus
contra inimicos noſtros: non eſt enim hodie ſicut heri & nudiuſtertius. 45. Ecce
enim bellum ex aduerſo, aqua verò Iordanis hinc & inde, & ripæ & paludes, & ſaltus:
non eſt locus diuertendi. 46. Nunc ergo clamate in cælum, vt liberemini de ma-
nu inimicorum veſtrorum. Et commiſſum eſt bellum. 47. Et extendit Ionathas
manum ſuam percutere Bacchidem, & diuertit ab eo retrò: 48. & diſſiliit Iona-
thas, & qui cum eo erant, in Iordanem: & tranſnatauerunt ad eos Iordanem. 49. &
ceciderunt de parte Bacchidis die illa mille viri. Et reuerſi ſunt in Ieruſalem, 50. &
ædificauerunt ciuitates munitas in Iudæa, munitionem, quæ erat in Iericho, & in
Ammaum, & in Bethoron, & in Bethel, & Thamnata, & Phara, & Thopo muris
excelſis, & portis, & ſeris. 51. Et poſuit cuſtodiam in eis, vt inimicitias exerce-
rent in Iſraël: 52. & muniuit ciuitatem Bethſuram, & Gazaram, & arcem, & po-
ſuit in eis auxilia, & apparatum eſcarum: 53. & accepit filios principum regionis
obſides, & poſuit eos in arce in Ieruſalem in cuſtodiam. 54. Et anno centeſimo
quinquageſimo tertio, menſe ſecundo, præcepit Alcimus deſtrui muros domus
ſanctæ interioris, & deſtrui opera prophetarum: & cœpit deſtruere. 55. In tem-
pore illo percuſſus eſt Alcimus: & impedita ſunt opera illius, & occluſum eſt os
eius, & diſſolutus eſt paralyſi, nec vltrà potuit loqui verbum, & mandare de do-
mo ſua. 56. Et mortuus eſt Alcimus in tempore illo cum tormento magno.
57. Et vidit Bacchides quoniam mortuus eſt Alcimus: & reuerſus eſt ad regem, &
ſiluit terra annis duobus. 58. Et cogitauerunt omnes iniqui dicentes: Ecce Io-
nathas, & qui cum eo ſunt, in ſilentio habitant confidenter: nunc ergo adducamus
Bacchidem, & comprehendet eos omnes vna nocte. 59. Et abierunt, & conſi-
lium ei dederunt. 60. Et ſurrexit vt veniret cum exercitu multo: & miſit oc-
cultè epiſtolas ſociis ſuis, qui erant in Iudæa, vt comprehenderent Ionathan, &
eos qui cum eo erant: ſed non potuerunt, quia innotuit eis conſilium eorum.
61. Et apprehendit de viris regionis, qui principes erant militiæ, quinquaginta
viros, & occidit eos: 62. & receſſit Ionathas, & Simon, & qui cum eo erant, in
Bethbeſſen, quæ eſt in deſerto: & extruxit diruta eius, & firmauerunt eam. 63. Et
cognouit

cognouit Bacchides, & congregauit vniuerſam multitudinem ſuam: & his, qui de Iudæa erant, denuntiauit. 64. Et venit, & caſtra poſuit deſuper Bethbeſſen & opugnauit eam dies multos, & fecit machinas. 65. Et reliquit Ionathas Simonem fratrem ſuum in ciuitate, & exiit in regionem, & venit cum numero, 66. & percuſſit Odaren, & fratres eius, & filios Phaſeron in tabernaculis ipſorum; & cœpit cædere, & creſcere in virtutibus. 67. Simon verò, & qui cum ipſo erant, exierunt de ciuitate, & ſuccenderunt machinas. 68. & pugnauerunt contra Bacchidem, & contritus eſt ab eis: & afflixerunt eum valdè, quoniam conſilium eius, & congreſſus eius erat inanis. 69. Et iratus contra viros iniquos, qui ei conſilium dederant vt veniret in regionem ipſorum multos ex eis occidit: ipſe autem cogitauit cum reliquis abire in regionem ſuam. 70. Et cognouit Ionathas, & miſit ad eum legatos componere cum ipſo, & reddere ei captiuitatem. 72. Et libenter accepit, & fecit ſecundùm verba eius, & iurauit ſe nihil facturum ei mali omnibus diebus vitæ eius. 72. Et reddidit ei captiuitatem, quam priùs erat prædatus de terra Iuda: & conuerſus abiit in terram ſuam: & non appoſuit amplius venire in fines eius. 73. Et ceſſauit gladius ex Iſraël: & habitauit Ionathas in Machmas, & cœpit Ionathas ibi iudicare populum, & exterminauit impios ex Iſraël.

COMMENTARII.

r. *Iudas Bacchidis & Alcimi innumeros milites exiguo debellat exercitu.*

VERS. 1.2.3.4. *Interea vt audiuit Demetrius, &c. & Alcimum rurſum mittere in Iudaeam, & dextrum cornu cum illis.* Seu & illis eam partem copiarum attribuit, quæ in dextro cornu pugnare ſolebat. *Et abierunt viam, qua ducit in Galgala: & caſtra poſuerunt in Maſaloth, quæ eſt in Arbellis.* Scriptura Arbellam eſſe prouinciam, in qua Oppidum Maſaloth ſitum erat, videtur indicare. Ioſepus autem Arbellam Oppidum Galilææ ſuperioris facit, & Maſaloth non meminit. Adrichomius in Tribu Nephthali conſtituit vtramque. Crediderim Maſaloth dici in Arbellis eſſe, quia Oppidum erat in Arbellis terminis, id eſt, iuxta terminos Arbellæ Vrbis ſitum. *Et occupauerunt eam, & peremerunt animas hominum multas,* ſeu multos homines occiderunt. *In menſe primo anni centeſimi & quinquageſimi ſecundi applicuerunt exercitum ad Ieruſalem,* Menſe Niſan anni Græcorum centeſimi quinquageſimi ſecundi Bacchides & Alcimus triginta millium armatorum exercitu Ieroſolymam obſederunt. Quid iſtic egerint, vel quamdiù hæſerint, minimè conſtat. Fortè ſpe potiundæ Vrbis excluſi, Iudæ cum ſuis aduentanti procedendum obuiam putarunt. *Et ſurrexerunt, & abierunt in Bercam viginti millia virorum, & duo millia equitum.* Ex triginta millibus (quos Gorionides conſtituit *lib. 3. cap. 23.* relictis hinc indè pro præſidio, vel in arcibus octo millibus, ſoluta Ieroſolymæ obſidione, obuiam Iudæ procedunt, ducentes ſecum viginti millia peditum, & equitum duo millia.

Verſ. 5.6.7. Et Iudas poſuerat caſtra in Laiſa, &c. Cum hoſtilis exercitus tot millibus militum exundaret, exercitus Iudæ non habebat vniuerſim niſi tria millia, ſed fortium, & electorum virorum: tunc tamen temporis minus conſtantium, minus fidelium. Nam duo millia & ducenti conſpecta hoſtium tanta multitudine, ſuorum vero paucitate, timore correpti, deſertis in periculo ſociis fiduciæ in Deum obliti ſe de exercitu Iudæ ſubtraxere, ſolùm eum eo Octingentis viris remanentibus. * Sed quæ manifeſtè probarunt, victoriam non multitudini cedere, ſed virtuti: non triumphat militum copia ſegnis, ſed paucorum conſtans fortitudo.

Victoria multitudini nō cedit, ſed virtuti.

Verſ. 7.8.9.10.11. Et vidit Iudas, quod defluxit exercitus ſuus, &c. Iudas tunc perturbato naturaliter animo, dubius, quid in tantis anguſtiis ageret, & conſilij inops hærebat, ac penè concidebat. Aſt rebus humana via deſperatis mentem mox erigit ad Deum, & ex certa in illum fiducia, & ſimul ex ipſa neceſſitate animum recepit. *Et dixit his, qui reſidui erant, &c.* Dixit reſiduis ſociis; ſurgite, & ad profligandos aduerſarios noſtros brachia exeramus; non noſtris fidentes viribus, ſed ope cæleſti, tentemus, ſi poſſimus pugnare feliciter, & victoria potiri. *Et auertebant* eum ab huiuſmodi auſu ſocij, *dicentes: Non poterimus: ſed liberemus animas noſtras* (vitas noſtras) *modo* ab euidenti plane diſcrimine: *& reuertamur ad fratres noſtros, & tunc pugnabimus aduerſus eos; nos enim pauci ſumus,* vt tam copioſi exercitus impetum non ſolum vincere, ſed nec ſuſtinere valeamus. *Et ait Iudas, Abſit, iſtam rem facere, vt fugiamus, &c. & non inferamus crimen gloria noſtra.* Græcè pro *crimen, accuſationē ponitur.* Ne fugiendo minuamus gloriam ſeu famam noſtram, eoque accuſemur infirmitatis, imò in Deum infidelitatis. Licet enim nullum eſſet dedecus, tam impares viribus ad tempus cedere, imò id recta ratio exigere videbatur: erat tamen in Iudæ opinione indecorum admodum, idque in diuini honoris imminutionem refluere exiſtimabat, cui vitæ ſuæ litabat obſequium cum dicebat: ſi appropiauit tempus noſtrum, *moriamur.* * Profectò fugere dum neceſſitas vrget non minoris virtutis eſt, quàm certamen inire.] At nulla hîc abſoluta neceſſitate putabat Iudas ſe premi: fidebat enim virtute & robore ſuorum, quos etſi paucos, ſelectos habuit: fidebat & ope diuina. Et quidem euentus docuit, non temerè tale ab ipſo conſilium fuiſſe ſuſceptum. * Et victoriam non in cæco multorum impetu, ſed in paucorum fide & fortitudine obtineri.] Fugere, ais, noluit, ne maculam

Fugere dum neceſſitas vrget, non minoris virtutis eſt, quàm pugnare.

Victoria non in multorum cæco impetu, ſed in paucorum fide, & fortitudine obtinetur.

ſum *gloria ſua* inferret. Certè gloria illa ipſius non erat vana, & futilis, mundana, ſed vera, religioſa, & ſolida gloria, nempè quæ ex defenſione gloriæ Dei, veræ religionis, Templi, patriæ, & piorum ciuium oriebatur. *Moriamur* inquit, fortiter, generoſè, glorioſè, ſi ex decreto diuino tempus aduenit vt ex hac vita excedamus. Porrò glorioſiori morte defungi non poterant, quam pro ſacris aris, pro fide, pro ſociis. *Et venit exercitium de caſtris, &c.** Fortitudo enim vbi fortius inſtat periculum, ibi putat maiorem ſibi adeſſe ſecuritatem.]

Fortitudini ibi maior ſecuritas, vbi fortiùs periculum inſtat.

Verſ. 12.13.14.15.16.17. *Bacchides autem erat in dextro cornu, &c.* Phalanx hæc erat grauis armatura peditum, & præcipuum exercitus robur. Hæc quidem vtrumque cornu contra Iudæos promouit. Acies enim regiorum erat lunata. * Quaſi præſagiens inſtar lunæ mutandam eſſe tanti exercitus præſumptionem in abiectam de more fortunam.] *Et clamabant tubis, & commota eſt terra.* (ſeu concuſſa, reddito ſono & per montes ac valles repercuſſo) *à voce exercituum: & commiſſum eſt prælium à manè vſque ad veſperam, &c. & contrita eſt dextera pars* illa *ab eis* : & perſecutus eſt eos vſque ad montem Azoti *Et qui in ſiniſtro cornu erant, viderunt, quod contritum eſt dextrum cornu* ab Iſraëlitis: *& ſecuti ſunt poſt Iudam, & eos, qui cum ipſo erant à tergo, &c.*

Præſumptio vt luna mutatur in abiectionem.

2.

Iudas victor occumbit

Verſ. 18.19.20.21.22. *Et Iudas cecidit, & cæteri fugerunt.* Fugerunt certè ſocij Iudæ vt accidere ſolet militibus, cum Dux occumbit: ſed tamen iniere fugam hi poſt glorioſiſſimam victoriam, poſt contritum dexterum cornu exercitus regij, poſt cæſa tot hoſtium millia, & cum viribus iam exhauſti, diutius arma tractare non poſſent. * Aliquod eſt certamen ſpiritus in quo debet miles horum fortiſſimorum heroüm fugam æmulari: nempè cum Venerem vicit in pugna. Poſt victoriam enim fuga hæc non eſt infirmitatis, ſed fortitudinis.] Quod verò Dux omnium Iudas cadere à Deo permiſſus ſit, altioris conſilij fuit, quam vt à nobis capi poſſit. Augurantur nonnulli Doctores diſplicuiſſe Deo fœdus initum cum Romanis: addentes fratribus quoque Iudæ ab innouato poſtmodum fœdere cum Romanis omnia infeliciter ceſſiſſe. * Et quidem infideles adduci à fidelibus in auxilium, maximè ſi periculum latitet eorum mores corruptos imitandi, gratum Numini eſſe non poteſt] * Verum temerarium videtur, ex euentu conſilia metiri. Cur enim hos potius damnemus, quam Abrahamum, Iſaacum, Iacobum, Dauidem, Aſam, & tot alios, qui cum Gentilibus fœdera, ſocietatémque inierunt? Annon permittunt diuinæ leges, & ratio naturalis ſuadet, vt ad ſui ſuorumque defenſionem humana diuinis ſubſidia iungantur?] * Aſſeruerim quidem mortem in forti pugna, & pleno victoriæ prælio Iudæ non inter aduerſa, vel pœnas; ſed inter trophæa adnumerandam eſſe, vti merito adnumerantur Samſoni, Ioſiæ, & tot aliis heroïbus] *Et Ionathas & Simon tulerunt Iudam fratrem ſuum, &c.* * *Tulerunt* inquit, *Iudam,* non Iudæ cadauer. Quia viri egregij non moriuntur, cum eorum egregia ſemper opera viuant.] *Et fleuerunt eum omnis populus Iſraël planctu magno, &c. Et cætera verba bellorum Iudæ.* R.P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. to. VII. p. 2.

Poſt victam luxuriam, fuga victoris non eſt infirmitatis, ſed fortitudinis.

Haud Deo gratum, infideles à fidelibus in auxilium adduci.

Ex euentu conſilia, ſeu intentiones hominum metienda non ſunt.

Vincentis ducis mors egregium eſt ipſius trophæum.

Viri egregij etiam mortui viuunt in operibus.

& verſuum, quas fecit, & magnitudinis eius, nõ ſunt deſcripta: multa enim erant valde. Plurimæ aliæ res in bello fortiter geſtæ à Iuda Machabæo, prætereuntur. Hic enim liber non niſi breue quoddam heroïcarum illius virtutum compendium exponit.

Verſ. 23.24.25.26.27. *Et factum eſt: poſt obitum Iudæ, &c.* Poſt Iudæ mortem criſtas cœperunt erigere iniqui apoſtatæ, qui antea metu illius nec hiſcere audebant. * Impigra paſtoris cura commendatur, quandò lupi vel latrate verentur.] *In diebus illis facta eſt fames magna valdè, &c.* Fames exorta eſt magna forte frugibus ab hoſte protritis. Cum autem gemino hoſti bello ſimul ac fami Iudæi non fuiſſent reſiſtendo, vrgerentque apoſtatæ, vt pacem cum hoſtibus, & ſi iniquis conditionibus inirẽt, omnis regio eorum cum ipſis incolis, ex captis Machabæis, eiuſque aſſeclis Bacchidi ſe dedidit. *Et elegit Bacchides viros* illos *impios* apoſtatas: *& conſtituit eos dominos regionis*, ſeu fecit Magiſtratus: *& exquirebant, & perſcrutabantur amicos Iudæ, & adducebant eos ad Bacchidem, & vindicabat in illos, & illudebat. Et facta eſt tribulatio magna in Iſraël, qualis non fuit ex die, qua non eſt viſus Propheta in Iſraël,* ſcilicet à tempore reædificationis Templi, quando nimirum vltimi Prophetæ floruere, ſiue (vt alij) poſt captiuitatem Babylonicam. *Roden ad illã particulam. *Illudebat,* Ioſephus vertit, *enecabat.* Viro enim ingenuo idem eſt illudi per riſum, ac dire enecari.]

3.

Preſſi fame Iudæi Bacchidi ſe dedunt.

Laus eſt Magiſtratus quando impij nec hiſcere audent.

Viro ingenuo idem eſt illudi, ac enecari.

Verſ. 28.29.30.31.32.33. *Et congregati ſunt omnes amici Iudæ, &c. Et ſuſcepit Ionathas tempore illo Principatum: & ſucceſſit loco Iudæ fratris ſui.* Eo enim tempore, & in tanta rerum perturbatione ſolus ſanguis non dabat imperium apud Iudæos] *Et cognouit Bacchides* Ionatham fuiſſe electum in Principem, *& quærebat eum occidere. Et cognouit Ionathas, & Simon frater eius & omnes, qui cum eo erant* Bacchidis inſidias. *& fugerunt in deſertum Thecue.* & conſederunt ad aquam lacus Aſphar, ſeu iuxta Aſphar ripam. Tam deſertum Thecue, quam lacus Aſphar erat in Tribu Iuda non longè à Bethlehem.

4.

Ionathas Iudæ ſucceſſor vindicat Ioannis fratris necem.

Verſ. 34.35.36. *Et cognouit Bacchides, & die Sabatorum venit ipſe, & omnis exercitus eius trans Iordanem.* Vel in legis Iudaïcæ contemptum; vel vt quietos incautoſque Iudæos opprimeret: exiſtimans non repugnaturos propter Sabbati religionem. *Et Ionathas miſit fratrem ſuum ducem populi, &c.* Immiſit Ionathas Iudam fratrẽ ſuum cum manu militum. (ideoque eum populi Principem vocat.) ad Nabuthæos qui longius trans Iordanem habitabant verſus Orientem: *vt commodarent illis apparatũ ſuum,* Græcè, *deponere apud ipſos apparatum*, ſeu ſupellectilem ſuam, vt ad pugnandum eſſent expeditiores. Quarè quod in textu noſtro dicitur *commodarent*, aliqui legunt, *commendarent.** Edocemur qui cum fortiſſimo inuiſibili hoſte confligimus, non à mũdialium bonorum affectu expedire, ne obſtaculo ſit nobis ad certamina. Nudi enim cum nudo aptius peregrinus ad paleſtram.] *Et exierunt filij Iambri,* Antequam Ioannes ad Vrbem Nabo, vt Nabuthæis ſupellectilia traderet. Iambritæ Bacchidi magis, quam Iudæis addicti ex oppido Madaba in Tribu Ruben ſito hoſtiliter aggreſſi Ioannem, eiuſque ſocios, & ſupellectilia omnia rapientes Ioannem occiderunt.

Rerũ mundialium nos affectu exuamus, vt nudi cum nudo decertemus.

Verſ. 37. 38. 39. 40. 41. 42. *Poſt hæc verba renuntiatum eſt Ionathæ, & Simoni fratri eius, &c. Et vindicauerunt vindictam ſanguinis fratris ſui: & reuerſi ſunt ad ripam Iordanis.* Mortem itaque Ioannis vultus egregiè Ionathas, rediit obuiam Bacchidi ad Iordanis ripam, vbi ſuos ad præliandum fortiter, inflammauit.

Verſ. 43. 44. 45. 46. *Et audiuit Bacchides, &c. Et dixit ad ſuos Ionathas: ſurgamus, & pugnemus contrà inimicos noſtros: non eſt enim hodie ſicut heri & nudius tertius, &c.* Haud eſt hodie (inquit Ionathas) ſicut heri & nudius tertius, cum eramus in deſerto Thecuæ, & liberum erat nobis prælium aut admittere, aut declinare. Nunc enim hoſtem à fronte habemus, ideoque neceſſario nobis pugnandum eſt, cum flumine, paludibus, montibus intercluſi, alia ratione non poſſimus euadere.

Verſ. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. *Et extendit Ionathas manum ſuam, percutere Bacchidem*, vt ſublato duce, reliquum exercitum in fugam verteret: *& diuertit ab eo retro. Et diſſiluit Ionathas, & qui cum eo erant in Iordanem: & tranſnatauerunt ad eos Iordanem.* Bacchidem, qui Iudam nuper occiderat, Ionathas manum extendens interimere aggreditur, ſed Bacchides effugit ictum retrò diuertens. Cumque in Ionatham, eiuſque ſocios agmina hoſtilia vndique incurrerent, deſiliit ex compoſito Ionathas eiuſque ſocij in Iordanem, & tranſnatauerunt (ſic Græcus) in vlteriorem ripam, nec amplius reuerſi ſunt ad Bacchidem impugnandum. Hoſtes verò non tranſnatauerunt (Græcus addit) ipſi Iordanem ad eos perſequendos, nam aſſequi non potuiſſent. *Et ceciderunt ex parte Bacchidis die illa mille viri: & reuerſi ſunt in Ieruſalem.* Deſideratis igitur ex ſuo exercitu mille viris: reuerſi ſunt Bacchides & copiæ in Ieroſolymam ſubditam ſibi tum Vrbem. Nec auſus exindè bello laceſſere Ionatham: munitiones ſolùm conſtruxit hinc inde: *Etenim ædificauerunt Ciuitates munitas, in Iudæa munitionem, &c.* In Ciuitatibus, quas muniuit conſtituit Bacchides milites præſidiarios, vt excurſionibus inde factis diuexarent Iudæos. Fecit etiam in Vrbibus reponi frumentum, vinum, & commeatum omnigenum, vt obſidionem ferre poſſent, ſi à Ionatha vrgerentur. Accepit quoque totius regionis Iudææ Principum filios in obſides, ne parentes ipſorum rebellare, & cum Ionatha conſpirare auderent.

5.
Alcimus diuinitùs punitur.

Verſ. 54. 55. 56. *Et anno centeſimo quinquageſimo tertio Græcorum menſe ſecundo præcepit Alcimus deſtrui muros domus ſanctæ interioris, &c.* Quid inter hæc Pſeudopontifex Alcimus? Porrò is eodem anno centeſimo quinquageſimo tertio menſe ſecundo, iuſſit euerti muros domus ſanctæ interioris. Græcè *aulæ* ſeu atrij Templi. Nempe impetrauit deiici muros interiores arcis, quam in atrio Templi Iudas Machabæus cap 4. 60. aduerſus munitionem hoſtilem conſtruxerat, non propria intentione, ſed ad exemplum operum olim à Prophetis Aggæo, Zacharia, & aliis deſignatorum, vt præſidium & tutelam perpetuam Sacerdotes & Leuitæ in ſuo Templo haberent. Ne igitur hoc præſidio aduerſus arcem regiam ſe tutarentur Iudæi, iuſſit impius Alcimus muros ab intus deſtrui. *In tempore illo percuſſus eſt Alcimus, &c.* Deſtructionis murorum initio diuina vindicta Alcimus paralyſi percuſſus interiit. * Sæpè vindictis, Templi violatores, aut cuiuſlibet rei ſacræ profanatores ſubito, ideoque ſupplicio mulctari.] Nec *mandauit de domo ſua*, aſſignans opum diuiſionem. *Prædatus enim Iudæos fuerat: quidquid autem illicitè acquiritur, in nullam raptoris cedit vtilitatem.] *Et mortuus eſt Alcimus in tempore illo cum tormento magno.* Attamen eius aſſeclæ cœpto operi inſtitere. Nam ſeptimo poſt anno Ionathas illos muros inſtaurauit.

Templi, vel rei ſacræ violatores ſubito ac diro ſupplicio mulctantur.

In nullam raptoris vtilitatem cedit quod illicitè acquiritur.

6.
Bacchides pacem cum Iudæis ſtabilit.

Verſ. 57. 58. 59. 60. 61. 62. *Et vidit Bacchides, quoniam mortuus eſt Alcimus, &c.* Interim Alcimi morte territus Bacchides, recurrit in Syriam ad Regem ſuum Demetrium. Et ſic biennio toto pax & quies à bello Iudæis fuit. *Vidit*, inquit, *Bacchides, quoniam mortuus eſt Alcimus*; abſtinuit à bello, & ab iniuriis, quîs ab eo Iudæi afficiebantur. Quis enim quantumcumque impius non compungantur ex mortis obiectu?] *Et cogitauerunt omnes iniqui, dicentes: Ecce Ionathas, &c. Et abierunt* apoſtatæ illi, *& conſilium ei dederant. Et ſurrexit* Bacchides, *vt veniret cum exercitu multo: & miſit occultè epiſtolas ſociis ſuis, qui erant in Iudæa, vt comprehenderent Ionatham, & eos, qui cum eo erant; ſed non potuerunt, quia innotuit eis conſilium eorum.* * Rarò videtis ſecretum non reſerari, quod epiſtulæ quantumcumque occultè committitur.] *Et apprehendit de viris regionis, qui principes erant malitiæ, quinquaginta viros, & occidit eos.* Conſcius Ionathas inſidiarum, principes tantæ malitiæ, paciſque publicæ turbatores, apprehendit, & quinquaginta ſolum occidit, vt furori Bacchidis reliqui ſeruarentur. *Et receſſit Ionathas & Simon, & qui cum eo erant, in Bethbeſſen, &c.* Bethbeſſen Vrbs erat in deſerto Iericho in Tribu Beniamin non longe à Iordane.

Vel impius compungitur ex obiectu mortis.

Secretum commiſſum epiſtolæ rarò non reſeratur.

Verſ. 63. 64. 65. 66. *Et cognouit Bacchides, & congregauit omnem multitudinem ſuam: & his, qui de Iudæa erant denuntiauit.* Apoſtatas, qui ei conſilium dederant redeundi, de ſuò aduentu fecit certiores. *Et venit, & caſtra poſuit deſuper Bethbeſſen, & oppugnauit eam dies multos: & fecit machinas*, ad muros euertendos. *Et reliquit Ionathas Simonem fratrem ſuum in Ciuitate, & exiit in regionem, & venit cum numero copioſo militum: & percuſſit Odaren, & fratres eius, & filios Phaſeron in tabernaculis ipſorum: & cœpit cædere, & creſcere in virtutibus.* Cœpit hoſtes percutere, & rebus egregiè geſtis clareſcere.

Verſ. 67. 68. 69. *Simon verò, & qui cū ipſo erant, exierunt de Ciuitate, &c. & Congreſſus eius erat inanis*, irrita ſcilicet tanti apparatus expeditio, quæ in dedecus, & cladem eius cederet. *Et iratus contrà viros iniquos*; ſeu Iſraëlitas apoſtatas, *qui ei conſilium dederant, vt veniret in regionem ipſorum, multos ex eis occidit: ipſe autem cogitauit cum reliquis, abire in regionem ſuam.*

Verſ. 70. 71. 72. 73. *Et cognouit Ionathas, & miſit ad eum legatos, componere pacem cum ipſo: & reddere ei captiuitatem.* Pacem Ionathas cum Demetrio componere curauit, redditis vtrinque captiuis, vt fit, cum pax inter diuerſa Regna ſolet iniri. *Et libenter accepit, & fecit ſecundum verba eius, &c.* Interpellatus Bacchides à Ionatha de pace, vltro dedit, captiuis omnibus

bus ei redditis, neque ampliùs è Babylonia, ad quam ſe contulit, in Iudæam rediit. *Et ceſſauit gladius* ex Iſraël: & habitauit Ionathas in Machmas Vrbe, quæ erat in confinio Tribuum Beniamin, & Ephraim: *& cœpit Ionathas ibi iudicare populum, & exterminare impios ex Iſraël.* Cum Ionathas cœpit ius populo dicere, primum eius ſtudium fuit, de Regno impios exterminare. * Quod Magiſtratus æmulari debent ad ſuæ gubernationis felicitatem. Ob ciuium enim impiorum ſcelera totum Regnum calamitatibus ſolet affligi.]

Primum Magiſtratus ſtudium ſit, improbos ciues exterminare.

CAPVT X.

Rex Demetrius, & Alexander Ionathæ ambiunt amicitiam: quam ſolus Alexander acquirit. Hic deuicto Demetrio, Ionatham multis ornat muneribus. Nam Apollonium profligans Alexandri hoſtem, Vrbem Accaron dono ab Alexandro accipit.

1. ET anno centeſimo ſexageſimo aſcendit Alexander Antiochi
filius, qui cognominatus eſt Nobilis: & occupauit Ptolemaidam: & receperunt eum, & regnauit illic.
2. Et audiuit Demetrius rex, & congregauit exercitum copioſum valdè, & exiuit obuiam illi in prælium.
3. Et miſit Demetrius epiſtolam ad Ionathan verbis pacificis, vt magnificaret eum.
4. Dixit enim: anticipemus facere pacem cum eo, priuſquam faciat cum Alexandro aduerſum nos:
5. recordabitur enim omnium malorum, quæ fecimus in eum, & in fratrem eius, & in gentem eius.
6. Et dedit ei poteſtatem congregandi exercitum, & fabricare arma, & eſſe ipſum ſocium eius: & obſides, qui erant in arce, iuſſit tradi ei.
7. Et venit Ionathas in Ieruſalem, & legit epiſtolas in auditu omnis populi, & eorum qui in arce erant.
8. Et timuerunt timore magno, quoniam audierunt quòd dedit ei rex poteſtatem congregandi exercitum.
9. Et traditi ſunt Ionathæ obſides, & reddidit eos parentibus ſuis:
10. & habitauit Ionathas in Ieruſalem, & cœpit ædificare & innouare ciuitatem.
11. Et dixit facientibus opera, vt extruerent muros, & montem Sion in circuitu lapidibus quadratis ad munitionem: & ita fecerunt.
12. Et fuerunt alienigenæ, qui erant in munitionibus, quas Bacchides ædificauerat:
13. & reliquit vnuſquiſque locum ſuum, & abiit in terram ſuam:
14. tantùm in Bethſura remanſerunt aliqui, ex his qui reliquerant legem & præcepta Dei: erat enim hæc eis ad refugium.
15. Et audiuit Alexander rex promiſſa, quæ promiſit Demetrius Ionathæ, & narrauerunt ei prælia, & virtutes, quas ipſe fecit, & fratres eius, & labores, quos laborauerunt.
16. & ait: Numquid inueniemus aliquem virum talem? & nunc faciemus eum amicum & ſocium noſtrum.
17. Et ſcripſit epiſtolam, & miſit ei ſecundùm hæc verba, dicens:
18. REX Alexander fratri Ionathæ ſalutem.
19. Audiuimus de te, quòd vir potens ſis viribus, & aptus es vt ſis amicus noſter:
20. & nunc conſtituimus te hodie ſummum ſacerdotem gentis tuæ, & vt amicus voceris regis, (& miſit ei purpuram, & coronam auream) & quæ noſtra ſunt ſentias nobiſcum, & conſerues amicitias ad nos.
21. Et induit ſe Ionathas ſtola ſancta ſeptimo menſe, anno centeſimo ſexageſimo, in die ſolemni ſcenopegiæ: & congregauit exercitum, & fecit arma copioſa.
22. Et audiuit Demetrius verba iſta, & contriſtatus eſt nimis, & ait:
23. Quid hoc fecimus, quòd præoccupauit nos Alexander apprehendere amicitiam Iudæorum ad munimen ſui?
24. Scribam & ego illis verba deprecatoria, & dignitates, & dona: vt ſint mecum in adiutorium.
25. Et ſcripſit eis in hæc verba: Rex Demetrius genti Iudæorum ſalutem.
26. Quoniam ſeruaſtis ad nos pactum, & manſiſtis in amicitia noſtra, & non acceſſiſtis ad inimicos noſtros, audiuimus, & gauiſi ſumus.
27. Et nunc perſeuerate adhuc conſeruare ad nos fidem, & retribuemus vobis bona pro his quæ feciſtis nobiſcum:
28. & remittemus vobis præſtationes multas, & dabimus vobis donationes.
29. Et nunc abſoluo vos & omnes Iudæos à tributis, & pretia ſalis indulgeo, & coronas remitto, & tertias ſeminis:
30. & dimidiam partem fructus ligni, quod eſt portionis meæ, relinquo vobis ex hodierno die, & deinceps,

ne accipiatur à terra Iuda: & à tribus ciuitatibus, quæ additæ ſunt illi ex Samaria & Galilæa, ex hodierna die & in totum tempus: 31. & Ieruſalem ſit ſancta, & libera cum finibus ſuis: & decimæ & tributa ipſius ſint. 32. Remitto etiam poteſtatem arcis, quæ eſt in Ieruſalem: & do eam ſummo ſacerdoti, vt conſtituat in ea viros quoſcumque ipſe elegerit, qui cuſtodiant eam. 33. Et omnem animam Iudæorum, quæ captiua eſt à terra Iuda in omni regno meo, relinquo liberam gratis, vt omnes à tributis ſoluantur, etiam pecorum ſuorum. 34. Et omnes dies ſolemnes, & Sabbata, & neomeniæ, & dies decreti, & tres dies ante diem ſollemnem, & tres dies poſt diem ſolemnem, ſint omnes immunitatis & remiſſionis omnibus Iudæis, qui ſunt in regno meo: 35. & nemo habebit poteſtatem agere aliquid, & mouere negotia aduerſus aliquem illorum, in omni cauſa. 36. Et adſcribantur ex Iudæis in exercitu regis ad triginta millia virorum: & dabuntur illis copiæ vt oportet omnibus exercitibus regis, & ex eis ordinabuntur qui ſint in munitionibus regis magni: 37. & ex his conſtituentur ſuper negotia regni, quæ aguntur ex fide, & principes ſint ex eis, & ambulent in legibus ſuis, ſicut præcepit rex in terra Iuda. 38. Et tres ciuitates, quæ additæ ſunt Iudææ ex regione Samariæ, cum Iudæa reputentur: vt ſint ſub vno, & non obediant alij poteſtati, niſi ſummi ſacerdotis. 39. Ptolemaida, & confines eius, quas dedi donum ſanctis, qui ſunt in Ieruſalem, ad neceſſarios ſumptus ſanctorum. 40. Et ego do ſingulis annis quindecim millia ſiclorum argenti de rationibus regis, quæ me contingunt: 41. & omne quod reliquum fuerit, quod non reddiderant qui ſuper negotia erant annis prioribus, ex hoc dabunt in opera domus. 42. Et ſuper hæc quinque millia ſiclorum argenti, quæ accipiebant de ſanctorum ratione per ſingulos annos: & hæc ad ſacerdotes pertineant, qui miniſterio funguntur. 43. Et quicumque confugerint in templum, quod eſt Ieroſolymis, & in omnibus finibus eius, obnoxij regi in omni negotio dimittantur, & vniuerſa, quæ ſunt eis in regno meo, libera habeant. 44. Et ad ædificanda vel reſtauranda opera ſanctorum, ſumptus dabuntur de ratione regis: 45. & ad extruendos muros Ieruſalem, & communiendos in circuitu, ſumptus dabuntur de ratione regis, & ad conſtruendos muros in Iudæa. 46. Vt audiuit autem Ionathas & populus ſermones iſtos, non crediderunt eis, nec receperunt eos: quia recordati ſunt malitiæ magnæ, quam fecerat in Iſraël, & tribulauerat eos valdè. 47. Et complacuit eis in Alexandrum, quia ipſe fuerat eis princeps ſermonum pacis, & ipſi auxilium ferebant omnibus diebus. 48. Et congregauit rex Alexander exercitum magnum, & admouit caſtra contra Demetrium. 49. Et commiſerunt prælium duo reges, & fugit exercitus Demetrij, & inſecutus eſt eum Alexander, & incubuit ſuper eos. 50. Et inualuit prælium nimis, donec occidit ſol: & cecidit Demetrius in die illa. 51. Et miſit Alexander ad Ptolemæum regem Ægypti legatos ſecundùm hæc verba, dicens: 52. QVONIAM regreſſus ſum in regnum meum, & ſedi in ſede patrum meorum, & obtinui principatum, & contriui Demetrium, & poſſedi regionem noſtram, 53. & commiſi pugnam cum eo, & contritus eſt ipſe, & caſtra eius, à nobis, & ſedimus in ſede regni eius: 54. & nunc ſtatuamus ad inuicem amicitiam: & da mihi filiam tuam vxorem: & ego ero gener tuus, & dabo tibi dona, & ipſi, digna te. 55. Et reſpondit rex Ptolemæus, dicens: FELIX dies, in qua reuerſus es ad terram patrum tuorum, & ſediſti in ſede regni eorum. 56. Et nunc faciam tibi quod ſcripſiſti: ſed occurre mihi Ptolemaidam, vt videamus inuicem nos, & ſpondeam tibi ſicut dixiſti. 57. Et exiuit Ptolemæus de Ægypto, ipſe, & Cleopatra filia eius, & venit Ptolemaidam anno centeſimo ſexageſimo ſecundo. 58. Et occurrit ei Alexander rex, & dedit ei Cleopatram filiam ſuam: & fecit nuptias eius Ptolemaidæ, ſicut reges, in magna gloria. 59. Et ſcripſit rex Alexander Ionathæ, vt veniret obuiam ſibi. 60. Et abiit cum gloria Ptolemaidam, & occurit ibi duobus regibus, & dedit illis argentum multum, & aurum, & dona: & inuenit gratiam in conſpectu eorum. 61. Et conuenerunt aduerſus eum viri peſtilentes ex Iſraël, viri iniqui interpellantes aduerſus eum: & non intendit ad eos rex. 62. Et iuſſit ſpoliari Ionathan veſtibus ſuis, & indui eum purpura, & ita fecerunt. Et conuocauit eum rex ſedere ſecum. 63. Dixitque principibus ſuis: Exite cum eo in medium ciuitatis, & prædicate, vt nemo aduerſus eum interpellet de vllo negotio, nec quiſquam ei moleſtus ſit de vlla ratione. 64. Et factum eſt, vt viderunt qui interpellabant gloriam eius, quæ prædicabatur, & opertum eum purpura, fugerunt omnes: 65. &

magnificauit

magnificauit eum rex, & reſcripſit eum inter primos amicos, & poſuit eum du-
cem,& participem principatus.66. Et reuerſus eſt Ionathas in Ieruſalem cum pace
& lætitia. 67. In anno centeſimo ſexageſimoquinto, venit Demetrius filius Deme-
trij à Creta in terram patrum ſuorum. 68. Et audiuit Alexander rex, & contriſta-
tus eſt valdè, & reuerſus Antiochiam. 69. Et conſtituit Demetrius rex Apollo-
nium ducem, qui præerat Cœleſyriæ: & congregauit exercitum magnum: & ac-
ceſſit ad Iamniam: & miſit ad Ionathan ſummum ſacerdotem, 70. Dicens: Tu
ſolus reſiſtis nobis: ego autem factus ſum in deriſum,& in opprobrium, proptereà
quia tu poteſtatem aduerſum nos exerces in montibus. 71. Nunc ergo ſi confidis
in virtutibus tuis, deſcende ad nos in campum, & comparemus illic inuicem:
quia mecum eſt virtus bellorum. 72. Interroga, & diſce qui ſum ego, & cæteri,
qui auxilio ſunt mihi, qui & dicunt, quia non poteſt ſtare pes veſter ante faciem no-
ſtram: quia bis in fugam conuerſi ſunt patres tui in terra ſua: 73. & nunc quo-
modo poteris ſuſtinere equitatum, & exercitum tantum in campo, vbi non eſt la-
pis, neque ſaxum, neque locus fugiendi? 74. Et audiuit autem Ionathas ſermones
Apollonij, motus eſt animo: & elegit decem millia virorum, & exiit ab Ieruſalem
& occurrit ei Simon frater eius in adiutorium: 75. & applicuerunt caſtra in Iop-
pen, & excluſit eum à ciuitate (quia cuſtodia Appollonij Ioppe erat) & oppugna-
uit eam. 76. Et exterriti, qui erant in ciuitate, aperuerunt ei, & obtinuit Ionathas
Ioppen, 77. Et audiuit Apollonius, & admouit tria millia equitum, & exercitum
multum. 78. Et abiit Azotum tanquam iter faciens, & ſtatim exiit in campum,
eò quòd haberet multitudinem equitum, & confideret in eis. Et inſecutus eſt eum
Ionathas in Azotum, & commiſerunt prælium. 79. Et reliquit Apollonius in ca-
ſtris mille equites poſt eos occultè. 80. Et cognouit Ionathas quoniam inſidiæ
ſunt poſt ſe, & circuierunt caſtra eius, & iecerunt iacula in populum à manè vſ-
que ad veſperam. 81. Populus autem ſtabat, ſicut præceperat Ionathas: & labo-
rauerunt equi eorum. 82. Et eiecit Simon exercitum ſuum, & commiſit contra
legionem: equites enim fatigati erant: & contriti ſunt ab eo, & fugerunt. 83. Et
qui diſperſi ſunt per campum, fugerunt in Azotum, & intrauerunt Beth Dagon
idolum ſuum, vt ibi ſe liberarent. 84. Et ſuccendit Ionathas Azotum, & ciuita-
tes, quæ erant in circuitu eius. & accepit ſpolia eorum, & templum Dagon, &
omnes qui fugerunt in illud, ſuccendit igni. 85. Et fuerunt qui ceciderunt
gladio, cum his qui ſuccenſi ſunt, ferè octo millia virorum. 86. Et mouit inde Io-
nathas caſtra, & applicuit ea Aſcalonem: & exierunt de ciuitate obuiam illi in ma-
gna gloria. 87. Et reuerſus eſt Ionathas in Ieruſalem cum ſuis, habentibus ſpolia
multa. 88. Et factum eſt: vt audiuit Alexander rex ſermones iſtos, addidit adhuc
glorificare Ionathan. 89. Et miſit ei fibulam auream, ſicut conſuetudo eſt dari
cognatis regum. Et dedit ei Accaron, & omnes fines eius in poſſeſſionem.

COMMENTARII.

1. *Demetrius, & Alexander Ionatha ambiunt amicitiam quam ſolus Alexander acquirit.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Et anno centeſimo ſexageſimo aſcendit Alexander Antiochi filius, &c.* Anno centeſimo ſexageſimo Regni Græcorum, cum ab vltimo Bacchidis abſceſſu Iudæa toto quinquennio in pace egiſſet, rebus Machabæorum iam ſtabilitis: ex improuiſo Alexander Antiochi Epiphanis, qui *Nobilis* vocabatur, filius, frater Antiochi Eupatoris: Demetrio propter ſuperbiam, luxum, & ignauiam Syris exoſo, ipſis volentibus: in thronum regium aſcendit & primo occupauit Ptolemaïdam Pheniciæ Vrbem, nunc *Accon*, vel *Acre*: vbi incolæ illius, & vicinæ regionis eum in Regem receperunt. *Et audiuit Demetrius Rex, &c. Et miſit Demetrius epiſtolam ad Ionatham verbis pacificis vt magnificaret eum.* Literas miſit Demetrius ad Ionathan, quibus oſtendebat, ſe eum magnificare velle, & ad maiora promouere. * Hoc artificio vtuntur, qui ad propriam commoditatem alicuius ambiunt amicitiam: plura promittunt eſſe facturos, quæ, re acquiſita, rariſſime adimplent. Cum aliquis tibi aliquid ſe pro te facturum promittit, crede illum non tuum, ſed ſuum commodum procurare.] *Dixit enim,* ſeu ſtatuit in corde ſuo: *Anticipemus facere pacem cum eo: priuſquam* ipſe *faciat* pacem *cum Alexandro aduerſum nos: recordabitur enim omnium malorum, quæ fecimus in eum, & in fratrem eius, & in gentem eius.* * Ideo nulli inferendum eſt malum, neſcimus enim, quando eius auxilio aduerſa fortuna indigebimus.]

Cum aliquis tibi aliquid promittit, non tuum, ſed ſuum commodum ambit.

Nulli inferas malum, neſcis enim an aliquando illius ope indigebis.

Verſ. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Et dedit ei Demetrius *poteſtatem congregandi exercitum, & fabricare arma, & eſſe ipſum ſocium eius: & obſides qui erant in arce,* ſeu in Ciuitate David, *iuſſit tradi ei.* Et *venit Ionathas,* hiſce acceptis literis, *in Ieruſalem, & legit epiſtolas in auditu omnis populi* (ſeu omni populo audiente) *& eorum, qui in arce erant,* id eſt, etiam præſidiarij milites Syriæ, qui in arce illa commorabantur de epiſtola De-

metu ſunt facti certiores. *Et timuerunt hi milites timore magno, &c. & cœpit ædificare, & renouare. Ciuitatem* Non dixit, cœpit ſibi conſulere, ſibi parare commoda, palatium nouum extruere, opes aceruare: ſed *renouare Ciuitatem.* *Bonus namque Princeps non ſibi, ſed ſubditis promouendis ſtudet.]

Bonus Princep. nō ſibi, ſed ſubditorum cōmodis ſtudet.

Verſ. 11.12.13.14. *Et dixit facientibus opera, vt extruerent muros, & montem Sion*, ſeu muros montis Sion, *in circuitu lapidibus quadratis, ad munitionem*, ſeu vt Ciuitati munimento eſſent, *& ita fecerunt. Et fugerunt alienigenæ, qui erant in munitionibus, quas Bacchides ædificauerat. Et reliquit vnuſquiſque locum ſuum, & abiit in terram ſuam* Milites præſidiarij illi veriti, nè exercitus, cuius excitandi copia à Demetrio Ionathæ facta erat, ad eos debellandos dirigeretur, fugerunt in Syriam. *Tantùm in Bethſura remanſerunt aliqui ex his, qui reliquerant legem, & præcepta Dei; erat enim hæc ijs Ciuitas ad refugium.* * Capite præcedenti dicitur plurimos ex hiſce Iudæis apoſtatis ſemel & iterum fuiſſe & à Iudæorum Principe & à duce hoſtilis exercitus interfectos: & adhuc extabant impiorum reliquiæ? Profectò ſemen hoc prauum facile adoleſcit, niſi ſtirpitus auellatur.]

Niſi impietas radicitùs auellatur facilè adoleſcit.

Verſ. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *Et audiuit Alexander Rex promiſſa, quæ promiſit Demetrius Ionathæ: & narrauerunt ei prælia, & virtutes,* (ſeu præclara facinora) *quas ipſe fecit, & fratres eius: & labores quos laborauerunt,* ſeu firmam in laborepugnandi conſtantiam. * Cui quidem certius, quam impetui primo cedunt victoriæ.] *Et ait: Numquid inueniemus aliquem virum talem? &c. & conſerues amicitias ad nos.* Id eſt, vt adhæreas partibus noſtris aduerſus Demetrium, faueas, & opituleris cauſæ noſtræ. Oblata ab vtroque Rege beneficia Ionathas admiſit, ſed deſeruit Demetrium, & adhæſit Alexandro. * Quare precor? An ob iniuſtam tyrannidem aduerſum Iudæos iam inde ab initio exercitam? Ita quidem. Nec enim ſibi perſuadere potuit, ad amicitiam conſeruandam aptum eſſe tyrannum.]

Victoriæ certius conſtantia, quā primo valido impetu comparantur.

Ad amicitiam conſeruandam tyrānus prorſus eſt ineptus.

Verſ. 21.22.23.24. *Et induit ſe Ionathas ſtola ſancta, &c.* Se Ionathas induit veſte pontificia ſeptimi menſis die decima quinta in feſto ſcenopegiæ. Hactenus enim occupata ab hoſtibus Ieroſolyma vſus non fuerat ornatu pontificio. * Prudens nos docet inimicis, aut æmulis non dandam à nobis, quantum fieri poterit occaſionem inuidiæ.] *& congregauit exercitum & fecit arma copioſa. Et audiuit Demetrius verba iſta, & contriſtatus eſt nimis, & ait: Quid hoc fecimus, quod præoccupauit nos Alexander, apprehendere amicitiam Iudæorum ad munimen ſui?* Pigritia laborauimus, ſiquidem Alexander prior ad alliciendum ad ſe Ionatham feſtinauit. Præoccupauit equidem ille te, ô Demetri, non epiſtolæ immiſſione, ſed donorum, & pontificiæ elargitione dignæ dignitatis.* Vnum enim munus mox oblatum plures in futurum ſuperat promiſſiones.] *Scribam & ego illis verba deprecatoria, & dignitates, & dona: vt ſint mecum in adiutorium.* In Græco eſt, *Scribam verba exhortatoria*, quibus ſcilicet eum ad ineundam mecum amicitiam alliciam: & ſcribam ſimul *dona & dignitates*, hoc eſt per epiſtolam promittam, me in eum, & ſocios munificum futurum. Prudentior Alexander non ſcripſit dona, ſed dedit: *Miſit ei purpuram & coronam auream.** Vel ſignatæ ſigillo regio promiſſiones deſpiciuntur, cum ab alio munus defertur.]

Danda non eſt æmulis inuidiæ occaſio.

Vnum munus mox datum plures in futurum ſuperat promiſſiones.

Cum ab alio donū defertur, vel ſignatæ ſigillo regio promiſſiones deſpiciūtur.

Verſ. 25. 26. 27. 28. 29.30.31. *Et ſcripſit eius in hæc verba: Rex Demetrius genti Iudæorum ſalutem, &c.* Callida captatio beneuolentiæ, & geſtorum à Ionatha diſſimulatio, vt tempus & locum immutandi ſententiā exhibeat * Edocet Præſules aliquando debere ad piacula ſubditorū cæcutire: ſupponereque id agere eos, quod ipſe expetit, vt agant.] *Et nunc perſeuerate adhuc conſeruare ad nos fidem, &c. & remittemus præſtationes multas.* Præſtationes vocitat res, quas Iudæi Demetrio præſtare tenebantur, quas mox recenſet: *& dabimus vobis donationes.* Non ſolum promittit, ſe remiſſurum à Iudæis ſibi debita, ſed & eos gratuitis muneribus donaturum. Et nunc abſoluo vos, & omnes Iudæos à tributis, *& pretia ſalis indulgeo*, id eſt, ſalis vectigal condono, *& coronas remitto*, nempe aurum coronarium, quod dudum à prouinciis vltro oblatum, poſteà quaſi debitum exigebatur: *& tertias ſeminis*, Si enim quis v.gr. modios duodecim tritici ſeminaſſet, quatuor modios tempore meſſis tributi nomine reddebat: *Et dimidiam partem fructus ligni, &c.* Non omnes fructus quarumcumque arborum ad Regem pertinebant, ſed aliquarum tantum: horum ergo fructuum dimidiam partem regiæ portionis eis remittit: ſic nonnulli exponunt. Aptius exiſtimo totam portionem regiam, quæ erat pars dimidia illorum fructuum Demetrium remittendam promittere. * Quodlibet enim tributum licet minimum, populum conſtituit tributarium, eoque ex capite ſeruum.] Vel ab Antiocho, vel à Ptolemæo, vel ab aliquo alio additæ fuerant prouinciæ Iudææ tres Ciuitates, ex Samaria, & Galilæa, quas vult Demetrius eodem priuilegio potiri. *Et Ieruſalem ſit ſancta*, Non amplius profanetur, aut refrænetur à præſidiariis arcis meæ, ſed gaudeat plena immunitate, qualis locum ſanctum decet: *& libera cum finibus ſuis: & decimæ, & tributa ipſius ſint.* Decimæ, & tributa, quæ ex illa Vrbe, totaque vicinia colligebantur, iam deinceps ipſi Reipublicæ Ieroſolymitanæ cedant. Vide quo honore etiam barbari Principes Eccleſiaſticos proſequuntur.

Cæcutiant aliquando Præſules ad piacula ſubditorum.

Vel tributū leue populū conſtituit tributarium & eo ex capite ſeruū.

Verſ. 33.34.35.36.37. *Remitto etiam poteſtatem arcis, &c.* Imperium arcis meæ, quæ in 3
monte Sion terror erit eis, qui litaturi, Templum inibant, ſummo ſacerdoti lubens dedo. *Et omnem animam Iudæorum, &c.* Omnes Iudæos captiuos, qui tanquam mancipia hinc indè detinentur in toto Regni mei diſtrictu, & duram tolerant ſeruitutem, abſque pretio priſtinæ reſtituo libertati. Neque volo, vt quiſquam illorum ſeu ſuo, ſeu pecorum ſuorum nomine quidquam tributi pendat. * Si iam omnino à tributis omnes Iudæos fecerat liberos, cur ſpeciatim captiuos hoſce à ſoluendis tributis liberauit? Certè quia ex beneficio libertatis accepto videbantur gratitudinis ergo de nouo eſſe tributarios.] * *Omnem* inquit, *animam Iudæorum, quæ captiua eſt.* Cur non dixit, Omnes Iudæos captiuos, ſed *Omnem animam?* Exiſtimo, quia captiuitas, vel exilium ſic animum afficit, vt ſolus ille captiuus dicendus ſit, etiam dum corpus dira patitur.] *Et omnes dies ſolemnes, & Sabbata,*

Beneficium acceptū nos efficit velut donatores tributarios.

Quam dira ſit captiuitatis, vel exilij ſtatus.

Sabbata, &c. Omnibus autẽ Iudæis, qui ſunt & manere in Regno meo voluerint, ne in cultu ſuo exercẽdo prępediantur volo, vt omnia Sabbata, & dies decreti, ſeu deſtinati certis feſtiuitatibus, ſint hoc meo ſtatuto dies immunitatis, ac remiſſionis ſeu quietis. Eodemque priuilegio gaudeant tres dies antecedentes, & tres ſubſequentes aliquem ſolemniorem diem.

Euchariſtiam recepturus, pridie curet animũ aliquo pio opere præparare ad digniorem ſumptionem.

* Vel barbarus Rex ſciebat, ad feſtum Deo ſacrum dignè colendum neceſſariam eſſe præparationem. Vt pudore ſuffundantur qui ſacerrimam Euchariſtiam recepturi, ſaltem pridie non curant animum pio exercitamento diſponere] *Et nemo habebit poteſtatem agere aliquid, &c.* Explicat in quo conſiſtat immunitas, quam diebus iſtis feſtis Iudæis vult eſſe conceſſam: nempè vt nemini liceat, quocumque iuris prætextu vllam eis litem, vel moleſtiam mouere.

Vel ſolum nomen *litis* valde animũ inquietat.

* Vel ſolùm enim nomen *Litis* ſic animum pungit, vt minus aptum illum reddat ad cæleſtia negotia peragenda.] Addit, adſcriptis Iudæis in exercitum Regis copioſe ac liberaliter ſtipendia, aliaque neceſſaria exhiberi. Et ex eis iubet deſumi, qui præſint *Regis magnis munitionibus.*

Se Magnum appellare, vel gentili Regi non decet.

* Græcè habetur *Magnis munitionibus.* Quaſi non deceret, vel gentili Regi ſe *Magnum* appellare.] Et ex eiſdem Iudæis, inquit, deſumentur qui præſint arcanis Regis negotiis, quæ conſtituuntur ex *fide*, id eſt, quæ ſummam fidem, & taciturnitatem requirunt. Et principes, ſeu Magiſtratus etiam ex eis eligi imperat; & legibus interim ſuis toto eius Regno vti permittit, perinde atque in propria terra Iuda ex præcepto Regis vterentur.

Verſ. 38.39 40.41.42.43. Et tres Ciuitates, quæ additæ ſunt Iudææ ex Regione Samariæ, &c. Vrbem Ptolemaida, quam nunc Alexander hoſtis noſter poſſidet, eiuſque confinia dono dedo ſanctis qui (Græcè quæ) ſunt in Ieroſolyma, id eſt, Templo Solymitano, & quidem in eum finem, vt ex his prouentibus diuinus cultus foueatur. *Et ego do ſingulis annis quindecim millia ſiclorum argenti de rationibus Regis, quæ me contingunt,* ſeu ad me pertinent. Græcè, *de locis*, qui mihi vectigalia ſoluere tenentur. *Et omne, quod reliquum fuerit, quod non reddiderant, &c.* Et omne id, quod quæſtores mei annis prioribus ſubtraxerunt prouentibus Templi ad illius fabricam fouendam deſtinatis, volo reddant in opera domus ſanctæ proſequenda.

Vel gentilis Rex ſcrupulo pungitur ob detractas ob Eccleſia opes.

* Vel gentilis Rex ſcrupulo pungitur ob detractas Eccleſiæ opes, & iubet reſtitutionem fieri.] *Et ſuper hæc quinque millia ſiclorum argenti, &c.* Præterea quinque millia ſiclorum, ſeu florenorum, quæ quæſtores mei quotannis ex ærario, & prouentu Templi recipiebant, in vſus profanos vt conuerterent, iubeo reddi, & impendi in Sacerdotum ſtipendia. *Et quicumque confugerint in Templum, &c.* Templum eiuſque confinia priuilegium habeant aſyli etiam pro omnibus exteris, quorum ſeu vitam, ſeu bona licet alibi ſita nemo interim audeat infeſtare.

Verſ. 44.45.46.47. Et ad ædificanda, vel inſtauranda opera ſanctorum ſumptus dabuntur de ratione Regis, ſeu ex Regis ærario. Hiſpanè diceres, *Por cuenta del Rey. Et ad extruendos muros Ieruſalem, &c. & ad conſtruendos muros in Iudæa*, Siue in præcipuis Iudææ Vrbibus. Hæc priuilegia Iudæis tyrannus Demetrius offerebat. Sed hi iam pridem perſpectum habentes hominis ingenium inconſtans, & fallax, eius promiſſa deſpexerunt.

Qui facilè promittit multa, facilius obliuiſcitur promiſſorum.

* Nam qui facilè multa promittit, facilius promiſſorum aſſolet obliuiſci.] *Vt audiuit autem Ionathas, & populus ſermones iſtos, non crediderunt eis, nec receperunt eos, quia recordati ſunt malitiæ magnæ, quam fecerat in Iſrael, &c.* Memores quoque tyrannidis, quam exercuerat in Iſraëlitas, illo deſerto, deflexerunt in Alexandrum; quia ipſe prior Iudæos de pace atque amicitia interpellarat, neque eos vnquam læſerat. Vnde decreuerunt ei cunctis diebus auxiliares hæreſcere.

2. *Alexander vincit Demetriũ, & Cleopatram filiam Regis Ægypti vxorem ducit.*

Verſ. 48.49.50. Et congregauit Rex Alexander exercitum magnum, &c. Ergo iuuantibus Alexandrum Iudæis, pugnaque inter duos Reges commiſſa, victus, cæſus, vita exutus fuit Demetrius, equo ipſius cadente, & telis ipſum obruentibus, vti ex Ioſepho lib. 13. cap. 5. accepi.

Verſ. 51.52.53.54. Et miſit Alexander ad Ptolemæum Regem Ægypti legatos ſecundum hæc verba, dicens: &c. * *Statuamus*, ait, *ad inuicem amicitiam:* quonammodò ſtatuenda ſit, mox exponit, *Et da mihi filiam tuam vxorem, & ego ero gener tuus* Magis videtur, ſe velle cum Ptolemeo inimicias fouere: nam vel ipſum vocabulum generi & ſoceri neſcio quid inſonat inimicum, ex hominum equidem prauitate.]

Vel ipſum vocabulũ ſoceri, & generi neſcioquid inimicũ inſonat.

Verſ. 55.56.57.58. Et reſpondit Rex Ptolemæus, dicens, &c. Victori Alexandro Rex Ægypti Ptolemæus Philometor filiam ſuam Cleopatram dat vxorem. Occurre inquiens Ptolemaidam, vt ſpondeam tibi, ſeu deſpondeam filiam meam, Græcè, *vt ſim tibi ſocer. Et exiuit Ptolemæus de Ægypto, ipſe & Cleopatra filia eius, & venit Ptolemaidam anno centeſimo ſexageſimo ſecundo* Regni Græcorum. *Et occurrit ei Alexander Rex, & dedit ei Cleopatram filiam ſuam; & fecit nuptias eius Ptolemaida, ſicut Reges*, ſeu eo apparatu magnifico quo aſſolent Reges nuptias celebrare *in magna gloria.*

3. *Ionathas ad nuptias inuitatur, & magno honore excipitur.*

Verſ. 59 60. Et ſcripſit Rex Alexander Ionathæ, &c. & dedit illis argentum multum, & aurum, & dona alia: & inuenit gratiam in conſpectu eorum. Quomodò gratiam apud homines non inueniret, qui tot eis munera addixit. Aurum enim & argentum dandum ſecum affert vim accepturorum animos arripiendi.

Dona animos hominum erga offerentem arripiunt.

Calumniatores ſunt Reipublicæ peſtis.

Verſ. 61.62.63.64.65. Et conuenerunt aduerſus eum viri peſtilentes ex Iſraël, &c. O quam aptè calumniatores *viri peſtilentes* apellantur! Vnde eiuſmodi homines è Republica eliminandi, ne peſtifero halitu illam exitialiter inficiant.] *Et iuſſit ſpoliari Ionatham veſtibus ſuis, &c.* Iam Alexander ad Ionatham purpuram immiſerat (& coronam) ſed modeſtiſſimus Princeps vſus illa non fuerat. Agnata enim eſt veræ nobilitati in veſtitu modeſta demiſſio.]

Nobilitati veræ agnata eſt in veſtitũ modeſtia.

Et collocauit eum Rex ſedere ſecum, &c. Cum nuptiæ Alexandri & Cleopatræ celebrarentur in Ptolemaida, acceſſit eodem etiam Ionathas ab Alexandro euocatus. Vbi regio amictu indui iubetur, eiuſque gloria per medium Vrbis publicè per præcones prædicatur; nempe eius regia dignitas, quæ (ſi non quoad nomen, certè quoad rem) decoratus fuerat ab Alexandro, iubetur toto Oppido per primarios Principes

cipes quaſi per publicos præcones diuulgari.

Prudens Rex illum maiori habet in pretio, contrà quem videt inuidiam aſſurgere. Inuidia merita eius, qui inuidetur, adſtruit.

* Hoc Reges, qui ſcientia ac prudentia pollent æmulantur Alexandri decretum. Eos quos vident afflictari calumniis, auguſtiori cumulant honore: ſciunt enim aulicam inuidiam contra illos frequenter inſurgere, qui celſioribus meritis decorantur. Vndè calumnia Regi cordato debet eſſe ſtimulus ad efferendum amplius illum, in quem inuidia pugnax irrumpit.]

Frui pace ablegata calumnia, magis debet animum lætificare, quam Regni poſſeſſio.

* *Reuerſus eſt*, inquit, *Ionathas cum pace, & lætitia.* An lætitia hæc concepta fuit ex amicitia arctiſſima cum Alexandro inita, quæ illum te Syriæ Regem effecit? Non abnego, ſed verius crediderim, lætitiam ex pace ortum habuiſſe. *Reuerſus eſt cum pace, & lætitia.* Vidit ſe liberum ab occultis anteà, iam ex fuga manifeſtis calumniatoribus, quorum bellum horribile. Et hac pace potiri, magis debet virum ſapientem lætitia afficere, quam vel Regni poſſeſſio.]

Ionathas Apollonium profligat, & ab Alexādro ad hue magna munera accipit.

4. *Verſ.67.68.69 70.71.72.73. In anno centeſimo ſexageſimo quintò, venit Demetrius, &c.* Triennio poſt Alexandri nuptias Demetrius iunior filius ſenioris Demetri Seleuci, nuper ab Alexandro occiſi: venit ex in Inſula Creta, vbi hactenus latitarat, in Syriam, Regnum ſuum hæreditarium recuperaturus, & patris vlturus necem. Quo audito Alexander magno fuit affectus mœrore ob nouam, quam Regno ſuo ſentiebat calamitatem imminere. Mox ideo è Ptolemaide Antiochiam recurrit. *Et conſtituit Demetrius Rex Apollonium Ducem, &c.* Antequam Alexander in Antiochiam è Ptolemaide proficiſceretur, iam in armis & agro erat Demetrius Rex nouus pro Duce exercitus ſui habens Apollonium quemdam, qui ante pro Alexando præerat Cœleſyriæ, ſed iam ab Alexandro defecerat ad illius hoſtem Demetrium.

Vir inconſtans non poteſt eſſe fortis.

* Quàm ſtultè Demetrius Apollonio exercitus ducatum fidi: impoſſibile enim videtur poſſe virum eſſe fortem, qui tanta animi inconſtantia laborat.] *Et acceſſit ad Iamniam*, Vrbem Paleſtinæ maritimam egregiè munitam: *& miſit ad Ionatham ſummum Sacerdotem, &c.* Profectò Ionathas in fide perſiſtens Alexandri, eo abſeute ſe opponit Apollonio.

Amicus in amici abſentia eſt velut alter ille: nec expectat rogari, vt illi ſuccurrat.

* Non expectauit ab Alexandro moneri, & rogari: nec monitus, nec rogatus ei præſtat auxilium. Verus enim amicus in amici abſentia eſt velut alter ille: & ſic illius tribulationi accurrit, ac ſi propria tribulatione laboraret.] Tu ſolus, Apollonius ait, reſiſtis nobis, & noui Regis Demetrij Regnique quietem perturbas. Cur non vt cæteri omnes tu quoque tempori te accommodas? Ego cum Rege meo derideor à te, & contemnor, imò probris afficior, quia poteſtatem in montibus exerces, id eſt, Princeps Iudææ es admodum montuoſæ: & facilè eſt inter hoſtium anguſtias etiam cum exiguis copiis maximorum exercituum vim eludere. *Nunc ergo ſi confidis in virtutibus tuis, deſcende, &c.* At ſi vir fortis es, & in tuis copiis militaribus confidis, age, ex anguſtiis proſerpe, è montibus deſcende ad nos in campum planum, & inibi copias copiis opponamus, periculum faciemus vter alteri virtute præſtet. *Interroga, & diſce, quis ſum ego, & cæteri, qui auxilio ſunt mihi: qui & dicunt, quia non poteſt ſtare pes veſter antè faciem noſtram, quia bis in fugam conuerſi ſunt patres tui in terra ſua: &c.* Quod ſi maiores tui à noſtris Syris bis fuere in fugam conuerſi, idque in terra ſua, inter illas montium anguſtias: quomodo poteris in aperto campo tantum equitatum, tantum exercitum ſuſtinere, vbi nulla reperies latibula, nulla loca cauernoſa, ad quæ te recipias, vel tuos?

Dux fortis non lingua, ſed manu decertat.

Verſ.74.75.76.77.78. Vt audiuit autem Ionathas ſermones Apollonij, motus eſt animo, &c. Audiuit Ionathas ſuperbam hanc Apollonij prouocationem (per litteras ſcilicet) & adiudicauit fortitudinem hoſtis verbis non reſpondere. * Dux enim fortis non lingua, ſed manu decertat.] Ita ergo incandeſcens, & ardens zelo, cum decem millibus, & Simone fratre ſuo obuiam it Apollonio etiam in apertum campum. Caſtra applicuit in Ioppem Apollonij perfugium, eum ex Vrbe fugauit ſolo exercitus conſpectu, eamque oppugnare cœpit. *Et exteriori, qui erant in Ciuitate, aperuerunt ei, & obtinuit Ionathas Ioppem, &c.*

Verſ.79.80.81.82. Et reliquit Apollonius in caſtris mille equites poſt eos occultè, &c. Equitibus itaque Syris à fronte & à tergo, imò vndique iaculis, & ſpiculis Iudæos infeſtantibus à mane ad veſperam immotos, neque vlla ex parte turbatis ordinibus, fortiſſime ſacer reſtitit exercitus: donec tandem ex labore iaculandi equites laxati animo conciderunt. Tunc ex Ionathæ præſcripto Simon eius frater expanſis ſubito alis omnem ſuum exercituum in hoſtes direxit, fundens, cædens, fugans pedites, & equites.

Verſ.83.84.85. Et qui diſperſi erant per campum, fugerunt in Azotum, &c. Qui euadere potuerunt ex gladio Simonis, in Azotum Vrbem loco pugnæ vicinam anfugerunt: nec Vrbes ſat turi, intrauerunt in *Bethdagon*, hoc eſt, in domum Dagon, ad idolum ſuum ſibi, vt ſperabant, tutelare. Sed quomodo tutaretur ſuos clientes Dagon, qui ſeipſum tutari non potuit? Nam ſubiectis à Ionatha flammis, & idolium, & delubrum, & omnes, qui ad illud ſe receperant, & Vrbs Axotus, & vicina omnia Oppida conflagrarunt.

Qui hoſti, cum certa eius victoria obiicitur, nō ſe ſubmittit, non eſt conſtans, ſed pertinax.

Verſ. 86 87.88.89. Et mouit indè Ionathas caſtra, &c. Prudentiores Aſcalonitæ Ionathæ ad Vrbem oppugnandam caſtra applicanti obuiam proceſſere, portarum claues ei offerentes, & magno eum excipientes honore. * Qui hoſti non ſubmittuntur, cum certa eius obiicitur victoria, non fortitudine ac conſtantia ſe præditos oſtendunt eſſe, ſed temeraria pertinacia laborare.] *Et reuerſus eſt Ionathas in Ieruſalem cum ſuis habentibus ſpolia multa.* His à Ionatha aduerſus Apollonium, & Demetrium tam præclarè geſtis ſpoliis exundante exercitu Ieroſolymam remeauit. Illa particula annotetur; *Cum ſuis habentibus ſpolia multa.* Non dixit Ionathas habens ſpolia multa reuerſus eſt in Ieruſalem: ſed *cum ſuis habentibus ſpolia multa.*

Illuſtris Dux non curat è bello ditescere, ſed militum ſuorū commodo ſtudet.

Dux enim illuſtris non curas ſibi ſpolia acquirere, ac ex bello diteſcere, ſed ſolum ſtudet militum commodis.] *Et factum eſt vt audiuit Alexander Rex ſermones iſtos, addidit adhuc glorificare Ionatham.* Certior factus Alexander de inſigni Ionathæ in eum fide mire lætatus, longè magis eum honorare ſtuduit. *Et miſit ei fibulam auream, &c.* Gratitudinis ergo Alexander eius dominio addicta Accarone & eius ſinibus,

finibus, cum aurea fibula donauit. Græcè *πόρπην*, quod monile verti poſſe crediderim ex torqueque perpendiſſe, vt in Gallia *S. Michaël*, vel in domo Burgundiaca *Vellus aureum*. Hoc apertè aſſeruerim, primæ notæ ornamentum fuiſſe, etiam militare, nec niſi Regum conſanguineis concedi ſolitum. * Ducibus enim ſtrenuè pugnantibus, & feliciter vel inſignia regia debentur.]

Ducibus pugnantib' ſtrenuè, ac feliciter, quodlibet præmiū quantumcūque magnum debetur.

CAPVT XI.

Ptolemæus Rex Ægypti genero ſuo Alexandro vxorem, ac Regnum eripit. Alexander à Zabdiele occiditur. Ptolemæus tertio poſt die moritur. Demetrius Iudæis reconciliatur, ſed breui in eoſdem inſurgit. Ionathas ab Alexandri filio miris afficitur honoribus: pro quo plures Vrbes Demetrio eripit, eiuſque exercitum profligat.

1. ET rex Ægypti congregauit exercitum, ſicut arena quæ eſt
circa oram maris, & naues multas: & quærebat obtinere
regnum Alexandri dolo, & addere illud regno ſuo. 2. Et
exiit in Syriam verbis pacificis, & aperiebant ei ciuitates, &
occurrebant ei: quia mandauerat Alexander rex exire ei obuiam, eò quòd ſocer ſuus eſſet. 3. Cùm autem introiret
ciuitatem Ptolemæus, ponebat cuſtodias militum in ſingulis ciuitatibus. 4. Et vt appropiauit Azoto, oſtenderunt ei templum Dagon ſuccenſum igni, & Azotum & cætera eius demolita, & corpora proiecta, & eorum
qui cæſi erant in bello tumulos, quos fecerant ſecus viam. 5. Et narrauerunt regi
quia hæc fecit Ionathas, vt inuidiam facerent ei: & tacuit rex. 6. Et occurrit Ionathas regi in Ioppen cum gloria, & inuicem ſe ſalutauerunt, & dormierunt
illic. 7. Et abiit Ionathas cum rege vſque ad fluuium, qui vocatur Eleutherus:
& reuerſus eſt in Ieruſalem. 8. Rex autem Ptolemæus obtinuit dominium ciuitatum vſque Seleuciam maritimam, & cogitabat in Alexandrum conſilia mala.
9. Et miſit legatos ad Demetrium, dicens: VENI, componamus inter nos pactum, & dabo tibi filiam meam, quam habet Alexander, & regnabis in regno
patris tui. 10. pœnitet enim me quòd dederim illi filiam meam: quæſiuit enim
me occidere. 11. Et vituperauit eum, propterea quòd concupierat regnum eius.
12. Et abſtulit filiam ſuam, & dedit eam Demetrio, & alienauit ſe ab Alexandro,
& manifeſtatæ ſunt inimicitiæ eius. 13. Et intrauit Ptolemæus Antiochiam, &
impoſuit duo diademata capiti ſuo, Ægypti & Aſiæ. 14. Alexander autem rex
erat in Cilicia illis temporibus: quia rebellabant qui erant in locis illis. 15. Et audiuit Alexander, & venit ad eum in bellum: & produxit Ptolemæus rex exercitum,
& occurrit ei in manu valida, & fugauit eum. 16. Et fugit Alexander in Arabiam, vt ibi protegeretur: Rex autem Ptolemæus exaltatus eſt. 17. Et abſtulit
Zabdiel Arabs caput Alexandri, & miſit Ptolemæo. 18. Et rex Ptolemæus mortuus eſt in die tertia: & qui erant in munitionibus, perierunt ab his qui erant intra
caſtra. 19. Et regnauit Demetrius anno centeſimo ſexageſimo ſeptimo. 20. In
diebus illis congregauit Ionathas eos qui erant in Iudæa, vt expugnarent arcem,
quæ eſt in Ieruſalem: & fecerunt contra eam machinas multas. 21. Et abierunt
quidam qui oderant gentem ſuam viri iniqui ad regem Demetrium, & renuntiauerunt ei quòd Ionathas obſideret arcem. 22. Et vt audiuit, iratus eſt: & ſtatim venit ad Ptolemaidam, & ſcripſit Ionathæ ne obſideret arcem, ſed occurreret
ſibi ad colloquium feſtinatò. 23. Vt audiuit autem Ionathas, iuſſit obſidere: &
elegit de ſenioribus Iſraël, & de ſacerdotibus, & dedit ſe periculo. 24. Et accepit aurum, & argentum, & veſtem, & alia xenia multa, & abiit ad Regem
Ptolemaidam, & inuenit gratiam in conſpectu eius. 25. Et interpellabant aduerſus eum quidam iniqui ex gente ſua. 26. Et fecit ei rex, ſicut fecerant ei qui
ante eum fuerant: & exaltauit eum in conſpectu omnium amicorum ſuorum,
27. & ſtatuit ei principatum ſacerdotij, & quæcumque alia habuit priùs pretioſa, & fecit eum principem amicorum. 28. Et poſtulauit Ionathas à rege, vt immunem

munem faceret Iudæam, & tres toparchias, & Samariam, & confines eius: & promiſit ei talenta trecenta. 29. Et conſenſit rex: & ſcripſit Ionathæ epiſtolas de his omnibus, hunc modum continentes: 30. REX Demetrius fratri Ionathæ ſalutem, & genti Iudæorum. 31. Exemplum epiſtolæ, quam ſcripſimus Laſtheni parenti noſtro de vobis, miſimus ad vos vt ſciretis: 32. Rex Demetrius Laſtheni parenti ſalutem. 33. Genti Iudæorum, amicis noſtris, & conſeruantibus quæ iuſta ſunt apud nos, decreuimus benefacere, propter benignitatem ipſorum, quam erga nos habent. 34. Statuimus ergo illis omnes fines Iudææ, & tres ciuitates, Lydan, & Ramathan, quæ additæ ſunt Iudææ ex Samaria, & omnes confines earum, ſequeſtrari omnibus ſacrificantibus in Ieroſolymis, pro his quæ ab eis priùs accipiebat rex per ſingulos annos, & pro fructibus terræ & pomorum. 35. Et alia quæ ad nos pertinebant decimarum & tributorum, ex hoc tempore remittimus eis: & areas ſalinarum, & coronas quæ nobis deferebantur, 36. omnia ipſis concedimus: & nihil horum irritum erit ex hoc, & in omne tempus. 37. Nunc ergo curate facere horum exemplum, & detur Ionathæ, & ponatur in monte ſancto, in loco celebri. 38. Et videns Demetrius rex quòd ſiluit terra in conſpectu ſuo, & nihil ei reſiſtit, dimiſit totum exercitum ſuum, vnumquemque in locum ſuum, excepto peregrino exercitu, quem contraxit ab inſulis Gentium: & inimici erant ei omnes exercitus patrum eius. 39. Tryphon autem erat quidam partium Alexandri priùs: & vidit quoniam omnis exercitus murmurabat contra Demetrium, & iuit ad Emalcuel Arabem, qui nutriebat Antiochum filium Alexandri: 40. & aſſidebat ei, vt traderet eum ipſi, vt regnaret loco patris ſui: & enuntiauit ei quanta fecit Demetrius, & inimicitias exercituum eius aduerſus illum. Et manſit ibi diebus multis. 41. Et miſit Ionathas ad Demetrium regem, vt eiiceret eos, qui in arce erant in Ieruſalem, & qui in præſidiis erant: quia impugnabant Iſraël. 42. Et miſit Demetrius ad Ionathan, dicens: Non hæc tantùm faciam tibi, & genti tuæ: ſed gloria illuſtrabo te, & gentem tuam, cùm fuerit opportunum. 43. Nunc ergo rectè feceris, ſi miſeris in auxilium mihi viros: quia diſceſſit omnis exercitus meus. 44. Et miſit ei Ionathas tria millia virorum fortium Antiochiam: & venerunt ad regem, & delectatus eſt rex in aduentu eorum. 45. Et conuenerunt qui erant de ciuitate, centum viginti millia virorum, & volebant interficere regem. 46. Et fugit rex in aulam: & occupauerunt qui erant de ciuitate, itinera ciuitatis, & cœperunt pugnare. 47. Et vocauit rex Iudæos in auxilium, & conuenerunt omnes ſimul ad eum, & diſperſi ſunt omnes per ciuitatem: 48. & occiderunt in illa die centum millia hominum, & ſuccenderunt ciuitatem, & ceperunt ſpolia multa in die illa, & liberauerunt regem. 49. Et viderunt qui erant de ciuitate, quòd obtinuiſſent Iudæi ciuitatem ſicut volebant: & infirmati ſunt mente ſua, & clamauerunt ad regem cum precibus, dicentes: 50. Da nobis dextras, & ceſſent Iudæi oppugnare nos & ciuitatem. 51. Et proiecerunt arma ſua, & fecerunt pacem, & glorificati ſunt Iudæi in conſpectu regis, & in conſpectu omnium qui erant in regno eius, & nominati ſunt in regno: & regreſſi ſunt in Ieruſalem habentes ſpolia multa. 52. Et ſedit Demetrius rex in ſede regni ſui: & ſiluit terra in conſpectu eius. 53. Et mentitus eſt omnia quæcumque dixit, & abalienauit ſe à Ionatha, & non retribuit ei ſecundùm beneficia quæ ſibi tribuerat, & vexabat eum valdè. 54. Poſt hæc autem reuerſus eſt Tryphon, & Antiochus cum eo puer adoleſcens, & regnauit, & impoſuit ſibi diadema. 55. Et congregati ſunt ad eum omnes exercitus, quos diſperſerat Demetrius, & pugnauerunt contra eum: & fugit, & terga vertit. 56. Et accepit Tryphon beſtias, & obtinuit Antiochiam: 57. & ſcripſit Antiochus adoleſcens Ionathæ, dicens: Conſtituo tibi ſacerdotium, & conſtituo te ſuper quatuor ciuitates, vt ſis de amicis regis. 58. Et miſit illi vaſa aurea in miniſterium, & dedit ei poteſtatem bibendi in auro, & eſſe in purpura, & habere fibulam auream: 59. & Simonem fratrem eius conſtituit ducem à terminis Tyri vſque ad fines Ægypti. 60. Et exiit Ionathas, & perambulabat trans flumen ciuitatis: & congregatus eſt ad eum omnis exercitus Syriæ in auxilium, & venit Aſcalonem, & occurrerunt ei honorificè de ciuitate. 61. Et abiit inde Gazam: & concluſerunt ſe qui erant Gazæ: & obſedit eam, & ſuccendit quæ erant in circuitu ciuitatis, & prædatus eſt ea. 62. Et rogauerunt Gazenſes Ionathan, & dedit illis dexteram: & accepit filios eorum obſides, & miſit illos in Ieruſalem: & perambulauit regionem vſque Damaſcum. 63. Et audiuit Ionathas quod præuaricati ſunt principes Demetrij in Cades, quæ

eſt in Galilæa cum exercitu multo, volentes eum remouere à negotio regni. 64. &
occurrit illis: fratrem autem ſuum Simonem reliquit intra prouinciam. 65. Et ap-
plicuit Simon ad Bethſuram, & expugnabat eam diebus multis, & concluſit eos.
66. Et poſtulauerunt ab eo dextras accipere, & dedit illis: & eiecit eos inde, & cœ-
pit ciuitatem, & poſuit in ea præſidium. 67. Et Ionathas & caſtra eius applicuerunt
ad aquam Geneſar, & ante lucem vigilauerunt in campo Aſor. 68. & ecce caſtra
alienigenarum occurrebant in campo, & tendebant ei inſidias in montibus: ipſe au-
tem occurrit ex aduerſo. 69. Inſidiæ verò exurrexerunt de locis ſuis, & commiſe-
runt prælium. 70. Et fugerunt qui erant ex parte Ionathæ omnes, & nemo relictus
eſt ex eis, niſi Mathathias filius Abſolomi, & Iudas filius Calphi princeps militiæ
exercitus. 71. Et ſcidit Ionathas veſtimenta ſua, & poſuit terram in capite ſuo, &
orauit. 72. Et reuerſus eſt Ionathas ad eos in prælium, & conuertit eos in fugam &
pugnauerunt. 73. Et viderunt qui fugiebant partis illius, & reuerſi ſunt ad eum, &
inſequebantur cum eo omnes vſque Cades ad caſtra ſua, & peruenerunt vſque illuc.
74. & ceciderunt de alienigenis in die illa tria millia virorum: & reuerſus eſt Iona-
thas in Ieruſalem.

COMMENTARII.

1\.

Ptolemaus vxorem, & Regnum eripit Alexãdro, qui à Zabdielo occiditur.

VERS. 1. 2. *Et Rex Ægypti congregauit exercitum, &c. & quærebat obtinere Regnum Alexandri dolo, & addere illud Regno ſuo.* Ptolemæus ambitione exæſtuans, Regno inhiat Syriæ. Prius tamen rem dolo tentat: & affinitatis ac amicitiæ prætextu abuſus eſt. * An fuerit aliqua iniuria ab Alexandro prouocatus? An aliqua filiæ Cleopatræ ad patris aures querela peruenit? Minimè quidem. Vndenam ergo eiuſmodi mens Ptolomæi mentem contra generum *ita* peruertit? An ſufficiens cauſa fuit eſſe ſocerum? Aliquis id non abnegabit.] *Et exiit in Syriam verbis pacificis, &c.* Syriam Ptolemæus validiſſimis copiis ingreditur, vſus vbique verbis pacificis, quaſi generum ſuum reuiſurus, & cum eo magni ponderis tractaturus negotia. Iuſſerat autem Alexander, omnium Vrbium & Oppidorum ciues *ei* obuiam procedere alacri quidem plauſu eo, quod eſſet non potentiſſimus Rex Ægypti, ſed *ſuus ſocer.* Vt generos doceat, quanta ſit ſoceris reuerentia præſtanda.]

Vt Ptolemæus contra Alexandrum pugnax exſurgeret, ſufficiẽſne cauſa fuit eſſe eius ſocerum?

Socero à genero magna reuerẽtia ſtanda.

Verſ. 3. 4. 5. 6. 7. Cum autem introiret Ciuitatem Ptolemaus, ponebat custodias militum in ſingulis Ciuitatibus. Et vt appropiauit Azoto, oſtenderunt ei Templum Dagon, ſuccenſum igni, &c. & eorum, qui caſi erant in bello, tumulos, quos fecerant ſecus viam. Tumulos, inquam, ſeu aceruos lapidum ſuper cadauera ſepulta. *Et narrauerunt Regi, quia hæc fecit Ionathas, vt inuidiam facerent: et: & tacuit Rex.* Nam ſicut Alexandri ruinam, quam moliebatur diſſimulabat: ità & Ionathæ amici eius. *Et occurrit Ionathas* certior factus de aduentu, *Regi* Ptolemæo *in Ioppem cum gloria,* magnifico ſcilicet apparatu, ac comitatu: *& inuicem ſe ſalutauerunt, & dormierunt illic. Et abiit Ionathas cum Rege vſque ad flumium, quod vocatur Eleutherus,* (quem Adrichomius vltro Ptolemaidem, & Tyrum collocat non longe à Sidone ex Libano monte prorumpentem.) *& reuerſus eſt in Ieruſalem.*

Verſ. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Rex autem Ptolemaus obtinuit dominium Ciuitatum, quas præſidiis occupauerat, *vſque Seleuciam maritimam,* eſt enim in maris Mediterranei littore prope Orontem fluuium, non longè ab Antiochia: *& cogitabat in Alexandrum conſilia mala. Et miſit legatos ad Demetrium, dicens: Veni, componamus inter nos pactum, & dabo tibi filiam meam, quam habet Alexander, & regnabis in Regno patris tui: pœnitet enim me, quod dederim illi filiam meam: quæſiuit enim me occidere.* Calumnia eſt ſoceri. *Et vituperauit eum* (conficta criminatione) *propterea quod concupierat Regnum eius,* Alexandri ſcilicet, qui gener Ptolemæi poterat Ægyptio Regno potiri. *Et abſtulit filiam ſuam, & dedit eam Demetrio, & alienauit ſe ab Alexandro, & manifeſtata ſunt inimicitia eius.* Hæc multi expoſitores, ſed aptius totum locum expendo. Haud diu latuit Ptolemæi dolus. Vt enim filiam ſuam abſtulit Alexandro, & tradidit eam æmulo eius Demetrio, manifeſtæ omnibus fuere inimicitiæ. * Maximè enim hoſtilitatis eſt documentum, cum quis curat coniugum pacem perturbare, vnionem diuidere.] *Et intrauit Ptolemaus Antiochiam, & impoſuit duo diademata capiti ſuo Ægypti, & Aſia.* Non intendebat Ptolemæus tradere Regnum Aſiæ nouo genero ſuo Demetrio, licet hoc illi promiſiſſet verſ. 9. Sed illo ſolùm pro vaſallo vti volebat.

R.P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. to. VII. p. 2.

Magnæ inimicitiæ eſt documentum, cum quis curat cõiugum pacem perturbare.

Verſ. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Alexander autem Rex erat in Cilicia illis temporibus, &c. Rex Alexander, qui tunc abſens erat in Cilicia, vt compeſceret iſtic rebelles, auditis dolis, ac perfidia ſoceri, voluit bello cum ipſo congredi: ſed primo congreſſu fugatus, ſe in Arabiam recepit, vt à Zabdiele Arabum Rege protegeretur. Aſt hic veritus, ne hac occaſione Ptolemæus tot iam Regnorum potentia auctus, ac proinde inſuperabilis, etiam Arabiæ inuaderet Regnum præuertit inhumano ſcelere, præciſo Alexandri capite, & ad Ptolemæum tranſmiſſo. * Arabs quidem debebat lege fidelitatis Alexandrum protegere: ſed plerumque à Regibus ſola lex obſeruatur, quæ ad ſui ſtatus rationem videtur pertinere. Sed en celerem Numinis vindictam. Ptolemæus à conſpecto generi capite non ſuperuixit niſi vſque ad diem tertiam. Inchoabatur tunc annus Græcorum centeſimus ſexageſimus ſextus, Regni Philometoris trigeſimus ſextus. * Præproperum tyranno ſolet auolare ſupplicium.] Extincto Ptolemæo, milites Ægyptij, qui ab eo relicti erant in munitionibus Syriæ nuper ab illo oc-

Plerumque à Regibus ſola lex obſeruatur quæ ad rationem ſtatus pertinere videtur.

Præproperum tyranno ſupplicium.

cupatis : mox iubente Demetrio, inuaſi ſunt & occiſi ab iis, qui aderant intra caſtra, id eſt, à Syris,& Aſiaticis,quos Demetrius tunc temporis habebat ſecum in caſtris. *Et regnauit Demetrius anno centeſimo ſexageſimo ſeptimo* Græcorum, ſeu vniuerſum Syriacum Regnum Demetrio ceſſit.

Demetrius Iudæis reconciliatur, ſed breui in eoſdē inſurgit.

2. *Verſ.* 20.21.22.23.24.25.26.27. *In diebus illis congregauit Jonathas eos, qui erant in Iudæa, vt expugnarent arcem, quæ eſt in Ieruſalem, &c.* Illorum tumultuum occaſione Ionathas vſus Ieroſolymitanam arcem obſedit, quæ Syriaco, præſidio etiam tum obſidebatur. Nam licet Demetrius Senior cap. præcedenti hanc arcem Ionathæ præſcripſerit,donatio tamen illa,quia conditionata erat(nempè ſi Iudæi fauerent Demetrio aduerſus Alexandrum) nec conditio hæc acceptata fuerat, in effectum deducta non fuit. Dum ergo Ionathas arcem vi ſibi vendicare conatur, perfidi apoſtatæ, qui propriam gentem ſuam Iudaicam oderant,ad nouum Regem Demetrium querelas contra Ionatham deferunt. * Hi meritò *viri* iniqui appellantur. Suprema enim iniquitas eſt, *contra gentem tuam,*ſocios tuos,conciues tuos calumnias excitare.] Demetrius ira accenſus,Ionatham inhibet arcem obſidere, iubetque protinus Ptolemaidam auolare,ſecum ſuper hoc, & aliis negotiis collaturum. At Ionathas nihil regiis litteris territus, ſuis in arce obſidenda occupatis iuſſit,ſtrenuè in opere benè cœpto perſiſtere. * Opus enim bonum ceptum nullo timore, nullis obiectis minis eſt intermittendum.]Ipſe interim ad Regem proficiſcitur,Ptolemaidam: & ei offerens egregia munera,ab eo honorificentiſſimè exceptus eſt,& ampliſſimis dignitatibus auctus. * Munera etenim hominis quantūcūque auerſi inhibent iracundiam.]Obtinuit tunc à Rege non arcem Ieroſolymitanam, (ex verſ. enim 41. contrarium colligitur: vnde crediderim Ionatham mox à reditu ſuo obſidionem ſoluiſſe) ſed alia longè maiora. Miror equidem Iudam, & Ionatham tot illuſtres victoriis ſolymitanæ huius arcis hoſtes tot annorum curriculo non ablegaſſe. * Vndè colligo, inteſtinum, ſeu domeſticum inimicum difficilè vinci.] * Et ſi ad ſpiritum ſermonem transferas, videbis, luxuriam ideò difficilius adhuc exterminari, quia inimicus plus domeſticus eſt.]

Magna iniquitas eſt,cōtra conciues aut ſocios calumnias excitare.

Bonum opus cœptū nullo timore obiecto intermittendum.

Munera iracundiam inhibent.

Inimicus domeſticus difficilè vincitur.

Luxuria domeſtica inimica difficillime ſuperatur.

Verſ. 28.29.30.31. *Et poſtulauit Ionathas à Rege, &c.* Petiit Ionathas à Demetrio, vt ab omni externo præſidio, ab omni tributo, & onere tota Iudæa eſſet immunis. Nec Iudæa ſolum, ſed & omnia, quæ annexa erant Iudææ, nempe tres Præfecturæ, quæ verſ. 34. nominantur. Item Samaria & Ciuitates eius confines. Et ad hanc immunitatem facilius obtinendam, Regi Ionathas trecenta talenta pro honorario munere promiſit. * Quàm egregius Princeps, qui nihil proprio incremento poſtulat, ſed ſolummodo de ſubditorum commodis ſolicitus oſtentatur.] *Et conſenſit Rex & ſcripſit Ionathæ epiſtolas de his omnibus, &c.* Annuens Demetrius Ionathæ petitioni ei literas patentes tradidit, ſic ſcribens & præſcribens : Exemplum epiſtolæ,quam nos Rex Demetrius ſcripſimus Laſtheni *parenti,* (id eſt,inſtar parentis noſtri)charo, & grato vicario noſtro in finibus Iudææ, vel etiam Syriæ prorégi : remiſimus ô Iudæ ad vos, vt dignoſceretis, quid incommodum veſtrum illi mandauerim. * Laſthenus itaque à Rege *pater* appellatur, non quia eius pater verè eſſet, ſed vt inuat,idem eſſe Magiſtratum adminiſtrare, ac ſubditorum eſſe patrem.]

Probus Princeps nō propriis,ſed ſubditorum cōmodis inuigilat.

Idem eſt eſſe Præſulem ac patrem ſubditorum.

Verſ. 32.33.34.35.36.37. *Rex Demetrius Laſtheni parenti ſalutem. Genti Iudæorum amicis noſtris, & conſeruantibus, quæ iuſta ſunt apud nos, decreuimus benefacere, &c.* Decreuimus genti Iudæorum immunes deinceps relinqui omnes fines Iudææ, item tres Ciuitates (ſeu ſatrapias Aphæremam, hæc ſuppletur ex Græco) Lydam, & Ramathan cum omnibus earum confinibus. Et omnia, quæ inde quotannis ſeu tributa, ſeu decimæ, ſeu regalia colligebantur, volumus ſequeſtrari,& cedere deinceps in vſus Sacerdotum Ieroſolymis ſacrificia litantibus. Remittuntur præterea Iudæis areæ ſalinarum. Græcè *ſtagna ſalis*, ſolet enim aqua maris in areas, ſeu lacunas, vel ſtagna redigi, ibique euaporare,& ſolis calore in ſal coaleſcere.

Verſ. 38. 39. 40. *Et videns Demetrius Rex, quod ſiluit terra in conſpectu ſuo, &c.* Cum Rex Demetrius nullum haberet Regni æmulum, exercitum, quem ex Syris, & Aſiaticis ciuibus, & ſubditis ſuis contraxerat, & fideliter ſibi ac parentibus ſuis ſeruierant, dimiſit, retinens apud ſe peregrinum exercitum, quem à regionibus externarum Gentium ſecum in Syriam traxerat, quaſi plus externis militibus, quam propriis ciuibus ac ſubditis ſuis fideret. Quapropter omnes Syriacæ, & Aſiaticæ legiones beneuolentiam, qua ergà Regem afficiebantur, in odium commutarunt.Princeps prudens nullum ſubditū alij debet præferre : at ſi aliquis illorum præferendus ſit,indigena extero præferatur.] *Triphon autem erat quidam partium Alexandri prius,&c.* Vſus eſt occaſione Triphō quidam (dictus antea Didotus,natione Apamæus, vel educatione ſaltem) homo potens, & aſtutus, & harum legionum, quas à ſe Demetrius abſtraxit, ope viam ſtrauit ad Regnum Antiocho iuniori filio Alexandri Velis recens à Zabdiele Arabe capite plexi, apud alium Principem Arabem nomine Emalchuel ſecretò latitanti.

Si aliquis ſubditus præferendus ſit à Principe, indigena extero præferatur.

Verſ. 41.42.43.44.45.46.47.48. *Et miſit Ionathas ad Demetrium Regem* nuncios, *poſtulans,vt eiiceret eos, qui in arce erant in Ieruſalem, & qui in præſidiis erant : quia impugnabant* de more *Iſrael. Et miſit Demetrius ad Ionatham, dicens, &c. Et fugit Rex in aulam : & occupauerunt, qui erant de Ciuitate intra Ciuitatis, & cœperunt pugnare.* Vſi etiam fuere hac occaſione eius Antiocheni ; qui ſeditioſo furore *in medium Ciuitatis* conuenerunt, (addit id Græcus)id eſt,in forum,ad centum viginti millia,& curabant Regem Demetrium interimere. O quam tyrannicò Demetrius ſe habebat in ciues, quandò tot ei exitiales exſurgunt ! Securè nec in aula Rex degit, qui ſubditos deſpicit, nec curat eos ad ſe beneficiis allicere.] Iam cœperant ſeditioſi ciues aulam, ſeu arcem oppugnare, in quam Rex aufugerat. *Et vocauit Rex Iudæos in auxilium,&c.* Ope itaque trium millium Iudæorum, quos Ionathas immiſerat, liberatus eſt Rex Demetrius cæſis Antiochenorum centum millibus. * Iuſtitia enim comite, pauci milites innumerabilem multitudinem

Nec in aula Rex ſecurus degit, ſi ſubditos nō curat beneficiis allicere.

Iuſtitia comite, pauci

Milites innumeros hoſtes iniuſtè pugnantes facilè vincit.

dinem iniuſtè pugnantem facillimè debellat.]

Verſ.49 50.51.52.53. Et viderunt, qui erant de Ciuitate, &c. Conſternati ciues quod viderent Vrbem à Iudæis omnino deleri, preculi ad Regem properant, vt eis dexteram in ſignum pacis & reconciliationis porrigeret. *Et proiecerunt arma ſua, & fecerunt pacem, &c.* Rege annuente ciuium precibus, tam illi quam Iudæi arma deponunt. A Rege mirifice honorantur Iudæi, nomen eorum apud cunctas Regni Vrbes celebre decantatur, & multis onuſti ſpoliis ad Ieroſolymam rediere victores. *Et ſedit Demetrius Rex in ſede Regni ſui, & ſiluit omnis terra in conſpectu eius*, ſeu nullus contra Regem vel hiſcere eſt auſus. *Et mentitus eſt omnia quæcumque dixit: & abalienauit ſe a Ionatha, &c.*

Viliſſimus eſt, qui poſt beneficium à Deo acceptũ non ſolum non reddit officium, ſed & addit ſcelus.

* Vile quidem eſt, benefactori non rependere beneficium: viliſſimum vero, pro beneficio iniuriam inurere. Huiuſmodi ingratitudinis reus eſt ille, qui poſt beneficium à Deo acceptum non ſolum non reddit officium, ſed & addit ſcelera.]

3\. Ionathas herens Antiocho Alexandri filio, plures Vrbes ei à Demetrio eripit eiuſque exercitus profligat.

Verſ.54.55.56.57.58.59. Poſt hæc autem reuerſus eſt Triphon, &c. Cum parta rurſus quiete, Demetrius nihil præſtaret eorum, quæ Ionathæ promiſerat: quin potius pro bonis mala benefactori referret. Ionathas cum ſuis deinceps æmulo Demetrij Antiocho, qui iam è pueritia adoleſcentiam inire cœperat, adhæſit. Hunc Triphon ex Arabia in Syriam eduxit, & regio diademate inſigniuit: Demetrio primo certamine in fugam abacto. Milites enim, quos ipſe à ſe ablegauerat, iniuriæ illius memores, Antiocho validiores adhæſerunt. *Et accepit Triphon beſtias, & obtinuit Antiochiam, &c.* Victori Antiocho elephanti turriti, & machinæ, adeoque & regia ſedes Antiochia in ſpolium ceſſere. Cum autem victoriæ cauſa non minima fuerant Ionathas & Simon: mox inſignibus à nouo Rege honoribus & muneribus decorantur. Nam Ionathæ Sacerdotium ſummum confirmatur, vaſa in menſæ vſum immittuntur, datur ei poteſtas bibendi aureo in vaſe, & purpureo veſtimento vti, quod regium erat inſigne: & vltra tres Ciuitates, queis Ionathas à Demetrio donatus fuerat, quartam nouus Rex addidit. Simon autem frater eius Dux magnus, ſeu Prorex ampliſſimæ regionis efficitur.

Taxatur vulgarũ hominum immoderatus luxus.

* Annota quæſo illud: *Dedit illi poteſtatem bibendi in auro, & eſſe in purpura.* Felicia tempora, quando ſolis Principibus licebat ad poculum vaſe pretioſo vti: aderat enim inter virum primorem, & vulgarem diſtinctio. Peſſima autem noſtra tempeſtate ſæpè vulgaris à primario diſtinguitur ex eo, quod vulgaris aureo, vel argenteo vaſe bibit, ac purpura induitur: vir autem princeps & vitreo vaſe vtitur, & vulgari induitur veſtimento.]

Verſ. 60.61.62.63.64. Et exijt Ionathas, & perambulabat trans flumen Ciuitates, &c. Proſecutus Ionathas victoriam pro Antiocho trans fluuium Iordanem cunctis Syriacis legionibus adiutus omnia Damaſcum vſque Demetrio detraxit, & nouo Regi Antiocho ſubiecit. Intereà Principes exercitus Demetri ad rebellionem concitarunt Cades incolas, quæ ſita erat in Galilæa, perſuadentes eis, vt pro Demetrio arma arriperent aduerſus Antiochum, volentes hoc ſtratagemate remouere Ionatham à negotio Regni pro Antiocho conquirendi, & ſtabiliendi: nè dum aliena curaturum iret, propria perderet. At Ionathas, rebus in Syria compoſitis, occurrit cum victore exercitu ſuo illis Demetrij Ducibus, relictâ fratri ſuo Simoni intra Prouinciam Iudæam cura expugnandæ Bethſuræ iuxta Ieroſolymam.

Verſ.65.66. Et applicuit Simon ad Bethſuram, & expugnabat eam diebus multis, &c. Poſt multorum dierum obſidionis Bethſuræ ciues, ſe Simoni pacificè tradiderunt. Vt autem id ei ſucceſſiſſet ex animi ſententia, annuens ciuium precibus obſidionem ſoluit, & Vrbem milite præſidiario muniuit.

Verſ.67.68.69.70.71. Et Ionathas, & caſtra eius applicuerunt ad aquam Geneſar, &c. Porrò Ionathas cum ſuis ad lacum Geneſareth antè lucem peruenerunt in campum Aſor. At dum inſtructus inibi exercitus ab inſidiis à tergo poſitis non ſat præcauet, alienigenis exurgentibus, Iudæi aguntur in fugam, nemine apud ſigna militaria remanente præter Mathathiam, & Iudam exercitus Principes. Crediderim, cum duobus hiſce Ducibus illorum quoque milites manſiſſe ſaltem fortiores, & nobiliores. Quomodo enim duo iſti ſoli cum Ionatha potuiſſent prælium inſtaurare, & continuare, donec hoſtes in fugam verterentur? Ait Ioſephus, cum duobus his Ducibus ad ſigna remanſiſſe circiter quinquaginta milites.

Totum virtutis, aut vitij opus ei tribuitur, qui bono, aut malo exemplo alios ad eãdẽ actionẽ attraxit.

* Si remanſerunt quinquaginta, quomodo illud ſtat? *Et nemo relictus eſt ex eis niſi Mathathias, & Iudas.* Certè quia hi duo Principes remanentes illos milites ſuo exemplo excitarunt, ne vilem eam fugam arriperent. Vt edoceamur, totum virtutis aut vitij opus illi tribuere, qui probo aut prauo exemplo alios ad eandem actionem attraxit.] Quid verò ad hæc Ionathas? Veſtimenta ſcindit, capiti puluerem inſpergit, Deum ſupplex orat, vt in rebus deploratis ipſe ſuccurrat.

Verſ.72.73.74. Et reuerſus eſt Ionathas ad eos in prælium, &c. Poſt orationem quidem nouo animo, nouo robore, nouo impetu cum paucis recurrit in hoſtes, cædit, ſternit, fugat: nec prius vrgere deſinit, quam reuerſis è fuga Iudæis, & in hoſtes iam fugientes reuectis, illa die tria millia virorum ſterneret.

Oratio ſiẽ vel vnum roborat militẽ, vt pro innumero ſufficiat exercitu.

* Profectò poſtquam Ionatham orantem audiui, facilè credam omnes fugiſſe milites, nullumque præter Mathathiam, & Iudam remanſiſſe, ſoliſque tribus ceſſiſſe triomphum. Supplex enim oratio vnici viri brachiis tantum robur infundit, vt pro innumero militum ſufficiant exercitu.]

CAPVT XII.

Cum Romanis, & Spartanis fœdus Ionathas renouat. Demetrium rurſum fugat. Arabas cædit. Simon Vrbem Ioppem nouis præſidiis munit. Ionathas vero dolo Triphonis capitur, & cuſtodiæ addicitur.

1. ET vidit Ionathas quia tempus eum iuuat, & elegit viros,
& miſit eos Romam, ſtatuere & renouare cum eis amici-
tiam: 2. & ad Spartiatas, & ad alia loca miſit epiſtolas
ſecundùm eamdem formam. 3. Et abierunt Romam, &
intrauerunt curiam, & dixerunt: Ionathas ſummus ſacer-
dos, & gens Iudæorum miſerunt nos, vt renouaremus
amicitiam & ſocietatem ſecundùm priſtinum. 4. Et dede-
runt illis epiſtolas ad ipſos per loca, vt deducerent eos in terram Iuda cum pace.
5. Et hoc eſt exemplum epiſtolarum, quas ſcripſit Ionathas Spartiatis. 6. IO-
NATHAS ſummus ſacerdos, & ſeniores gentis, & ſacerdotes, & reliquus po-
pulus Iudæorum, Spartiatis fratribus ſalutem. 7. Iampridem miſſæ erant epi-
ſtolæ ad Oniam ſummum ſacerdotem ab Ario, qui regnabat apud vos, quoniam
eſtis fratres noſtri, ſicut reſcriptum continet, quod ſubiectum eſt. 8. Et ſuſcepit
Onias virum, qui miſſus fuerat, cum honore: & accepit epiſtolas, in quibus
ſignificabatur de ſocietate & amicitia. 9. Nos, cum nullo horum indigeremus,
habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris, 10. maluimus mit-
tere ad vos renouare fraternitatem, & amicitiam, ne forrè alieni efficiamur à vo-
bis: multa enim tempora tranſierunt, ex quo miſiſtis ad nos. 11. Nos ergo in
omni tempore ſine intermiſſione in diebus ſolemnibus, & cæteris quibus opor-
tet, memores ſumus veſtri in ſacrificiis quæ offerimus, & in obſeruationibus,
ſicut fas eſt & decet meminiſſe fratrum. 12. Lætamur itaque de gloria veſtra.
13. Nos autem circumdederunt multæ tribulationes, & multa prælia, & impug-
nauerunt nos reges, qui ſunt in circuitu noſtro. 14. Noluimus ergo vobis moleſti
eſſe, neque cæteris ſociis & amicis noſtris, in his præliis. 15. habuimus enim de
cælo auxilium, & liberati ſumus nos, & humiliati ſunt inimici noſtri. 16. Ele-
gimus itaque Numenium Antiochi filium, & Antipatrem Iaſonis filium, & mi-
ſimus ad Romanos renouare cum eis amicitiam & ſocietatem priſtinam. 17. Man-
dauimus itaque eis vt veniant etiam ad vos, & ſalutent vos? & reddant vobis
epiſtolas noſtras de innouatione fraternitatis noſtræ. 18. Et nunc benefacietis
reſpondentes nobis ad hæc. 19. Er hoc eſt reſcriptum epiſtolarum, quod miſe-
rat Oniæ: 20. Arius, rex Spartiatarum, Oniæ ſacerdoti magno ſalutem. 21. In-
uentum eſt in ſcriptura de Spartiatis & Iudæis, quoniam ſunt fratres, & quòd
ſunt de genere Abraham. 22. Et nunc ex quo hæc cognouimus, benefacitis
ſcribentes nobis de pace veſtra. 23. Sed & nos reſcripſimus vobis: Pecora no-
ſtra: & poſſeſſiones noſtræ, veſtræ ſunt; & veſtræ, noſtræ: mandauimus itaque
hæc nunciari vobis. 24. Et audiuit Ionathas, quoniam regreſſi ſunt principes
Demetrij cum exercitu multo ſupra quam prius, pugnare aduerſus eum. 25. &
exiit ab Ieruſalem, & occurrit eis in Amathite regione: non enim dederat eis
ſpatium vt ingrederentur regionem eius. 26. Et miſit ſpeculatores in caſtra eo-
rum: & reuerſi renunciauerunt quòd conſtituunt ſuperuenire illis nocte. 27. Cùm
occidiſſet autem ſol, præcepit Ionathas ſuis vigilare, & eſſe in armis paratos ad
pugnam tota nocte, & poſuit cuſtodes per circuitum caſtrorum. 28. Et audie-
runt aduerſarij quòd paratus eſt Ionathas cum ſuis in bello: & timuerunt, & formi-
dauerunt in corde ſuo: & accenderunt focos in caſtris ſuis. 29. Ionathas autem,
& qui cum eo erant, non cognouerunt vſque manè: videbant autem luminaria ar-
dentia: 30. & ſecutus eſt eos Ionathas, & non comprehendit eos: tranſierunt
enim flumen Eleutherum. 31. Et diuertit Ionathas ad Arabas, qui vocantur Za-
badæi,

badæi, & percuſſit eos, & accepit ſpolia eorum. 32. Et iunxit, & venit Damaſ-
cum, & perambulabat omnem regionem illam. 33. Simon autem exiit, & venit
vſque ad Aſcalonem, & ad proxima præſidia: & declinauit in Ioppen, & occupa-
uit eam (34. audiuit enim quòd vellent præſidium tradere partibus Demetrij)
& poſuit ibi cuſtodes vt cuſtodirent eam. 35. Et reuerſus eſt Ionathas, & conuo-
cauit seniores populi, & cogitauit cum eis ædificare præſidia in Iudæa, 36. & ædi-
ficare muros in Ieruſalem, & exaltare altitudinem magnam inter medium arcis &
ciuitatis, vt ſepararet eam à ciuitate, vt eſſet ipſa ſingulariter, & neque emant, neque
vendant. 37. Et conuenerunt, vt ædificarent ciuitatem: & cecidit murus, qui erat
ſuper torrentem ab ortu ſolis, & reparauit eum, qui vocatur Caphetetha: 38. &
Simon ædificauit Adiada in Sephela, & muniuit eam, & impoſuit portas & ſeras.
39. Et cùm cogitaſſet Tryphon regnare Aſiæ, & aſſumere diadema, & extendere
manum in Antiochum regem: 40. timens ne fortè non permitteret eum Ionathas,
ſed pugnaret aduerſus eum, quærebat comprehendere eum, & occidere. Et exur-
gens abiit in Bethſan. 41. Et exiuit Ionathas obuiam illi cum quadraginta milli-
bus virorum electorum in prælium, & venit Bethsan. 42. Et vidit Tryphon quia
venit Ionathas cum exercitu multo vt extenderet in eum manus timuit, 43. &
excepit eum cum honore, & commendauit eum omnibus amicis ſuis, & dedit ei
munera: & præcepit exercitibus ſuis vt obedirent ei, ſicut ſibi. 44. Et dixit Iona-
thæ: Vt quid vexaſti vniuerſum populum, cùm bellum nobis non ſit? 45. Et nunc
remitte eos in domos ſuas: elige autem tibi viros paucos, qui tecum ſint, & veni me-
cum Ptolemaidam, & tradam eam tibi, & reliqua præſidia, & exercitum, & vniuer-
ſos præpoſitos negotij, & conuerſus abibo: propterea enim veni. 46. Et credidit
ei, & fecit ſicut dixit: & dimiſit exercitum, & abierunt in terram Iuda. 47. Reti-
nuit autem ſecum tria millia virorum: ex quibus remiſit in Galilæam duo millia,
mille autem venerunt cum eo. 48. Vt autem intrauit Ptolemaidam Ionathas, clau-
ſerunt portas ciuitatis Ptolemenſes: & comprehenderunt eum: & omnes, qui cum
eo intrauerant, gladio interfecerunt. 49. Et miſit Tryphon exercitum & equites
in Galilæam, & in campum magnum, vt perderent omnes ſocios Ionathæ.
50. At illi cùm cognouiſſent quia comprehenſus eſt Ionathas, & periit, &
omnes qui cum eo erant, hortati ſunt ſemetipſos, & exierunt parati in prælium.
51. Et videntes hi, qui inſecuti fuerant, quia pro anima res eſt illis, reuerſi
ſunt: 52. illi autem venerunt omnes cum pace in terram Iuda. Et planxerunt
Ionathan, & eos qui cum ipſo fuerant, valdè: & luxit Iſraël luctu magno.
53. Et quæſierunt omnes gentes, quæ erant in circuitu eorum, conterere eos:
dixerunt enim: 54. Non habent principem & adiuuantem: nunc ergo expugne-
mus illos, & tollamus de hominibus memoriam eorum.

COMMENTARII.

1. *Ionathas cum Romanis, & Spartanis fœdus renouat.*

VERS. 1.2.3.4. *Et vidit Ionathas, quia tempus eum iuuat, &c.* Videns Ionathas tot victoriis potitus opportunum eſſe tempus ad antiquos amicos alliciēdos rurſum, & ad nouos procurandos, vt hoſtium, quos inuidia ſuſcitat, audaciam frangeret: Romanis, & Spartanis nouo fœdere procurat adiungi. * Nunquam enim Dux fortiſſimus magis debet eſſe ſolicitus ad exercitum roborandum, quam cum victor aſcendit.] Porrò Spartiatæ, vel Spartani ab Vrbe *Sparta* in Achaia regione Lacedemoniæ in Peloponneſo dicuntur. Dicuntur, & Lacedemones ab Vrbe *Laconica*, ſeu λᾶας id eſt, *lapis*, & κάδμου id eſt, *Cadmi*. Erant poſteri Heraclidarum. *Et abierunt Romam* nuncij illi, *& intrauerunt Curiam, & dixerunt: Ionathas ſummus Sacerdos, & gens Iudæorum miſerunt nos, vt renouaremus amicitiam, & ſocietatem ſecundum priſtinum* fœdus, quod iniimus. *Et dederunt illis epiſtolas ad ipſos per loca, vt deducerent eos in terram Iuda cum pace.* Romani annuentes Ionathæ petitioni dederunt nunciis illius litteras commendatitias ad præſides locorum; per quæ erant tranſituri, vt illos vſque ad Iudææ fines amicis officiis proſequerentur.

Fortis Dux cum victoria potitur, magis ſollicitus eſt, ad exercitum roborandum.

Verſ. 5.6.7.8.9 10. *Et hoc eſt exemplum epiſtolarum, quas ſcripſit Ionathas Spartiatis, &c.* Spartiatarum Rex Arius, vel, vt alij, Areus quartus à fine inter Agidarum Reges, contra Pirrhum Epiri & Antigonum Gonatam Macedoniæ Reges multa bella geſſit, & amicas dedit litteras ad Oniam ſecundum Iudæorum Pontificem (de quibus verſ. 20.) Vbi Spartanos *fratres* Iudæorum vocat, & de genere Abraham, puto ex Cetura, quam poſt partum Saræ ſecum Dariam vxorem Abraham duxit Gen. 25. 1. Ità, ait, *reſcriptum continet*, ſeu ſcriptura teſtatur non ſacra quidem, ſed profana, nempè antiqui Spartanorum annales. Scio, alios velle eos ex Agar ancillæ Saræ eſſe poſteros, eiuſque filij Iſmaëlis, Gen. 25. 12. *Et ſuſcepit Onias virum, qui miſſus fuerat, cum honore, &c. maluimus mittere ad vos, renouare fraternitatem, & amicitiam, ne fortè alieni efficiamur à vobis: multa enim*

tempora

tempora tranſierunt,ex quo miſiſtis ad nos. Veſtram ſocietatem,& amicitiám ambabus vlnis fuimus amplexi. Quia tamen à bellis tunc feriabamur, vſi non fuimus ope, & auxilio vltrò à vobis tanquam fratribus & amicis nobis oblato. Tunc enim pro ſolatio aderant nobis præ manibus ſacra volumina, quibus tempore pacis ſecuti incumbebamus. * En antiqua fideli populi militum exercitamenta pacis tempore ſanctos libros perlegere, legis dogmata meditari: non ſe otio exitiali quidem omnino committere.] * *Habentes* (ait) *ſolatio ſanctos libros.* Nullum enim tam anxium cor qui ſacrorum voluminum lectione ſolatium non concipiat.] Maluimus itaque, mittere legatos ad vos, ad primam amicitiam renouandam, ne diuturniori mora forſan illa intercidat, noſque ſic loco fratrum alieni, & peregrini à nobis efficiamur. * Hinc carpitur nimia nonnullorum abſtractio, qui ſic ſe cum fratribus, ac propinquis gerunt, ac ſi nulla neceſſitudo ſanguinis intercederet.]

[Tempore pacis militũ exercitamẽtum ſit pios libros perlegere. Sacræ lectionis ſolatium.]

[Nimia à propinquis abſtractio reprehenditur.]

Verſ. 11.12.13.14.15.16.17.18. *Nos ergo in omni tempore, &c. memores ſumus veſtri in ſacrificijs, quæ offerimus, & in obſeruationibus, ſicut fas eſt, & decet meminiſſe fratrum.* Græcus *in obſecrationibus*, pro *in obſeruationibus* appoſuit. Profectò nos nunquam veſtri deponimus memoriam in ſacrarum ceremoniarum noſtrarum obſeruationibus, vel in quotidianis precibus. * Hoc ergà abſentes fratres vel amicos officium, eos orationum noſtrarum, piorumque operum participes efficere.] *Lætamur itaque de gloria veſtra, &c.* * Pondera fortiſſimi Ducis pietatem non ſibi, vt alij aſſolent, arrogantis victorias: ſed auctoris earum Domini gloriam efferentis.] *Elegimus itaque Numenium Antiochi filium, & Antipatrem Iaſonis filium, & miſimus ad Romanos, renouare amicitiam, & ſocietatem priſtinam, &c. Et nunc benefacietis, reſpondentes nobis ad hæc.* * *Benè*, inquiunt, *facietis, reſpondentes nobis.* Malè enim, & inurbanè faciunt, qui ſaltem comitatis gratia acceptas non reſpondet ad literas.]

[Pro amicis abſentibus orandum.]

[Omnis victoria non militum ſolùm fortitudini, ſed Deo auxiliatori tribuenda.]

[Inurbanus eſt, qui ad litteras acceptas non reſpondet.]

Verſ. 19.20.21.22.23. *Et hoc eſt reſcriptum epiſtolarum, quod miſerat Onia, Arius Rex Spartiatarum, &c.* Pro *Onia* Græcus legit *Ionatha*. Itaque exiſtimo ad Ionatham miſſum eſſe pro reſponſione exemplar epiſtolæ, quam olim Arius Rex ad Oniam Sacerdotem ſummum immiſerat, vt Ionathas idem ſibi à Spartiatis reſponderi videret. Dicunt igitur: *Poſſeſſiones noſtra, veſtra ſunt: & veſtra, noſtra.* Formula hæc fuiſſe illis videtur arctiſſimæ amicitiæ explicandæ. * Amicorum enim omnia ſunt communia.]

[Amicorum omnia ſunt communia.]

[2.]

[*Rurſus Ionathas Demetriũ fugat, Arabes cædit.*]

Verſ. 24.25.26.27, *Et audiuit Ionathas, quoniam regreſſi ſunt Principes Demetrij cum exercitu multo, &c.* Copias interim ſuas nuper à Ionatha fuſas fugataſque Principes Demetrij inſtaurant, longè maiore numero, quàm antea. Quo comperto Ionathas occurrit eis extra Iudæam in Amathite Arabiæ regione. * Edocens Duces, hoſtes debellandos, aut repellendos, priuſquam ad Vrbes obſidendas accedant.] * Inſtruenſque ſpiritualis militiæ viros, ac fœminas tota animi vi procurare, ne ad præcordia tentamina accedant, maximè impudicitiæ: ſed à longè imminentia eà fortiter comprimere.] Porrò timidiores hoſtes non auſi palam manus cum Iudæis conſerere, fugam arripiunt.

[Hoſtis ablegandus, prius quàm ad Vrbem obſidendam approximet. Luxuriæ, antequam accedãt debellare procura tentamina.]

Verſ. 28.29.30,31.32. *Et audierant aduerſarij, quod paratus eſt Ionathas cum ſuis in bello: & timuerunt, & formidauerunt in corde ſuo: & accenderunt focos in caſtris ſuis.* Vt videntes à longè Iudæi frequentes ignes, non ſuſpicarentur, hoſtes fugam intentaſſe. *Ionathas autem, & qui cum eo erant, non cognouerunt vſque mane: videbant autem luminaria ardentia.* Non cognouerunt fugiſſe hoſtes, qui luminaria ardentia, ſeu focorum ſplendor indicabat, exercitum Demetrij inibi adeſſe. Aduentante autem aurora, intermortua luce diei focorum lumine, hoſtes fugiſſe dignouerunt. *Et ſecutus eſt eos Ionathas, & non comprehendit eos; tranſierunt enim flumen Eleutherum* in Syria, *nunc Vellania* dictum. *Et diuertit Ionathas ad Arabas, qui vocantur Zabadæi, & percuſſit eos, & accepit ſpolia eorum. Et iunxit, & venit Damaſcum*, caſtra in Damaſcum mouit, *& perambulabat omnem regionem illam*, Demetrianos inquirens, & perſequens.

Verſ. 33.34.35.36.37.38. *Simon autem exiit* expeditione bellica, *& venit vſque ad Aſcalonem, & ad proxima præſidia: & declinauit in Ioppen, & occupauit eam.* Erat quidem illa in Ionathæ poteſtate (cap. 10.73.) ſed dicitur occupaſſe eam, quia Ioppenſes ad defectionem declinabant, ideoque Simon adfuit, vt illos in fide contineret. * Edocet Euangelij operarios quaſi de nouo ad fidem, ſeu ad virtutem adducere eum, qui in fidei, aut in virtutis ſequela nutabat, ſi eum in fide aut in virtute conſiſtere faciat.] (*Audiuit enim*) Simon, *quod vellent*, Ioppenſes, *præſidium tradere partibus Demetrij: & poſuit* ibi cuſtodes, *vt cuſtodirent eam Ioppem*, aut arcem. *Et reuerſus eſt Ionathas*, ab expeditione ſua in Iudæam: *& conuocauit ſeniores populi, & cogitauit cum eis, ædificare præſidia in Iudæa: & ædificare muros in Ieruſalem, & exaltare altitudinem magnam inter medium arcis & Ciuitatis, vt ſepararet eam à Ciuitate, vt eſſet ipſa arx ſingulariter*, id eſt, ſeorſim, ſeu ſemota prorſus: *& neque emant, neque vendant*, nempè qui in arce aderant. Eos quidem commeatu, ac commercio prohibere curat, quia arcis expugnatio diuturnioris, erat laboris, & temporis, *Et conuenerunt, vt ædificarent Ciuitatem, &c.* Satagunt Ciuitatis muros reficere, & murum, qui erat à plaga orientali de nouo extruere, quia ex ſenio corruerat: & alium murum nomine Caphetheta, reparare. *Et Simon ædificauit Adiada in Sephela, & muniuit eam: & impoſuit portas, & ſeras.* Adiada Vrs erat in Tribu Dan.

[Qui nutantem in fide, aut in virtute confirmat, eũ quaſi de nouo ad fidem aut ad virtutem adducit.]

[3.]

[*Ionathas à Tryphone dolo capitur & cuſtodiæ adducitur.*]

Verſ. 39.40.41.42.43.44. *Et cum cogitaſſet Tryphon regnare Aſia, &c.* Intereà Tryphon bis perduellis, non ſat habuit à Demetrio deflexiſſe, in eiuſque locum iuniorem intruſiſſe Antiochum filium Alexandri: nunc in ipſum quoque Antiochum inſurgit, ſibique Aſiæ rapere conatur Imperium. Conatui obſtitutus (ait ſecum) eſt præ cæteris Ionathas: ergo & hic de medio tollendus. *Et exiuit Ionathas obuiam illi cum quadraginta millibus virorum electorum in prælium, &c.* Ionathas verò nihil veritus mali, ſumma magnificentia Tryphoni occurrit in Bethſan, alias Scythopoli, Syriæ Oppido non procul Tiberiade. Quia tamen de amicitia Tryphonis non erat omnino ſecurus,

ex præſtantiſſimis ſuis militibus ſecum quadraginta millia adduxit.

Verſ. 45. 46. 47. Et nunc remitte eos in domos ſuas, &c. Suaſu verſipellis Tryphonis Ionathas remiſſis pene omnibus militibus in Iudæam, & Galilæam, cum ſolis mille viris ſe fidei illius in Vrbe Ptolemaida credidit. * Nobilitatis quidem eſt, nihil doli in aliis ſuſpicari.] * At prudentiæ erat, haud fidere illi, quem iam viderat aliquando doloſum.]

Nobilitatis eſt, nihil in aliis ſuſpicari.

Prudentiæ eſt, ei illi nō fidere, quem aliquādo vidiſti doloſum.

Verſ. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. Vt autem intrauit Ptolemaidam Ionathas, clauſerunt portas Ciuitatis Ptolemenſes: & comprehenderunt eum, &c. Itaque iuſſu tyranni Tryphonis comprehenſus fuit à præſidiariis Ionathas; ſocij verò ipſius omnes fuere gladio cæſi. * Illa preme. *Videntes, qui inſecuti fuerant ſocios Ionathæ,* qui in Galilæam fuerant profecti, *quia pro anima res eſt, illi reuerſi ſunt*, nec cum illis concertare voluerunt, timentes eorum fortitudine eſſe debellandos: quia cum illi pro animæ ſeu vitæ defenſione pugnarent, fortiſſimos ſe in certamine deberent oſtendere. Vtediſcas; qui cum hoſtibus animæ confligis, quam conſtantiam quas vires debeas exerere in certamine, in quo *pro anima res eſt.*

Fortiter cum animæ hoſtibus dimica, quia pro anima res eſt.

CAPVT XIII.

Succedens Simon in Principatu fratris Ionathæ, eum curat libertati addicere. Ionathas cum filiis à Tryphone occiditur, qui etiam Antiochum de medio tollens Regno potitur. Simon Demetrio adhæret, arcem Ieroſolymitanam deditione recipit, ductandiſquè exercitibus filium ſuum Ioannem præficit.

1. ET audiuit Simon quòd congregauit Tryphon exercitum
copioſum, vt veniret in terram Iuda, & attereret eam:
2. Videns quia in tremore populus eſt, & in timore, aſcen-
dit Ieruſalem, & congregauit populum: 3. & adhortans
dicit: Vos ſcitis quanta ego, & fratres mei, & domus patris
mei, fecimus pro legibus & pro ſanctis prælia, & anguſtias
quales vidimus: 4. Horum gratia perierunt fratres mei
omnes propter Iſraël, & relictus ſum ego ſolus. 5. Et nunc non mihi contingat
parcere animæ meæ in omni tempore tribulationis: non enim melior ſum fratribus
meis. 6. Vindicabo itaque gentem meam, & ſancta, natos quoque noſtros; &
vxores: quia congregatæ ſunt vniuerſæ gentes conterere nos inimicitiæ gratiâ.
7. Et accenſus eſt ſpiritus populi ſimul vt audiuit ſermones iſtos: 8. & reſpon-
derunt voce magna, dicentes: Tu es dux noſter loco Iudæ & Ionathæ fratris tui:
9. pugna prælium noſtrum: & omnia, quæcumque dixeris nobis, faciemus:
10. Et congregans omnes viros bellatores, accelerauit conſummare vniuerſos
muros Ieruſalem, & muniuit eam in gyro. 11. Et miſit Ionathan filium Ab-
ſalomi, & cum eo exercitum nouum, in Ioppen: & eiectis his, qui erant in ea,
remanſit illic ipſe. 12. Et mouit Tryphon à Ptolemaida cum exercitu multo, vt
veniret in terram Iuda, & Ionathas cum eo in cuſtodia. 13. Simon autem ap-
plicuit in Addus contra faciem campi. 14. Et vt cognouit Tryphon quia ſurrexit
Simon loco fratris ſui Ionathæ: & quia commiſſurus eſſet cum eo prælium, miſit
ad eum legatos, 15. dicens: Pro argento, quod debebat frater tuus Ionathas in
ratione regis, propter negotia quæ habuit, detinuimus eum. 16. Et nunc mitte
argenti talenta centum, & duos filios eius obſides, vt non dimiſſus fugiat à no-
bis, & remittemus eum. 17. Et cognouit Simon quia cum dolo loqueretur ſe-
cum, iuſſit tamen dari argentum, & pueros: ne inimicitiam magnam ſumeret ad
populum Iſraël, dicentem: 18. Quia non miſit ei argentum, & pueros, pro-
pterea periit. 19. Et miſit pueros, & centum talenta: & mentitus eſt, & non
dimiſit Ionathan. 20. Et poſt hæc venit Tryphon intra regionem, vt contere-
ret eam: & gyrauerunt per viam quæ ducit Ador: & Simon, & caſtra eius ambu-
labant in omnem locum quocumque ibant. 21. Qui autem in arce erant, miſe-
runt ad Tryphonem legatos, vt feſtinaret venire per deſertum, & mitteret illis ali-
monias. 22. Et parauit Tryphon omnem equitatum, vt veniret illa nocte: erat
autem nix multa valdè, & non venit in Galaaditim. 23. Et cùm appropinquaſſet
Baſcaman, occidit Ionathan & filios eius illic. 24. Et conuertit Tryphon, & abiit

in terram ſuam. 25. Et miſit Simon, & accepit oſſa Ionathæ fratris ſui, & ſepeliuit ea in Modin ciuitate patrum eius. 26. Et planxerunt eum omnis Iſraël planctu magno, & luxerunt eum dies multos. 27. Et ædificauit Simon ſuper ſepulchrum patris ſui & fratrum ſuorum ædificium altum viſu, lapide polito tectò & ante: 28. Et ſtatuit ſeptem pyramides, vnam contra vnam patri & matri, & quattuor fratribus: 29. & his circumpoſuit columnas magnas; & ſuper columnas arma, ad memoriam æternam; & iuxta arma naues, ſculptas, quæ viderentur ab omnibus nauigantibus mare. 30. hoc eſt ſepulchrum, quod fecit in Modin, vſque in hunc diem. 31. Tryphon autem cùm iter faceret cum Antiocho rege adoleſcente, dolo occidit eum. 32. Et regnauit loco eius, & impoſuit ſibi diadema Aſiæ, & fecit plagam magnam in terra. 33. Et ædificauit Simon præſidia Iudææ, muniens ea turribus excelſis, & muris magnis, & portis, & ſeris: & poſuit alimenta in munitionibus. 34. Et elegit Simon viros, & miſit ad Demetrium regem, vt faceret remiſſionem regioni: quia actus omnes Tryphonis per direptionem fuerant geſti. 35. Et Demetrius rex ad verba iſta reſpondit ei, & ſcripſit epiſtolam talem: 36. Rex Demetrius Simoni ſummo Sacerdoti, & amico regum, & ſenioribus & genti Iudæorum, ſalutem. 37. Coronam auream, & bahem, quam miſiſtis, ſuſcepimus: & parati ſumus facere vobiſcum pacem magnam, & ſcribere præpoſitis regis remittere vobis quæ indulſimus. 38. Quæcumque enim conſtituimus, vobis conſtant. Munitiones, quas ædificaſtis, vobis ſint. 39. Remittimus quoque ignorantias, & peccata vſque in hodiernum diem, & coronam quam debebatis: & ſi quid aliud erat tributarium in Ieruſalem, iam non ſit tributarium. 40. Et ſi qui ex vobis apti ſunt conſcribi inter noſtros, conſcribantur, & ſit inter nos pax. 41. Anno centeſimo ſeptuageſimo ablatum eſt iugum Gentium ab Iſraël. 42. Et cœpit populus Iſraël ſcribere in tabulis & geſtis publicis, anno primo ſub Simone ſummo ſacerdote, magno duce, & principe Iudæorum. 43. In diebus illis applicuit Simon ad Gazam, & circumdedit eam caſtris, & fecit machinas, & applicuit ad ciuitatem, & percuſſit turrem vnam, & comprehendit eam. 44. Et eruperant qui erant intra machinam in ciuitatem: & factus eſt motus magnus in ciuitate. 45. Et aſcenderunt qui erant in ciuitate, cum vxoribus & filiis ſupra murum, ſciſſis tunicis ſuis, & clamauerunt voce magna, poſtulantes à Simone dextras ſibi dari, 46. & dixerunt: Non nobis reddas ſecundùm malitias noſtras, ſed ſecundùm miſericordias tuas. 47. Et flexus Simon, non debellauit eos: eiecit tamen eos de ciuitate, & mundauit ædes in quibus fuerant ſimulachra, & tunc intrauit in eam cum hymnis benedicens Dominum: 48. & eiecta ab ea omni immunditia, collocauit in ea viros qui legem facerent: & muniuit eam, & fecit ſibi habitationem. 49. Qui autem erant in arce Ieruſalem, prohibebantur egredi & ingredi regionem, & emere, ac vendere: & eſurierunt valdè, & multi ex eis fame perierunt. 50. Et clamauerunt ad Simonem vt dextras acciperent: & dedit illis: & eiecit eos inde, & mundauit arcem à contaminationibus: 51. & intrauerunt in eam tertia & vigeſima die ſecundi menſis, anno centeſimo ſeptuageſimo primo, cum laude, & ramis palmarum, & cinyris, & cymbalis, & nablis, & hymnis, & canticis, quia contritus eſt inimicus magnus ex Iſraël. 52. Et conſtituit vt omnibus annis agerentur dies hi cum lætitia. 53. Et muniuit montem templi, qui erat ſecus arcem, & habitauit ibi ipſe, & qui cum eo erant. 54. Et vidit Simon Ioannem filium ſuum, quod fortis prælij vir eſſet: & poſuit eum ducem virtutum vniuerſarum: & habitauit in Gazaris.

COMMENTARII.

I. *Ionathan fratrem eius Simon curat libertati addicere.*

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Et audiuit Simon, quod congregauit Tryphon exercitum copioſum, vt veniret in terram Iuda, & attereret eam. Videns quia in tremore populus eſt, & in timore, aſcendit Ieruſalem, & congregauit populum: & adhortans eum,* atque eum à formidine liberare, *dixit: Vos ſcitis, quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei,* ſeu Mathathias, & alij, *fecimus pro legibus, & pro ſanctis prælia, & anguſtias quales vidimus: horum gratia perierunt fratres mei omnes propter Iſraël, & relictus ſum ego ſolus.* * Laudabilia admodum bella, quæ pro lege, aut fide tutanda geruntur.] * Si Ionathas ſuperſtes adhuc erat, cur dicit Simon, *Perierunt fratres mei omnes?* Quia captus cum eſſet à perfido Tryphone, actum iam de illo erat. Nihil enim pietatis à perfido poterat expectari.] *Et nunc non mihi contingat parcere animæ meæ in omni tempore tribulationis, &c.* Deo itaque comite non mihi continget, vt vitæ meæ parcam, nec enim dignior ſum fratribus meis, aut Reipublicæ magis neceſſarius, vt vitam meam tueri procurem. Porrò Simon vt vir conſilij præ cæteris fratri

Laudabilia bella pro fide tutanda.

Nihil pietatis poteſt à perfido exſpectari.

fratribus à patre fuerat celebratus cap. 2. 65. & 70. * Quomodò ergò ſe fratribus ſuperiorem non agnoſcit? Certè quia eo ipſo, quod ſuperior erat illis, debebat longius ab huiuſmodi cognitione abeſſe. Veræ enim præcellentiæ agnata eſt ſubmiſſio.] Sancta igitur ſeu Templum, & electum populum protecturus exurgam; quia cuncti Gentiles aduerſum nos pugnaces properant, non quia offenſi ſint à nobis, ſed quia inteſtino nos odio proſequuntur: & quia veram abolere religionem, & idololatriam nituntur inducere. Si enim iniuria laceſſiti nos perſequerentur, deberemus impugnationem ſine querela tolerare. * Ergò labores nobis à Deo immiſſos patienter ſuſtineamus; ſiquidem non *inimicitia gratia* nos vulnerat, ſed quia grauiſſimus à nobis eſt iniuriis affectus.]

Veræ præcellentiæ agnata eſt ſubmiſſio.

Debemus patienter ſuſtinere labores, ob peccata à Deo immiſſos.

Verſ. 7.8.9.10.11. Et accenſus eſt ſpiritus populi ſimul, vt audiuit ſermones iſtos. Alacer factus eſt omnis populus, excitatus Simonis verbis ad Templi ac Reipublicæ defenſionem. *Et reſponderunt voce magna, dicentes: Tu es dux noſter loco Iuda, & Ionathæ fratris tui pugna prælium noſtrum: & omnia, quæ dixeris nobis, faciemus.* Ac ſi dicerent. Milites tui erimus. * Idem enim eſt eſſe militem, ac promptè Ducis monitis obedire.] *Et congregans* omnes viros bellatores, accelerauit conſummare omnes muros Ieruſalem, ſeu opus cœptum reficiendorum murorum perficere: *& muniuit eam in gyro. Et* miſit Ionatham filium Abſalomi, & cum eo *exercitum nouum*, ſeu de nouo coactum, *in Ioppem, & eiectis his, qui erant in ea,* militibus Iudæis, quorum fides fortaſſe erat ſuſpecta, *remanſit illic* Ionathas *ipſe.*

Idem eſt eſſe militem, ac obedire debere.

Verſ. 12.13.14.15.16. Et mouit Tryphon, ſeu Profectus eſt, *à Ptolemaida cum exercitu multo, vt veniret in terram Iuda, & Ionathas cum eo in cuſtodia. Simon autem applicuit in Addus contra faciem campi,* ſeu iuxtà Oppidum Addida (Ioſephus ait) in monte ſitum, cui Iudæorum campi ſubiecti ſunt. Exiſtimo, hunc oppidum illum eſſe Adiadam, cuius mentio ſuperiori cap. verſ. 38. fit: ſicque *campi facies,* quæ hìc erit Sephela, quæ eodem loco memoratur. *Et vt cognouit Tryphon, quia ſurrexit Simon loco fratris ſui Ionathæ, &c.* Diffiſus Tryphun ſuis viribus, dolum cogitat, quo & impetum Simonis eludat, & capti Ionathæ filios ambos obtinuit, & grandem pecuniæ ſummam Iudæis extorquet. Fingit, ſe paratum liberare Ionatham quaſi non hoſtili animo captum, ſed ſolum pro argento, quod in rationibus Regiis compertum fuerat Ionatham debere Regi, detentum penes ſe in cuſtodia. *Et nunc mitte argenti talenta centum, &c.* Exſoluat ergo Simon hoc fratris ſui debitum, nempe centum talenta argenti: mittantur inſuper in obſides ambo Ionathæ filij, quibus quaſi compedibus patrem mihi adiunctum teneam: vt dimiſſus, & libertati ſuæ redditus, ad vlciſcendam hanc captiuitatem, non fugiat, & abalienet ſe à nobis: atque ad hoſtes noſtros transfugiat illis aduerſum nos hæreſcens.

Verſ. 17.18.19. Et cognouit Simon, quia dolo loqueretur, &c. Cognouit Simon ſat probè, Tryphonem fraudulenter ſecum agere. * Vndenam precor id cognouerit? Mentitus fuit Tryphon, aſſerens Ionatham eſſe Regis debitorem: & qui in vno mendax deprehenditur, dignus & in aliis non eſt dignus.] Ne tamèn populo Iſraëlitico daret anſam queritandi, quaſi ex auaritia neglexiſſet fratri ſuccurrere: & vt ipſe Principatu frueretur: & quia pietas in fratrem omnia, vt in viuis maneret, tentare ſuadebat: neque certus omnino erat, Tryphonem tam perfida conſilia capturum: tyranni annuere petitioni decreuit. *Et miſit pueros, & centum talenta: & mentitus eſt* Tryphon, *& non dimiſit Ionatham.*

Qui in vno mendax reperitur, in aliis dignus fide non eſt.

Verſ. 20.21.22.23.24. Et poſt hæc venit Try- 2.
phon intrà regionem, &c. Accepta pecunia, & obſidibus Thryphon non abiit retrorſum, ſed perrexit intrare regionem Iudæorum, non quidem recto pergens itinere, ne incurreret in Simonem: ſed gyrans per viam, quæ in Ador ducit. Dor, vel Dora ab aliis vocitatur, & eſt Vrbs in Phœnicia maritima non procul à Ptolemaide. Igitur ſemicirculo facto circum Iudææ fines ſuum Tryphon ductabat exercitum, Simone è veſtigiis eius vbique inſidiante, ne qua irrumperet in Iudæam. *Qui autèm in arce erant, miſerunt ad Tryphonem legatos, &c.* Interim vero muris altiſſimis obſepti, & ob emendi & vendendi illam prohibitionem, fame preſſi præſidiarij Gentiles, qui in arce Solymitanâ aderant, rogant per legatos Tryphonem feſtinet de alimoniis eis prouidere, & viam, qua deferri valeant, ſuggerunt, nempe per deſertum. At ſubmiſſo equites cum ſacculis frumento, vel alia annona plenis, nimia nix nocte illâ dilapſa præpediuit. Ideò non peruenit ſubſidium ad arcem Solymitanam, ſed (vt in Græco eſt, & apud Ioſephum) venit in Galaaditim. *Et cum appropinquaſſet Baſcaman, occidit Ionathan, & filios eius illuc.* Cum autem Tryphon non poſſet alia ratione Iudæis nocere, nec arci Solymitanæ ſuccurrere ira percitus, occidit, quem captiuum huc vſque ſecum traxerat, & filios eius Pontificatum Ionathas ac Principatum Iudæorum annis omnino decem & nouem adminiſtrauit. *Et conuertit,* ſeu reuertit *Tryphon, & abiit in terram ſuam.*

Ionathas cum filijs occiditur à Tryphone, qui etiam occiſo Antiocho Regno potitur.

Verſ. 25.26.27.28.29.30. Et miſit Simon, & accepit oſſa Ionathæ fratris ſui, &c. Poſt Tryphonis in Aſiam receſſum patris ac filiorum cadauera Simon in patria ſua Modin ſepeliuit, conſtructis illic pro mauſolæis ſeptem altiſſimis, ac nobiliſſimis è ſecto, inciſo, politoque lapide pyramidibus, vna contra vna, id eſt, ſibi mutuo è regione oppoſitis. * Cum enim mors coniugia diſſoluat, modeſtiſſimus filius diſpoſuit, patris oſſium vrnam *contra* oſſium matris vrnam apponi, ne oſſa vel iam emortuæ feminæ cum emortuis non iam coniugis oſſibus in ſepulchro manerent. Qua hyperbolica eloquutione adſtruitur, viro a non ſuæ feminæ Societate omnino recedendum.] Pyramides alias quatuor totidem fratribus ſuis Iudæ, Ionathæ, Ioanni, Eleazaro, ſeptimam ſibi Simon erexit. His circumpoſuit alias columnas magnas, quibus affixit arma ſuorum bellica: exſculptas è marmore naues, queis deſignabat partas terra marique victorias per Machabæos. * An in ſam illuſtri mauſolæo aliqua vanitatis ſuſpicio? Nullam adfuiſſe reor. Sibi enim met Simon ſepulchrum apparans omnem excluſit vanitatem. Memoria namque mortis eleuatiora ſupercilia deprimit.]

A fœminæ non coniugis tuæ ſocietate omnino recede.

Haud in vna morantur ſede vanitas & mortis memoria.

R. P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. to. VII. p. 2.

Verſ. 31.32.33.34. *Tryphon autem cum iter faceret cum Antiocho Rege adoleſcente, dolo occidit eum, &c.* Tryphon verò capta opportunitate, cum iter quoddam per Aſiam iniret cum Rege Antiocho adhuc adoleſcente, forſan vt variis in prouinciis ſolemni ritu nouus Rex inauguraretur, clam & dolo illum occidit ſeu veneno, ſeu laqueo, ſeu alio genere mortis, qui non facilè notaretur: & rapto ſibi diademate Aſiæ, eius loco regnauit. Et in omni terra illa plagam ingentem excitauit, perſequens, & enecans quotquot ſibi aduerſari comperierat. Primus hic fuit à tempore Alexandri Magni qui extra ordinem & ſtirpem Seleucidarum vi ſe in Syriæ, & Aſiæ Regnum ingeſſit, trienniòque poſſedit: quo euoluto, occiſus ab Antiocho ſedente filio Demetrij Nicanoris, Seleucidis ſceptrum reſtituit. * Quod enim raptu acquiritur, ſiue opes ſint, ſiue Regna,) diuturno tempore poſſideri non poteſt.]

Quod rapina acquiritur, diu poſſideri non poteſt.

Et ædificauit Simon præſidia Iudææ, &c. Simon autem poſt Iudææ murorum refectionem, aduerſus Tryphonem tyrannum vt magis ſe communiat, acceptat Demetrij Nicanoris nuper à Tryphone Regno pulſi, & à Ionatha ſemel ac iterum fugati, & nunc Iudæorum auxilia ſolicitantis, amicitiam. Sed inter amicitiæ, ac fœderis leges hanc vnam à Rege Demetrio depoſcit, vt regioni Iudæorum faciat remiſſionem ab exactionibus, à tributis, à iugo Gentilium. Quia actus Tryphonis, quibus de nouo grauarat, omnes per direptionem, ſubreptionem, ac tyrannidem geſti fuerant, ac proinde reſcindi iure debebant.

Verſ. 35.36.37.38.39.40.42. *Et Demetrius Rex ad verba iſta reſpondit ei, & ſcripſit epiſtolam talem: Rex Demetrius Simoni ſummo Sacerdoti, & amico Regum, & ſenioribus, & genti Iudæorum ſalutem: Coronam auream, & baein, quam miſiſtis, ſuſcepimus, &c.* Reſcidit omnia Demetrius, accepta à Iudæis in beneuoli animi ſignum corona aurea, qua Regnum illi poſtliminio ſtabilitum, ſeu gratulabantur, ſeu vouebant. Mirantur item Iudæi Demetrio *bahem* Græcè *βαΐνην*, id eſt, *ramum palmarem* vtique aureum victoriæ de tyranno ſymbolum, vel omen. Neque ſolam remiſſionem onerum, quam Simon poſtularat, Rex Iudæis indulſit. Sed & alia omnia, inquit, quæ vobis iam olim conſtituimus, cap. 11. 34.) conſtare iam, & firma, ac rata eſſe volumus. Remittimus quoque quidquid aduerſum nos, ſeu per imprudentiam, ſeu alio modo deliquiſtis. Nam poſt iniurias à Demetrio acceptas (cap. 11.53.) hoſtes illi ſe ſemper Iudæi oſtenderant.

Non benè firmatur amicitia, niſi iniuriæ inuicem ab amicis acceptæ remittantur.

* Non bene firmatur amicitia, niſi iniuriæ quas ſinguli amici inuicem acceperant, remittantur.] *Anno centeſimo ſeptuageſimo* Regni Græcorum *ablatum eſt iugum Gentilium ab Iſrael, &c.* Ex illo itaque tempore Iudæi iugum Gentilium excuſſere, nempe anno illo centeſimo ſeptuageſimo iam finiente. Et ex hoc anno (anno ſcilicet centeſimo ſeptuageſimo primo) Iudæi cœperunt in *Syngraphis, & contractibus* (ſic Græcus) ſcribere ſuæ omnimodæ libertatis & Pontificatus, ac Ducatus Simonis initium.

Verè non regnat, qui ſub tributo degit.

* Iam antea à captiuitate Ionathæ cœperat Simon Pontifex ac Princeps appellari. Sed verè non regnat, qui ſub tributo degit.]

Verſ. 43.44.45.46.47.48. *In diebus illis ap-* 3.
plicuit Simon ad Gazam, & circumdedit eam caſtris, &c. & dixerunt: Non nobis reddas ſecundum malitias noſtras, ſed ſecundum miſericordias tuas. * Quaſi ſingulis malitiis ſingulæ Simonis miſericordiæ reſponderent: *Non ſecundum malitias noſtras, ſed ſecundum miſericordias tuas.* Aptius quidem hæc peccator poteſt cæleſti Numine dictitare, ſciens miſericordiarum Dei innumerabile numerum quantumcumque maliitiarum numerum infinitè ſuperare.] *Et flexus Simon, non debellauit eos: eiecit tamen eos de Ciuitate, &c.* Profectò occaſione horum inter nouos Reges tumultuum, Gazenſes nuper à Ionatha ſubacti, iugum rurſus excuſſerant. Sed à Simone vi ad officium reducti, & aliò migrare iuſſi fuere, ſuffectis illorum loco viris Iſraëlitis, vel proſelytis diuinæ legis ſtudioſis.

Simon adhæret Demetrio, Arcem ſolymitanam deditione poſſidet, & filium exercitibus præficit.

Licet ingens peccatorum numerus, ingentior eſt ad parcendū numerus Dei miſericordiarum.

* Vt communitas, quæ ſtrictam, ac ſeueram diſciplinam relaxauit, ad ſuum priſtinum redeat ſplendorem, operæ pretium eſt, expunctis iis, qui relaxationis cauſa extitere, alios ſufficere viros, qui perfectione vitæ aliis ſint in virtutis exemplar.]

Vt communitas relaxata ad priſtinū feruorem redeat, expungantur tepidi, feruentes ſufficiantur.

Verſ. 49.50.51.52.53.54. *Qui autem erant in arce Ieruſalem prohibebantur egredi, & ingredi regionem, &c.* Qui autem erant in Solymitana arce Gentiles cincti & concluſi muris altiſſimis à Ionatha extructis, & fame iam enecti, deditionem tandem Simoni fecerunt anno centeſimo ſeptuageſimo primo menſis ſecundi *Iiar* die vigeſima tertia, cum Gentiles totis viginti ſex annis, nempè ab anno 145. vſque ad annum 171. eam tenuiſſent. * Difficillimè hoſtis inteſtinus eliminatur.] * Vndè, ſi id referas ad ſpiritum, ægrè poteris prauam conſuetudinem omninò debellare.] Addo ex Ioſepho, arcem à Simone funditus fuiſſe euerſam, vtpotè inimicum magnum Iſraëli, Templo, totique Iudææ infeſtiſſimam. * Ne praua conſuetudo rurſus emergat, nec exiguæ illius reliquiæ in animo retinendæ, ſed omninò extirpandæ.] * *Magnus* arx illa Iſraëlis dicitur *inimicus*, eo quod Iudæos à Templi ingreſſu, & à ſacrificandi retrahebat effectu. Illum magnum tibi eſſe crede inimicum, qui te curauerit à deuotionis exercitamentis abſterrere.] *Et conſtituit, vt omnibus annis agerentur dies hi cum lætitia*, in gratiarum actionem. * Vt edocerentur, qui Dei beneficio à diuturni temporis tandem piaculo receſſerunt, debere illam diem gratiarum actionis colere ſacrificio.] *Et muniuit montem Templi, qui erat ſecus arcem, &c.* Ex oppoſito dirutæ arcis Gentilium communit Simon alteram Iudæorum arcem in monte Templi nuper à Iuda extructam, ſed ab Alcimo deſtructam: rurſumque à Ionatha inſtauratam, nunc nouis munitionibus auctam, atque perfectam. * An inutilis erat cura hæc poſt arcem omninò delectam? Minimè quidem. Tempore enim pacis muniendæ ſunt Vrbes ad contingentium bellorum inſtantiam.] * Etſi de ſpirituali pugna ſermo recurrat, ex emortuis vitij cineribus aſſolet flamma exitialis exſurgere.] Hîc ſedem fixit Simon domicilio à Gazara in Ieroſolymam tranſlato: & filio ſuo Ioanni Hyrcano iam Duce exercituum omnium, id eſt, præfecto copiis omnibus militaribus loco ſuo Gazaræ collocato.

Difficilè inteſtinus eliminatur hoſtis.

Difficilius poteris prauam conſuetudinem omninò vincere.

Ne praua conſuetudo emergat, nullæ illius retinendæ reliquiæ.

Magnus tibi eſt inimicus qui te à iuſtis actionibus abſtrahit.

Gratiarum actionis officio cole illā diem, qua è peccato liberatus fuiſti.

Tempore pacis muniēdæ ſūt Vrbes ad bellum contingens.

Ex vitij cineribus facilè aſſolet ignis exitialis exſurgere.

CAPVT

CAPVT XIV.

Ab Arſace Perſarum, & Medorum Rege Demetrius vincitur; & comprehenditur. Simon cum Romanis, & Spartanis amicitiam inſtaurat. Eius præclara facinora Iudæi in æs inciſa, in Templo appenderunt.

1. ANNO centeſimo ſeptuageſimo ſecundo congregauit rex
Demetrius exercitum ſuum, & abiit in Mediam ad contra-
henda ſibi auxilia, vt expugnaret Tryphonem. 2. Et au-
diuit Arſaces rex Perſidis & Mediæ, quia intrauit Demetrius
confines ſuos, & miſit vnum de principibus ſuis vt compre-
henderet eum viuum, & adduceret eum ad ſe. 3. Et abiit, &
percuſſit caſtra Demetrij, & comprehendit eum, & du-
xit eum ad Arſacem, & poſuit eum in cuſtodiam. 4. Et ſiluit omnis terra Iuda
omnibus diebus Simonis, & quæſiuit bona genti ſuæ: & placuit illis poteſtas eius,
& gloria eius, omnibus diebus. 5. Et cum omni gloria ſua accepit Ioppen in
portum, & fecit introitum in inſulis maris. 6. Et dilatauit fines gentis ſuæ, &
obtinuit regionem. 7. Et congregauit captiuitatem multam, & dominatus eſt
Gazaræ, & Bethſuræ, & arci: & abſtulit immunditias ex ea, & non erat qui reſiſteret
ei. 8. Et vnuſquiſque colebat terram ſuam cum pace: & terra Iuda dabat fructus
ſuos, & ligna camporum fructum ſuum. 9. Seniores in plateis ſedebant omnes, &
de bonis terræ tractabant, & iuuenes induebant ſe gloriam & ſtolas belli. 10. Et
ciuitatibus tribuebat alimonias, & conſtituebat eas vt eſſent vaſa munitionis quoad
vſque nominatum eſt nomen gloriæ eius vſque ad extremum terræ. 11. Fecit
pacem ſuper terram, & lætatus eſt Iſraël lætitia magna. 12. Et ſedit vnuſquiſque
ſub vite ſua, & ſub ficulnea ſua: & non erat qui eos terreret. 13. Defecit impu-
gnans eos ſuper terram: reges contriti ſunt in diebus illis. 14. Et confirmauit om-
nes humiles populi ſui, & legem exquiſiuit, & abſtulit omnem iniquum & ma-
lum: 15. & ſancta glorificauit, & multiplicauit vaſa ſanctorum. 16. Et audi-
tum eſt Romæ quia defunctus eſſet Ionathas, & vſque in Spartiatas: & contriſtati
ſunt valdè. 17. Vt audierunt autem quòd Simon frater eius factus eſſet ſummus
ſacerdos loco eius, & ipſe obtineret omnem regionem & ciuitates in ea; 18. ſcrip-
ſerunt ad eum in tabulis æreis, vt renouarent amicitias & ſocietatem, quam fece-
rant cum Iuda, & cum Ionatha fratribus eius. 19. Et lectæ ſunt in conſpectu Ec-
cleſiæ in Ieruſalem. Et hoc exemplum epiſtolarum, quas Spartiatæ miſerunt:
20. SPARTIANORVM principes, & ciuitates, Simoni Sacerdoti magno, & ſenio-
ribus, & ſacerdotibus, & reliquo populo Iudæorum, fratribus, ſalutem. 21. Le-
gati, qui miſſi ſunt ad populum noſtrum, nuntiauerunt nobis de veſtra gloria, &
honore, & lætitia: & gauiſi ſumus in introitu eorum. 22. Et ſcripſimus quæ ab eis
erant dicta in conciliis populi ſic: Numenius Antiochi, & Antipater Iaſonis filius,
legati Iudæorum, venerunt ad nos, renouantes nobiſcum amicitiam priſti-
nam. 23. Et placuit populo excipere viros glorioſè, & ponere exemplum ſermo-
num eorum in ſegregatis populi libris, vt ſit ad memoriam populo Spartiarum. Exem-
plum autem horum ſcripſimus Simoni magno ſacerdoti. 24. Poſt hæc autem miſit
Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondo mna-
rum mille, ad ſtatuendam cum eis ſocietatem. Cùm autem audiſſet populus Ro-
manus 25. ſermones iſtos, dixerunt: Quam gratiarum actionem reddemus Si-
moni, & filiis eius? 26. Reſtituit enim ipſe fratres ſuos, & expugnauit inimicos
Iſraël ab eis: & ſtatuerunt ei libertatem, & deſcripſerunt in tabulis æreis, & po-
ſuerunt in titulis in monte Sion. 27. Et hoc eſt exemplum ſcripturæ: OCTAVA
decima die menſis Elul, anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, anno tertio ſub
Simone ſacerdote magno in Aſaramel, 28. in conuentu magno ſacerdotum, &
populi, & principum gentis, & ſeniorum regionis, nota facta ſunt hæc: Quoniam

frequenter facta ſunt prælia in regione noſtra. 29. Simon antem Mathathiæ filius ex filiis Iarib, & fratres eius dederant ſe periculo, & reſtiterunt aduerſariis gentis ſuæ, vt ſtarent ſancta ipſorum, & lex: & gloria magna glorificauerunt gentem ſuam. 30. Et congregauit Ionathas gentem ſuam, & factus eſt illis ſacerdos magnus, & appoſitus eſt ad populum ſuum. 31. Et voluerunt inimici eorum calcare & atterere regionem ipſorum, & extendere manus in ſancta eorum. 32. Tunc reſtitit Simon, & pugnauit pro gente ſua, & erogauit pecunias multas, & armauit viros virtutis gentis ſuæ, & dedit illis ſtipendia: 33. & muniuit ciuitates Iudææ, & Bethſuram, quæ erat in finibus Iudææ, vbi erant arma hoſtium antea: & poſuit illic præſidium viros Iudæos. 34. Et Ioppen muniuit, quæ erat ad mare; & Gazara, quæ eſt in finibus Azoti, in qua hoſtes antea habitabant, & collocauit illic Iudæos: & quæcumque apta erant ad correptionem eorum, poſuit in eis. 35. Et vidit populus actum Simonis, & gloriam quam cogitabat facere genti ſuæ, & poſuerunt eum ducem ſuum, & principem ſacerdotum, eò quòd ipſe fecerat hæc omnia, & iuſtitiam, & fidem, quam conſeruauit genti ſuæ, & exquiſiuit omni modo exaltare populum ſuum. 36. Et in diebus eius proſperatum eſt in manibus eius, vt tollerentur gentes de regione ipſorum, & qui in ciuitate Dauid erant in Ieruſalem, in arce, de qua procedebant, & contaminabant omnia quæ in circuitu ſanctorum ſunt, & inferebant plagam magnam caſtitati: 37. & collocauit in ea viros Iudæos ad tutamentum regionis, & ciuitatis, & exaltauit muros Ieruſalem. 38. Et rex Demetrius ſtatuit illi ſummum ſacerdotium. 39. Secundùm hæc fecit eum amicum ſuum, & glorificauit eum gloria magna. 40. Audiuit enim quòd appellati ſunt Iudæi à Romanis amici, & ſocij, & fratres, & quia ſuſceperunt legatos Simonis glorioſè: 41. & quia Iudæi, & ſacerdotes eorum conſenſerunt eum eſſe ducem ſuum, & ſummum ſacerdotem in æternum, donec ſurgat propheta fidelis: 42. & vt ſit ſuper eos dux, & vt cura eſſet illi pro ſanctis, & vt conſtitueret præpoſitos ſuper opera eorum, & ſuper regionem, & ſuper arma, & ſuper præſidia: 43. & cura ſit illi de ſanctis: & vt audiatur ab omnibus, & ſcribantur in nomine eius omnes conſcriptiones in regione, & vt operiatur purpura, & auro: 44. & ne liceat vlli ex populo, & ex ſacerdotibus, irritum facere aliquid horum, & contradicere his quæ ab eo dicuntur, aut conuocare conuentum in regione ſine ipſo: & veſtiri purpura, & vti fibula aurea. 45. qui autem fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit. 46. Et complacuit omni populo ſtatuere Simonem, & facere ſecundùm verba iſta. 47. Et ſuſcepit Simon, & placuit ei vt ſummo ſacerdotio fungeretur, & eſſet dux & princeps gentis Iudæorum, & ſacerdotum, & præeſſet omnibus. 48. Et ſcripturam iſtam dixerunt ponere in tabulis æreis, & ponere eas in peribolo ſanctorum, in loco celebri: 49. exemplum autem eorum ponere in ærario, vt habeat Simon, & filij eius.

COMMENTARII.

1. *Demetrius ab Arſace comprehenditur.*

VERS. 1. 2. *Anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo* Imperij Græcorum, *congregauit Rex Demetrius exercitum ſuum, & abiit in Mediam ad contrahenda ſibi auxilia, vt expugnaret Tryphonem. Et audiuit Arſaces Rex Perſidis, & Mediæ, &c.* Arſaces Rex Perſarum & Medorum (imò & Parthorum, nomen enim ipſum hoc ſignificat: vnde nomen Arſaces eſt Parthorum Regibus familiare) cognito, quia Demetrius Syriæ, & Aſiæ Rex ſe inconſulto fines ſuos cum exercitu inierit, vt maiores ſibi copias inde colligeret: præfectum ſuæ militiæ immittit, vt Demetrium vi aggrederetur, & ſi poſſet viuum caperet.

Verſ. 3. Et abiit, & percuſſit caſtra Demetrij, Aggreſſus eſt Princeps illi Demetrij exercitum, viuum capit Regem, Arſaci tradit, & cuſtodiæ addicit. Capto Demetrio (addit Ioſephus) vxor eius Cleopatra Seleuciam ad ſe fratrem illius Antiochum euocat, cumque ex Leuiro virum ſuum facit. * Agnatam quidem & feminarum magis adſtruens leuitatem.]

Agnata fœminis leuitas.

2. *Felicitèr Simon Iudæorũ Rempublicam adminiſtrat.*

Verſ. 4. 5. 6. 7. Et ſiluit omnis terra Iuda omnibus diebus Simonis, & quæſiuit bona genti ſuæ. Iudæa toto tempore Præſulatus Simonis non fuit amplius bellis conturbata intereaque Simon diligentem ſe oſtendit in felici Reipublicæ ſtatu promouendo. *Quæſiuit* inquit, *bona genti ſuæ*, non ſibi, ſed ſubditis. Bonus enim Præſul ſuorum commodorum oblitus ſubditorum vtilitati ſolum ſtudet.] *Et placuit illis poteſtas eius, & gloria eius omnibus diebus.* Eius gubernandi ratio cunctis ſubditis placuit. Egregius plane Princeps cuius gubernatio nullas ſubditorum querelas aliquando excitauit.] Et eius *gloria* placuit, id eſt, fama Sapientiæ, & prudentiæ illius. * Hæc eſt prorſus maior bonitatis Principis exaggeratio, ſcilicet virum

Bonus Princeps nõ ſuæ ſed vtilitati ſubditorum ſtudet.

Egregius eſt Princeps, cuius gubernatio in ſubditis querelas non excitat.

Inuidia ſectatrix eſt ſ[illegible]goris.

tanta

tanta fama illuſtrem aliquos inuidos non habere. Inuidia enim aſſecla ſolet eſſe fulgoris.] Et *cum omni gloria ſua accepit Ioppem in portum, &c.* Ioppem Ciuitatem maritimam per Ionathan Abſalomi vicarium ſuum accepit in portum Iudæis valde opportunum, vt introitum haberet in Inſulis maris, id eſt, ex hoc portu in alias regiones etiam remotiſſimas ſoluere poſſent. *Et dilatauit fines gentis ſuæ, & obtinuit regionem: & congregauit captiuitatem multam,* ſeu captiuos multos Iudæos & manibus hoſtium liberauit; hoſtes autem ipſos maximo numero captiuos fecit: *& dominatus eſt Gazara, & Bethſura, & arci; & abſtulit immunditias ex ea,* ſeu idola expunxit. Pacificè poſſedit Gazaram, Bethſuram, & arcem Solymitanam. Hæc tria loca ſpeciatim memorat, tanquam omnium regionis, quam obtinuerat omnem munitiſſima, quorum poſſeſſio ſecurum præbebat totius Iudææ, ac Paleſtinæ dominatum: *& non erat qui reſiſteret ei.* Ipſo Iudæam adminiſtrante, aurea erant tempora.

Suprema Principis felicitas eſt pace frui, quia ſimul omniũ potitur abundantia.

* Suprema en Simonis felicitas, non adeſſe, qui bello ei poſſet obſiſtere. Qui enim pace fruitur ſimul potitur abundantia iuxta illud Dauidicum: Et abundantia pacis.]

Verſ. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Et vnuſquiſque colebat terram ſuam cum pace, haud timens, fructus fundi in hoſtium ceſſuros vtilitatem: *& terra Iuda dabat fructus ſuos* ſuis cultoribus: *& ligna camporum fructum ſuum:* ex fundis & arboribus redditus colligebant. *Seniores in plateis ſedebant omnes, & de bonis terræ tractabant: & iuuenes induebant ſe gloriam. & ſtolas bello,* ſeu ornabant ſe veſte pretioſa, & triumphali, nempè ſpoliis hoſtilibus & ſtolis bello partis.

Glorioſum militi, ſuæ fortitudinis ſigna exhibere.

* Nihil enim glorioſius militi, quam ſuæ fortitudinis documenta exponere.] *Et Ciuitatibus tribuebat alimonias: & conſtituebat eas, vt eſſent vaſa munitionis, &c.* Vrbes Iudææ minus ante munitas, nouis muris, & arcibus adiectis, effecit, vt eſſent *vaſa munitionis,* ſeu receptacula munitiſſima. Et *fecit pacem ſuper terram, & lætatus eſt Iſraël lætitia magna, &c.* Afflictos Iudæos, ſeu à contribulibus ſuis, ſeu à paupertate opportunis mediis, & auxiliis erexit.

Magnus Princeps de pauperũ ſubleuatione ſatagit.

* Nihil magno Principe dignius, quàm inopibus ſe munificum exhibere.] Legis obſeruationi ſtuduit, & vt ad vnguem ſeruaretur, facinoroſos, & publico bono noxios de medio ſuſtulit.

Ad priuatam legis obſeruationẽ confert, publicos eius violatores exterminare.

* Ad priuatam namque legis obſeruationem confert, publicos legis violatores exterminari, qui noxio admodum contubernio alios ad eandem impietatem adducunt.] *Sancta glorificauit, & multiplicauit vaſa ſanctorum.* Auxit gloriam, ornatum, & ſplendorem ſanctuarij, ſeu Templi, eiuſque ſacra ſupellectilia magno numero auxit.

Ad Regni felicitatem tuendam cõfert Regis erga Templum munificentia.

* Ad felicitatem Regni tuendam maximè refert Principis erga Templum munificentia. Inde etenim omnis in ciues affluentia manat.]

3.

Iudæi cum Romanis, & Spartiatis renouant amicitias.

Verſ. 16. 17. 18. 19. Et auditum eſt Romæ, quia defunctus eſſet Ionathas Machabæus, *& vſque in Spartiatas,* hæc fama proſiluit: *&* Romani, ac ſpartiatæ, *contriſtati ſunt valde. Vt audierunt autem, quod Simon frater eius factus eſſet ſummus Sacerdos loco eius, &* quod *ipſe obtineret omnem regionem.* Iudææ, & Paleſtinæ, *& ciuitates in ea: ſcripſerunt ad eum in tabulis æreis,* iuxta antiquum morem, *vt renouarent amicitias, & ſocietatem, quam fecerant cum Iuda, & cum Ionatha fratribus eius: & lectæ ſunt in conſpectu Eccleſiæ,* ſeu cœtus ſeniorum, ac populi *in Ieruſalem. Et hoc exemplum epiſtolarum, quas Spartiatæ miſerunt.*

Verſ. 20. 21. 22. 23. Spartianorum Principes, & Ciuitates Simoni Sacerdoti magno, & ſenioribus, & Sacerdotibus, & reliquo populo Iudæorum, fratribus ſalutem. Legati, qui miſſi ſunt ad populum noſtrum, nunciauerunt nobis de veſtra gloria, & honore, ac lætitia: & gauiſi ſumus in introitu eorum, ſeu aduentu ad nos. *Et ſcripſimus, quæ ab eis erant dicta, in conciliis populi ſic:* Gratulantur Simoni Spartiatæ, ſiue Lacedæmonij, dicta legatorum ſcribentes in annalibus ſuis ad perpetuam rei memoriam. Hæc autem erat illius ſcripturæ forma: *Numenius* Antiochi, & Antipater Iaſonis filius, legati Iudæorum, venerunt ad nos, renouantes nobiſcum amicitiam priſtinam. Et placuit populo, excipere viros glorioſè, & ponere exemplum ſermonum eorum in ſegregatis populi libris, vt ſit ad memoriam populo Spartiatarum. Exemplum autem horum ſcripſimus Simoni magno Sacerdoti. Habes hinc laudabile admodum eſſe ſcribere ſpeciales Reipublicæ ſucceſſus in publicis libris, (quos hîc Spartiatæ *concilia* vocitant) vt ſi contingat, aliquando hiſtoriam Regni conſcribi, poſſint librorum illorum obſeruationes materia ſcriptori ſuppeditare.]

Laudabilis eſt vſus ſcribendi in publicis libris ſpeciales Reipublicæ ſucceſſus.

Verſ. 24. 25. 26. Poſt hæc autem miſit Simon Numenium Romam, &c. Cum Romanis quoque Simon renouauit fœdus, & ſocietatem miſſo eis per manus Eumenij clypeo magno aureo mnarum mille, ſeu aureorum millium aureorum. *Cum autem audiſſet populus Romanus ſermones iſtos, dixerunt?* Quoſnam precor Romanus populus ſermones audiuit, ſi nulla verba prolata nunc eſſe ab Eumenio Romanis memorantur? An oblatio clypei illius aurei eloquens ſermo fuit, illorum beneuolentiam captans? Certè dona cuncta vocalia ſunt, & poſſunt, quidquid velit offerens facilè vel ingratis perſuadere.]

Munera vocalia ſunt, quidquid velit offerens perſuadentia.

Enimverò in Græco ſolum legitur, *Cum audiſſet populus,* non addito *Romanus:* & ex ſequenti ſerie tota, videtur ſubintelligi hîc debere non Romanum populum, ſed Iudaicum, qui de Principe ſuo, quibus potuit modis etiam ipſe benè mereri voluit: publica *ſanedrin* decreto conceſſa ei, eiuſque toti familiæ plena libertate, non à ſolis tributis, aut aliis communibus oneribus, ſed etiam ab omni ſubiectione. Præfata igitur verba *Quam* gratiarum actionis, &c. & ſequentia non Romani dixerunt, quorum reſponſio ad tractatum de renouatione amicitiæ proximo cap. 15. continetur. Inquiunt ergo Iudæi tot quotidie Simonis geſta præclara audientes, & tot actionum egregiarum eiuſdem oculati teſtes: *Quam gratiarum actionem reddemus Simoni, & filijs eius, &c.* Conſtituerunt itaque ob egregia illa facinora Principem ſuum ſupremum, in eiuſque poſteros voluerunt hanc dignitatem æternùm deriuari, adeò vt omnes Iudæi illi ſubiicerentur, ipſe nulli ſubiaceret. Patet ex publicis tabulis hac de re confectis, & in Templo appenſis.

4.

Præclara Simonis geſta Iudæi in æs incidunt, & appendunt in Templo.

Verſ. 27. 28. 29. 30. 31. 32. Et hoc eſt exemplum ſcripturæ. Octaua decima die menſis Elul anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, &c.

Publica

Publicæ autem tabulæ ſic incipiunt. Menſis Elul ſexti apud Hebræos die decima octaua (ſub noſtri Septembris initium) anno Græcorum centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, Pontificatus Simonis anno tertio, in Vrbe Aſaramel (fortè legendum *Ieroſalem*) Vel dic Aſaramel denotare locum publici Synedrij, ſeu conuentus, in quo hæc decreta à comitiis generalibus concepta, & firmata fuere. *Quoniam frequenter facta ſunt prælia in regione noſtra, &c. & restiterunt aduerſariis gentis ſuæ, vt ſtarent ſancta ipſorum,* ſeu Templum, & ſacræ cæremoniæ, *& lex; & gloria magna glorificauerunt gentem ſuam. Et congregauit Ionathas gentem ſuam, & factus eſt illis Sacerdos magnus, & appoſitus eſt ad populum ſuum,* ſeu diem ſuum obiit poſt præclara facinora. *Et voluerunt inimici eorum calcare, & atterere regionem ipſorum, & extendere manus in ſancta eorum. Tunc reſtitit Simon, & pugnauit pro gente ſua, & erogauit pecunias multas, & armauit viros virtutis* (ſeu fortitudine conſpicuos) *gentis ſuæ, & dedit illis ſtipendia.* * Annota belli huius gerendi cauſam præcipuam fuiſſe, *extendere hoſtem manus in ſancta eorum.* Illuſtris plane Princeps, cui non opum acquiſitio, non Imperij propagandi ſtudium, ſed Templi ſacrorumque iniuriæ belli inſtituendi cauſam exhibuere.]

Sacrorum violatio ſumma cauſa debet eſſe Catholico Regi ad bellum gerendum.

* Illa preme, *Et dedit illis ſtipendia.* Inter egregia Simonis facta memoratur, ſtipendia dediſſe militibus? Annon pugnantibus iure debebantur? Certè antiquiſſima eſt hæc querela ſeu plaga militibus, difficile eis de ſtipendiis prouideri.]

Quaſi agnatum eſt militibus, difficilè eis de ſtipēdio prouideri.

Verſ. 33.34.35. Et muniuit Ciuitates Iudææ, & Bethſuram, quæ erant in finibus Iudææ, vbi erant arma hoſtium antea, ſeu hoſtile præſidium: *& poſuit illic præſidium viros Iudæos. Et Ioppem muniuit, quæ erat ad mare: & Gazaram quæ eſt in finibus Azoti.* (Gazam intelligo, motus ex eo, quod addit, in finibus Azoti adeſſe.) *in qua hoſtes antea habitabant: & collocauit illic Iudæos; & quæcumque apta erant ad correptionem eorum, poſuit in ea.* In Græco eſt, *ad inſtaurationem* ciuium. * Nihil prius Principi agendum, quàm ciuium commodis ſtudere.] Alij legunt, *ad correctionem eorum,* id eſt, tale conſtituit ibi præſidium, vt hoſtium de in auſibus poſſet eſſe correctio. *Et vidit populus actum Simonis, &c.* Loco verbi illius, *Et vidit populus actum Simonis,* id eſt, res geſtas, Græcus legit, *Vidit populus fidem Simonis.* Quod ego non ſolum de fidelitate ac fide populum, ſed de fide ad Deum intellexerim. Ac ſi diceret: Vidit populus Simonem verè eſt Catholicum Principem, fidei propugnatorem. Quæ quidem virtus felicia omnia facinora includit. Catholico enim Principi feliciter omnia plerumque ſuccedunt.]

Principia primum ſtudium ſit Ciuium cōmoda procurare.

Plerumque Catholico Principi feliciter omnia ſuccedunt.

Verſ. 36.37. Et in diebus eius proſperatum eſt in manibus eius, &c. Princeps egregius Simon proſpere aſſecutus eſt, vt ſublatæ eſſent Gentes, earumque dominatus de regione Iudæorum, coactis ad deditionem iis, quæ vltimæ ſupererant in arce Sion: Quæ perpetuo proſiliebant in Iudæos, & contaminabant cuncta, quæ in ſanctuarij circuitu aderant: & *caſtitati* ſeu puritati loci illius ſancti plagam magnam inferebant. Nam ſcelerati milites illi ſubitò erumpebant ex arce, & rapinis, cædibus, & conſtupationibus polluebant, ac profanabant Templum, Templi miniſtros, ſacrificiis, & ſacrificantes. * Merito appellatur *magna plaga,* cum Templi immunitas violatur.] *Et collocauit in ea arce viros Iudæos ad tutamentum regionis, & Ciuitatis: & exaltauit,* ſeu auxit *muros Ieruſalem.*

Magna Reipublicæ plaga eſt, cum Templi immunitas violatur.

Verſ. 38.39 40.41.42.43.44.45. Et Rex Demetrius ſtatuit illi ſummum Sacerdotium, &c. Et in hæc populi Iudaici ſuffragia conſenſit quoque Demetrius Syriæ, & Aſiæ Rex, maximè cum audiſſet, tam arctam Iudæis amicitiam eſſe cum Romanis. *Audiuit enim, quod appellati ſunt Iudæi à Romanis amici, &c.* Audiuit etiam, Iudæos omnes in id conſpiraſſe, vt Simonem Ducem haberent, & ſummum Sacerdotem vſque ad obitum, & dignitas vtraque perpetuò in illius familia, & poſteritate permaneret: donec ſurgeret *Propheta fidelis,* id eſt eſt, donec veniret in orbem magnus ille Propheta Meſſias, à Moyſe, aliiſque Prophetis toties promiſſus. Et quidem manſit vterque Principatus in Haſamenæorum familia, ac poſteris Simonis vſque ad Herodem, cuius tempore natus eſt Chriſtus ſummus Princeps & Pontifex totius Eccleſiæ, & populi Dei. *Et vt ſit ſuper eos Dux, & vt cura eſſet illi pro ſanctis, &c.* Ergo omnium prorſus conſenſu & Iudæorum, & Gentium fuit vnanimiter decretum, vt Simon eſſet Dux ſuper Iudæos, & vt cura ſuprema pro ſanctuario, ſeu Templo ſit penes ipſum. Hoc eſt Sacerdotis ſummi, ac Principis politici munere fungi. *Et vt* vt talis vtrumque officium obeat, *cura ſit* nempè *illi de ſanctis: & vt audiatur ab omnibus, & ſcribantur in nomine eius omnes conſcriptiones in regione, &c.* Et vt audiant, ſeu obediatur ab omnibus, & omnia mandata ſue decreta publica eius nomine euulgentur. Addo, & ſubductio annorum apud Iudæos fit ſecundùm annos Principatus Simonis. Atque ita deinceps factum patet ex initio harum tabularum verſ. 27. De purpura ac fibula aurea dixi 1. Mach. 10. verſ. vlt. *Qui autem fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquid horum reus erit.* & iuſto ſupplicio ſubiacebit.

Verſ. 46.47.48.49. Et complacuit omni populo ſtatuere Simonem, & facere ſecundum verba iſta. Et ſuſcepit Simon munus oblatum vtrumque *& placuit ei, vt ſummo Sacerdotio fungeretur, & eſſet Dux & Princeps gentis Iudæorum, & Sacerdotum, & præeſſet omnibus. Et ſcripturam iſtam dixerunt ponere in tabulis æreis, &c.* Denique decreta hæc totius populi Iudaici, tabulis æreis debent incidi, & in peribolo Templi, ſeu in vna porticuum, quæ ſanctuariū vndique ambiebant. Iubent poſtremò vt eorundem decretorum exēplar in ærario, ſeu gazophylatio, id eſt, in publicis Templi theſauris, & archiuiis, reponatur: vt ſi quando Simon, & filij eius, vel poſteri illo egerent, inde poſſent depromere. * Tanto populi honore eſt dignus, aut probus Sacerdos, aut rectus Reipublicæ gubernator.]

Magno populi eſt dignus honore, aut probus Sacerdos, aut rectus gubernator.

CAPVT

CAPVT XV.

Antiochus Demetrij filius Simonis amicitiam ambit, fugat Triphonem, profugúmque perſequitur. Legati Simonis ampla à Romanis promiſſa afferunt. Antiochus initam cum Iudæis violat amicitiam.

1. ET miſit rex Antiochus filius Demetrij epiſtolas ab inſulis
maris Simoni ſacerdoti, & principi gentis Iudæorum, & vni-
uerſæ genti: 2. Erant continentes hunc modum: REX
Antiochus Simoni ſacerdoti magno, & genti Iudæorum ſa-
lutem. 3. Quoniam quidem peſtilentes obtinuerunt re-
gnum patrum noſtrorum, volo autem vendicare regnum,
& reſtituere illud ſicut erat anteà: & electam feci multi-
tudinem exercitus, & feci naues bellicas. 4. Volo autem procedere per re-
gionem, vt vlciſcar in eos: qui corruperunt regionem noſtram, & qui deſolaue-
runt, ciuitates multas in regno meo. 5. Nunc ergo ſtatuo ibi omnes oblationes,
quas remiſerunt tibi ante me omnes reges, & quæcumque alia dona remiſerunt
tibi: 6. & permitto tibi facere percuſſuram proprij numiſmatis in regione tua:
7. Ieruſalem autem ſanctam eſſe, & liberam: & omnia arma quæ fabricata ſunt,
& præſidia quæ conſtruxiſti, quæ tenes, maneant tibi. 8. Et omne debitum re-
gis, & quæ futura ſunt regi, ex hoc: & in totum tempus remittuntur tibi. 9. Cùm
autem obtinuerimus regnum noſtrum, glorificabimus te, & gentem tuam, &
templum gloria magna, ita vt manifeſtetur gloria veſtra in vniuerſa terra. 10. An-
no centeſimo ſeptuageſimo quarto exiit Antiochus in terram patrum ſuorum, &
conuenerunt ad eum omnes exercitus, ita vt pauci relicti eſſent cum Trypho-
ne. 11. Et inſecutus eſt eum Antiochus rex, & venit Doram fugiens per mari-
timam. 12. Sciebat enim quòd congregata ſunt mala in eum, & reliquit eum exer-
citus. 13, Et applicuit Antiochus ſuper Doram cum centum viginti millibus vi-
rorum belligeratorum, & octo millibus equitum. 14, & circuiuit ciuitatem, &
naues à mari acceſſerunt: & vexabant ciuitatem à terra & mari, & neminem
ſinebant ingredi vel egredi. 15. Venit autem Numenius, & qui cum eo fuerant
ab vrbe Roma, habentes epiſtolas regibus & regionibus ſcriptas, in quibus con-
tinebantur hæc: 16. LVCIVS conſul Romanorum, Ptolemæo regi ſalutem.
17. Legati Iudæorum venerunt ad nos amici noſtri, renouantes priſtinam ami-
citiam & ſocietatem, miſſi à Simone principe Sacerdotum, & populo Iudæorum.
18. Attulerunt autem & clypeum aureum mnarum mille. 19. Placuit ita-
que nobis ſcribere regibus, & regionibus, vt non inferant illis mala, neque
impugnent eos, & ciuitates eorum, & regiones eorum: & vt non ferant auxi-
lium pugnantibus aduerſus eos. 20. Viſum autem eſt nobis accipere ab eis cly-
peum. 21. Si qui ergo peſtilentes refugerunt de regione ipſorum ad vos, tradite
eos Simoni principi ſacerdotum, vt vindicet in eos ſecundùm legem ſuam, 22.
Hæc eadem ſcripta ſunt Demetrio regi, & Attalo, & Ariarathi, & Arſaci, 23. &
in omnes regiones: & Lapſaco, & Spartiatis, & in Delum, & in Myndum, & in
Sicyonem, & in Cariam, & in Samum, & in Pamphyliam, & in Lyciam, & in
Alicarnaſſum, & in Coo, & in Sidon, & in Aradon, & in Rhodum, & in Pha-
ſelidem, & in Cortinam, & Guidum, & Cyprum, & Cyrenen. 24. Exemplum
autem eorum ſcripſerunt Simoni principi ſacerdotum, & populo Iudæorum.
25. Antiochus autem rex applicuit caſtra in Doram ſecundò, admouens ei ſem-
per manus, & machinas faciens: & concluſit Triphonem, ne procederet. 26. &
miſit ad eum Simon duo millia virorum electorum in auxilium: & argentum, &
aurum, & vaſa copioſa: 27. & noluit ea accipere, ſed rupit omnia, quæ pactus
eſt cum eo anteà, & alienauit ſe ab eo. 28. Et miſit ad eum Athenobium vnum
de amicis ſuis, vt tractaret cum ipſo, dicens: Vos tenetis Ioppem, & Gazaram,

& arcem quæ eſt in Ieruſalem, ciuitates regni mei: 29. fines earum deſolaſtis, &
feciſtis plagam magnam in terra, & dominati eſtis per loca multa in regno meo.
30. Nunc ergo tradite ciuitates, quas occupaſtis; & tributa locorum, in quibus
dominati eſtis extra fines Iudææ. 31. Sin autem, date pro illis quingenta talenta
argenti, & exterminij, quod exterminaſtis, & tributorum ciuitatum alia talenta
quingenta: ſin autem, veniemus, & expugnabimus vos. 32. Et venit Atheno-
bius amicus regis in Ieruſalem, & vidit gloriam Simonis, & claritatem in auro
& argento, & apparatum copioſum: & obſtupuit: & retulit ei verba Regis.
33. Et reſpondit ei Simon, & dixit ei: Neque alienam terram ſumpſimus, neque
aliena detinemus: ſed hæreditatem patrum noſtrorum, quæ iniuſtè ab inimicis
noſtris aliquo tempore poſſeſſa eſt. 34. Nos verò tempus habentes, vindicamus
hæreditatem patrum noſtrorum. 35. Nam de Ioppe & Gazara quæ expoſtular,
ipſi faciebant in populo plagam magnam, & in regione noſtra: horum damus
talenta centum. Et non reſpondit ei Athenobius verbum. 36. Reuerſus autem
cum ira ad regem: renunciauit ei verba iſta, & gloriam Simonis, & vniuerſa quæ
vidit: & iratus eſt rex ira magna. 37. Tryphon autem fugit naui in Orthoſiada.
38. Et conſtituit rex Cendebæum ducem maritimum, & exercitum peditum &
equitum dedit illi. 39. Et mandauit illi mouere caſtra contra faciem Iudææ: &
mandauit ei ædificare Cedronem, & obſtruere portas ciuitatis, & debellare popu-
lum. Rex autem perſequebatur Tryphonem. 40. Et peruenit Cendebæus Lam-
niam, & cœpit irritare plebem, & conculcare Iudæam, & captiuare populum, &
interficere, & ædificare Cedronem. 41. Et collocauit illic equites, & exercitum:
vt egreſſi perambularent viam Iudææ, ſicut conſtituit ei rex.

COMMENTARII.

5. *Antiochus Demetrij filius Simonis amicitiam ambit. Fugatque Tryphonem.*

VERS. 1. 2. 3. 4. *Et miſit Rex Antiochus filius Demetrij epiſtolas ab Inſulis maris Simoni Sacerdoti, &c.* Antiochus Sedetes Demetrij Seleuci filius, Demetrij Nicanoris à Parthis capti frater capto fratre ſuo Regnum illius ſimul & vxorem ſibi vindicauit, vt *cap.* 14. 5. vidimus, Etiam ab inſula maris Rhodo (vbi eum fuiſſe aſſerit Apianus) literas honoris plenas ad Simonem & Iudæos immittit, vt eos ſibi aduerſus æmulum ſuum Triphonem deuinciat: alioquin hoſtis infeſtiſſimus Iudæorum, vti *Verſ.* 27. patebit.* Non eſt vera, nec perſiſtens erit amicitia, quæ ob vtilitatem & commodum ſolummodo initur.] Ambiens itaque huiuſmodi amicitiam Antiochus epiſtolas Simoni magnis promiſſis plenas immiſit. *Quoniam quidem peſtilentes tyranni obtinuerunt Regnum patrum noſtrorum, &c.* Quoniam intendo Regnum recuperare, quod Tryphon tyrannice poſſidet: & ad id ſtudium exequendum & exercitum, & claſſem inſtitui. *Volo autem procedere per regionem: vt vlciſcar in eos, &c,*

Nec eſt vera nec perſiſtēs amicitia quę fundatur ſolum in commodo.

Verſ. 5.6.7.8.9. *Nunc ergo ſtatuo tibi omnes oblationes, &c.* Græcus pro *oblationes* poſuit *ablationes* ſcilicet onerũ ſeu immunitates à præcedentibus Regibus Iudæis indultas. Has nempe ratas eſſe vult Antiochus. *Et permitto tibi facere percuſſuram proprij numiſmatis in regione tua.* Dat ei poteſtatem cudendi aut ſignandæ pecuniam, *Ieruſalem autem ſanctam eſſe, & liberam.* Vides quid apud impium Antiochum vaaluerit Hieroſolymæ ſanctitas ad obtinendã immunitatem. *Et omnia arma quæ fabricata ſunt, & præſidia, quæ conſtruxiſti, quæ tenes, maneant tibi, &c.*

Verſ. 10.11.12.13.14. *Anno centeſimo ſeptuageſimo quarto* Græcorum *exiit Antiochus in terram patrem ſuorum, & conuenerunt ad eum omnes exercitus, ita vt pauci relicti eſſent* milites *cum Tryphone, &c.* Triphoni impar copiis Antiochũ fugit Doram Phœniciæ Vrbem, ſed Antiochus mox circumdat, cingit, obſidet Ciuitatem vndique terra, marique. * Vt rebellis tyrannus omnino debelletur, non ſufficit vnum aut alterum Oppidum Regni terra expugnare: ſed neceſſarium eſt claſſem principi Vrbi applicari, ne rebellis egredi poſſit, & ne auxiliares milites, aut annonæ ingrediantur.]

Vt rebellis omnino debelletur, neceſſarium eſt, eum terra marique expugnari.

Verſ. 15.16.17.18.19.20. *Venit autem Numenius, &c.* Numenius à Simone immiſſus Romam legatus, redditas à S. P. Q. R. literas in fauorem Iudæorum, ad varios Reges, ac regiones, ſeu Reſpublicas Simoni refert. *Lucius Conſul Romanorum Ptolemæo Regi Salutem. Legati Iudæorum venerunt ad nos amici noſtri renouantes priſtinam amicitiam, &c* Literis hiſce nomen ſuum inſcribit Conſul Romanus Lucius, ſeu *Furius*, cuius conſulatus incidit in annum Vrbis conditæ 617. Qui annus cum poſteriore ſui parte concurrat cum anno 174. Græcorum, cuius hîc fit mentio, certum hinc habes vinculum ſacræ chronologiæ cum profana. *Viſum autem eſt nobis accipere ab eis clypeum.* * *Viſum*, inquiunt, *eſt nobis*, quaſi poſt conſultationem præmiſſam decreuiſſent, clypeum aureum à Simone oblatum accipere. Edocentes quidem non facile à Principibus, ſeu gubernatoribus dona eſſe ab vllo accipienda.]

a. *Legati Simonis ampla à Romanis promiſſa referunt.*

Non facilè ab alio dona gubernatoribus accipienda.

Verſ. 21.22.23.24. *Si qui ergo peſtilentes refugerunt de regione ipſorum ad vos, tradite eos Simoni Principi Sacerdotum, vt vindicet in eos ſecundum legem ſuam. Hæc eadem ſcripta ſunt Demetrio Regi, & Attalo, &c.* Eiuſdem itaque formæ literas dedêre Romani ad Ptolemæũ Euergerem Regem Ægypti, ad Demetrium Nicanorem Regem Syriæ, licet apud Arſacem in

carcere:

carcere: ad Attalum Regem Aſiæ: ad Ariarathem, Capadociæ, ad Arſacem Parthorum, ac Perſarum Regem. Item ad Reſpublicas, ſcilicet Lampſacenam in Syria, (liberam tunc) regionem: ad Spartiaticam: ad Inſulam Delum. &c. Porrò hæ Romanorum literæ ad tot, tamque potentes Reges, & Reſpublicas, Romanorum tum temporis potentiam arguunt. At Iudæis exiguo ſolatio, nulli vſui, nulli auxilio fuere: bilem potius Antiocho, Iudæis odium crearunt.* Nunquã vel rarò videtis infidelium auxilia Catholicis eſſe ſalutaria.] *Exemplum autem eorum ſcripſerunt Simoni Principi Sacerdotum & populo Iudæorum.*

Infidelium auxilia non proſunt Catholicis.

3. *Verſ. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. Antiochus autem Rex applicuit caſtra in Doran ſecundò, admouens ei ſemper manus, & machinas faciens: & concluſit Tryphonem, ne procederet* fugiens ab illa Vrbe in aliam. *Et miſit ad eum Simon duo millia virorum electorum in auxilium: & argentum, & aurum. & vaſa pretioſa: & noluit ea accipere, ſed rupit omnia, quæ pactus eſt cum eo antea, & alienauit ſe ab eo.* Antiochus, repulſo Iudæorum auxiliati exercitu, & muneribus repudiatis, hoſtem ſe illis apertè declarat. *Quænam tam ſubitæ mutationis fuerit occaſio? Profectò nunquam ſocietas & amicitia cum Impiis vtiliores fideli populo produxit effectus.] *Et miſit ad eum Athenobium vnum de amicis ſuis, vt tractaret cum ipſo, dicens, &c.* Occaſionem quæritans Antiochus, vt à Iudæa amica recederet, miſit Athenobium legatum, qui cum Simone de iniuriis, ac damnis Regno Syriæ, illatis expoſtularet, ablata repeteret, tributa depoſceret; ſin autem bellum indiceret.

Antiochus initam cum Iudæis violat amicitiã.

Amicitia cum impiis fideli populo nunquam non exitialis.

Verſ. 32. 33. 34. 35. Et venit Athenobius amicus Regis in Ieruſalem, & vidit gloriam Simonis, & claritatem in auro, & argento, & apparatum copioſum: & obſtupuit: & retulit ei verba Regis. Et reſpondit Simon, & dixit ei: Neque alienam terram ſumpſimus, nec aliena detinemus, &c. Nihil territus minus Simon, generosè reſpondit: Non occupauimus terram alienam, neque aliena iniuſto titulo detinemus; ſed quæ nobis hæreditario iure debentur, opportunum tempus nacti armis ab inimicis noſtris, qui ea poſſidebant iniuſtè, repetiuimus. Quod autem de occupata à nobis Ioppe, & Gazara conquereris, ſumma neceſſitas nos compulit eas Vrbes occupare. Incolæ namque earum perpetuis irruptionibus maxima nobis dabant: Vndè ſi velimus in pace viuere, eas nobis Vrbes cogimur detinere. At earum ratione parati ſumus dare Regi Antiocho centum talenta argenti, id eſt, centum & viginti millia aureorum, pro grati animi, & beneficij quaſi ab ipſo accepti recognitione.

Verſ. 36. 37. 38. 39. 40. 41. Reuerſus autem cum ira ad Regem, renuntiauit ei verba iſta, & gloriam Simonis, & vniuerſa, quæ vidit: & iratus eſt Rex ira magna, &c. Illa modeſta Simonis reſponſio iram tyranni non reſtinxit, ſed auxit. Cum vero ipſemet non poſſet expeditionem in Iudæam inire præpeditus proſecutione Tryphonis, qui ex Vrbe Dora clam elapſus naui in Orthoſaïdam, (quæ eſt in Phœnicia) profugerat: loco ſuo eò immiſit Cendebæum claſſis ſuæ præfectum cum validis copiis, iubens ei Iudæam vaſtare vniuerſam, communita initio Vrbe Gedore (Græcè *Cedrone*) in finibus & ingreſſu Iudææ: & obſtructis (Græcè *munitis*) portis eiuſdem Ciuitatis, vt eruptiones inde, & incurſiones in Iudæam reliquam tuto facere poſſet.

CAPVT XVI.

Simon duos filios Duces aduerſus Antiochi copias emittit, qui eas fugarunt. Simon, & filij eius Iudas & Mathathias proditoriè à Simonis genero occiduntur, miſſis qui & Ioannem tertium Simonis filium de medio tollerent. Hic inſidias præuertit, & patris ſucceſſor exſurgit.

1. ET aſcendit Ioannes de Gazaris, & nuntiauit Simoni patri
ſuo quæ fecit Cendebæus in populo ipſorum. 2. Et vo-
cauit Simon duos filios ſeniores, Iudam & Ioannem, &
ait illis: Ego, & fratres mei, & domus patris mei, expu-
gnauimus hoſtes Iſraël ab adoleſcentia vſque in hunc diem:
& proſperatum eſt in manibus noſtris liberare Iſraël ali-
quoties. 3. Nunc autem ſenui; ſed eſtote loco meo, &
fratres mei, & egreſſi pugnate pro gente noſtra: auxilium verò de cœlo vo-
biſcum ſit. 4. Et elegit de regione viginti millia virorum belligeratorum, &
equites; & profecti ſunt ad Cendebæum: & dormierunt in Modin. 5. Et
ſurrexerunt manè, & abierunt in campum: & ecce exercitus copioſus in ob-
uiam illis peditum, & equitum, & fluuius torrens erat inter medium ipſo-
rum. 6. Et admouit caſtra contra faciem eorum ipſe, & populus eius, &
vidit populum trepidantem ad transfretandum torrentem, & transfretauit

primus: & viderunt eum viri, & tranſierunt poſt eum. 7. Et diuiſit populum, & equites in medio peditum: erat autem equitatus aduerſariorum copioſus nimis. 8. Et exclamauerunt ſacris tubis, & in fugam conuerſus eſt Cendebæus, & caſtra eius: & ceciderunt ex eis multi vulnerati reſidui autem in munitionem fugerunt. 9. Tunc vulneratus eſt Iudas frater Ioannis: Ioannes autem inſecutus eſt eos, donec venit Cedronem, quam ædificauit: 10. & fugerunt vſque ad turres, quæ erant in agris Azoti, & ſuccendit eas igni. Et ceciderunt ex illis duo millia virorum, & reuerſus eſt in Iudæam in pace. 11. Et Ptolemæus filius Abobi conſtitutus erat dux in campo Iericho, & habebat argentum & aurum multum. 12. Erat enim gener ſummi ſacerdotis. 13. Et exaltatum eſt cor eius, & volebat obtinere regionem, & cogitabat dolum aduerſus Simonem, & filios eius, vt tolleret eos. 14. Simon autem, perambulans ciuitates quæ erant in regione Iudææ, & ſollicitudinem gerens earum, deſcendit in Iericho ipſe, & Mathathias filius eius, & Iudas, anno centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, menſe vndecimo: hic eſt menſis Sabath. 15. Et ſuſcepit eos filius Abobi in munitiunculam, quæ vocatur Doch, cum dolo, quam ædificauit: & fecit eis conuiuium magnum, & abſcondit illic viros. 16. Et cum inebriatus eſſet Simon, & filij eius, ſurrexit Ptolemæus cum ſuis & ſumpſerunt arma ſua, & intrauerunt in conuiuium, & occiderunt eum, & duos filios eius, & quoſdam pueros eius. 17. & fecit deceptionem magnam in Iſraël, & reddidit mala pro bonis. 18. Et ſcripſit hæc Ptolemæus, & miſit regi, vt mitteret ei exercitum in auxilium, & traderet ei regionem, & ciuitates eorum, & tributa. 19. Et miſit alios in Gazaram tollere Ioannem: & tribunis miſit epiſtolas, vt venirent ad ſe, & daret eis argentum & aurum, & dona. 20. Et alios miſit occupare Ieruſalem, & montem templi. 21. Et præcurrens quidam, nuntiauit Ioanni in Gazara, quia periit pater eius, & fratres eius, & quia miſit te quoque interfici. 22. vt audiuit autem, vehementer expauit: & comprehendit viros, qui venerant perdere eum, & occidit eos: cognouit enim quia quærebant eum perdere. 23. Et cætera ſermonum Ioannis, & bellorum eius, & bonarum virtutum, quibus fortiter geſſit, & ædificij murorum, quos extruxit, & rerum geſtarum eius. 24. Ecce hæc ſcripta ſunt in libro dierum ſacerdotij eius, ex quo factus eſt princeps ſacerdotum poſt patrem ſuum.

COMMENTARII.

1. *Simon aduerſus Cendebæum Iudam, & Ioannem filios ſuos emittit, qui hoſtes fugant.*

VERS. 1.2.3.4. *Et aſcendit Ioannes de Gazaris*, vbi à Simone Præſes fuerat collocatus. *Et nuntiauit Simoni patri ſuo, quæ fecit Cendebæus in populo ipſorum. Et vocauit Simon duos filios ſeniores Iudam, & ipſum Ioannem*, quid id nunciauerat, *& ait illis: Ego & fratres mei, & domus patris mei impugnauimus hoſtes Iſraël aliquoties. Nunc autem ſenui, ſed ſtate loco meo, & fratres mei*, Græcè, *& loco fratris mei*. Iudæ, vel Ionathæ: *& egreſſi pugnate pro gente noſtra: auxilium vero de cælo vobiſcum ſit. Et elegit. de regione viginti millia virorum belligeratorum, & equites: & profecti ſunt ad Cendebæum & dormierunt in Modin.* * Quomodo tam facilè, tam citò tam magnus exercitus parari potuerit? Certè quia non de nouo milites hinc indè coëgit, ſed *elegit* ex iam ad bella, quæ poterant imminere, paratis, quos viſum fuit ei neceſſarios eſſe ad illam expeditionem. En cauſa, cur haud opportunè plerumque ad bella proceditur: nullus miles eſt ex officio, nullus ex inſtituto eſt paratus ad bella. Vnde data occaſione pugnandi, non *eliguntur milites*, ſed de nouo coguntur, & indiſciplinati ad campum procedunt.]

Difficilè & ſerò efformatur exercitus, cum non adſunt milites ex inſtituto ad bella parati.

Verſ. 5.6.7.8. Et ſurrexerunt mane, & abierunt in campum, &c. Ex Modin, loco vicino Gedori, Ioannes & Iudas diluculo ſurrexerunt & ad campum pugnaturi proceſſere. *Et admouit caſtra contra faciem eorū ipſe & populus eius, &c.* Admouit caſtra ſua Ioannes, propter ætatē primarius belli Dux loco patris (1. Mach. 13.14.) contra faciem Cendebæi, & ipſius copiarum. Cum autem exercitus cunctaretur tranſmeare torrentem, Ioannes interritus ſe aquæ cōmiſit, quod ennotantes milites, eum ſine formidine fuere ſecuti. Principis enim præeuntis exemplum ſubditis ardua quæque facillima reddit.] *Et diuiſit populum, & equites in medio peditum &c. Exclamauerunt ſacris tubis*, ſeu pontificio exercitui deſeruientibus, *& in fugam conuerſus eſt Cendebæus, & caſtra eius, & ceciderunt ex eis multi vulnerati; reſidui autem in munitionem fugerunt.* Impletum eſt, quod Dominus promiſerat Num. 10. 9. *Si exieritis ad bellum, clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio veſtri coram Domino Deo veſtro, vt eruamini de manibus inimicorum veſtrorum.* Facto enim impetu ſuderunt, & fugarunt Cendebæum, cæſis quàm plurimis, reliquis verò in munitionem Gedoris fuga ſe recipientibus.

Præſulis præeuntis exemplum facilia ardua quæque ſubditis reddit.

2. *Ptolemæus gener Simonis ſocerum, & duos filios eius dolo interimit; miſſis qui & tertium filiū Ioannem de medio tollerent.*

Verſ. 9.10. Tunc vulneratus eſt Iudas frater Ioannis: Ioannes autem inſecutus eſt eos, donec venit Cedronem, quam ædificauit. Ioannes fugientes hoſtes inſequitur, donec venit Cedronem, quam ædificarat, & communierat Cendebæus. Colligo hinc Cedronem non tantum vallem eſſe torrentis, vel torrentem: ſed & Vrbem. *Et fugerunt* hoſtes *vſque ad turres, quæ erant in*

agro

agris Azoti, & ſuccenderunt eas igni. Ioannis milites, ne hoſtibus eſſent protectioni. Et ceciderunt ex illis duo millia virorum : *& reuerſus eſt,* ſacer exercitos *in Iudaam in pace.*

Verſ. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. *Et Ptolemeus filius Abobi conſtitutus erat* à Simone *dux in campo Iericho, & habebat argentum, & aurum multum: erat enim gener ſummi Sacerdotis. Et exaltatum eſt cor eius, & volebat obtinere regionem* Iudææ : *& cogitabat dolum aduerſus Simonem, & filios eius, vt tolleret eos,* de medio. *Simon autem perambulans Ciuitates, quæ erant in regione Iudeæ, & ſolicitudinem gerens earum: deſcendit in Iericho ipſe, & Mathathias filius eius, & Iudas,* iam ex vulnere liber, *anno centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, menſe vndecimo; hic eſt Menſis Sabath. Et ſuſcepit eos filius Abobi in munitiunculam, quæ vocatur Doch cum dolo, quam ædificauit: & fecit eis conuiuium magnum, & abſcondit illic viros. Et cum inebriatus eſſet Simon, & filij eius, ſurrexit Ptolemæus cum ſuis, & ſumpſerunt arma ſua, & intrauerunt in conuiuium, & occiderunt eum, & duos filios eius, & quoſdam pueros eius: & fecit deceptionem magnam in Iſrael, & reddidit mala pro bonis.* Præclaram victoriam Ioannis paulo poſt magna clades excepit. Nam Simon ſummus Sacerdos, & Princeps Iudæorum indigna morte à Ptolemæo genero ſuo doloſè in conuiuio è medio tollitur vna cum filiis ſuis Iuda & Mathathia anno Græcorum centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, idque in munitiuncula, ſeu arce Doch in campo Iericho, quam ipſe Ptolemæus ædificauerat. * Dicitur Simon *inebriatus*, hoc eſt, liberaliori exhilaratus potu. Nam ebrij dicuntur non ſoli vinolenti, ſed & qualiber re expleti: Exemplo fratrum Ioſephi Gen. 43. * Indecens enim valdè eſſet, imò egregiæ fortitudini contrarium Sacerdotem, & Principem ebrietati tentanti iudicium indulgere.]

Indecens ad modum eſt, Sacerdotem, & Principem ebrietati tentanti iudiciū indulgere.

Verſ. 18. 19. 20. 21. 22. *Et ſcripſit hac Ptolemæus, & miſit Regi, vt mitteret ei exercitum in auxilium, & traderet ei regionem, & Ciuitates eorum, & tributa. Et miſit alios in Gazaram, tollere Ioannem, &c.* Ptolemæus gener iniquus voluit & primogenitum Simonis, Ioannem ſimili dolo è medio tollere; ſed fidelis præcucurrit quidam, qui Simonem de patris, ac fratrum nece, & de proximo proprio periculo certiorem faceret.

Verſ. 22. 23. 24. *Vt audiuit autem, vehementer expauit, & comprehendit viros, qui venerant perdere eum, & occidit eos, &c.* Detectis Ioanni inſidiis, percuſſores ad ſe miſſos ipſe præuertit, & occidit. Regnauit Simon annis vniuerſim ſeptem, nempe ab anno 170. Græcorum, ad annum 177. Scio, Ioſephum octo annos illi dare, quia inchoarat octauum. *Et cætera ſermonum Ioannis, & bellorum eius, & bonarum virtutum, quibus fortiter geſſit: & ædificij murorum, quos extruxit, & rerum geſtarum eius: ecce hæc ſcripta ſunt in libro dierum Sacerdotij eius, ex quo factus eſt Princeps Sacerdotum poſt patrem ſuum.* Porrò Ioannis huius Simonis filij (cognomento *Hyrcani*) præclara geſta perſequitur liber quartus Machabæorum. Vocatur *Hyrcanus* ab Hyrcanis deuictis Perfidum parricidam Ptolemæum in arce ſua Doch, ſeu Dagou mox obſedit: ſed cum antè Sabbathicum annum iam imminentem arce potiri non poſſet, ſoluta obſidione paſſus eſt effugere. Cum Antiocho Rege, qui Tryphone Aphameæ, quo fugerat occiſo, Ieroſolymam obſeſſurus cum ingentibus aduolarat copiis: inducias primo propter Scenopegiorum ſolemnes dies, deinde etiam pacem pepigit, Rege complures auratis cornibus tauros ad Templi ſacrificia ſubmittente. Eundem Regem ad bellum Parthicum eſt comitatus, Syriæ plurimas Vrbes cepit, Samaritas vicit, Garizitanum templum euertit, Idumæos domuit, ad innouandam ſocietatem legatos Romam miſit. Tandem poſt 31. annos Pontificatus, & Principatus ſui diem ſuum obiit; relicto ſucceſſore filio ſuo Ariſtobulo, qui loco *Ducis* nomen *Regis* cum diademate primus Aſmonæorum aſſumpſit, & Pontificatui adnexuit, & adnexum reliquit fratri ſuo Alexandro, & Alexandri filio Ariſtobulo ſecundo. Quo regnante; capta à Pompeio Ieroſolyma, & Iudæa in prouinciam redacta, & dignitas regia à pontificia fuit prorſus auulſa. Ariſtobulus à Pompeio captos Romam inmittitur, filius eius Antigonus ab Antonio interficitur, ſic rogante Herode. Atque ita extinctis Haſmonæorum Regibus, & ſceptro de Tribu Iuda ſublato, Herode alienigena per vim à Romanis intruſo, natus eſt in Bethlehem Iuda IESVS, qui vocatur Chriſtus.

3.

Monitus indibus præuertit inſidias, & patris ſucceſſor exſurgit.

Ioannis præclara geſta lib. 4. Mach. ad longū ſcripta. ſummatim hic memorā.

LIBER SECNDVS. COMMENTARII LITERALES, ET Morales.

AD SECVNDVM MACHABÆORVM.

PROLVSIO.

Ex aliorum mente Libri hi *Machabæorum* vocitantur, quod ipſe Iudas (de cuius præclaris geſtis ſecundus hîc liber expreſſiùs agit) primus in vexillis exaratos oſtentabat quatuor haſce Hebraïcas litteras י ב כ מ Latinas verò M. C. B. I. quæ Hebraïcè eſſent initia illius ſententiæ Exo. 15.7. *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* O quàm aptè verba hæc Deiparæ accommodari poſſunt, cui nullus ex fortiſſimis Eccleſiæ Diuis poteſt aſſimilari. Vnde Cant. 6. Terribilis vt caſtrorum acies appellatur. *Non enim ita metuunt hoſtes viſibiles* (loquor cum D. Bernardo à Richardo S. Laurent. citato lib. 1, cap. 11.) *quamlibet caſtrorum multitudinem. Sicut aëreæ poteſtates Mariæ vocabulum: cedunt, & pereunt, ſicut cera à facie ignis, vbicumque inuenerunt huius nominis crebram recordationem.* Annon meritò Mariam vocitem *Machabæam*, de eius fortitudine inclamans. *Quis ſimilis tui in fortibus Domina?*

Maria Caſtrorum acies dęmoniis terribilis.

CAPVT PRIMVM.

Iudæos in Ægypto commorantes Ieroſolymitani epiſtola hortantur, vt feſtum Scenopegiæ etiam ipſi celebrent. Et altera epiſtola eoſdem hortantur, vt diem dati ſibi cælitus ignem ſolemni ritu colant. Antiochi ſedentis mors narratur.

1. FRATRIBVS, qui ſunt per Ægyptum, Iudæis, ſalutem dicunt fratres, qui ſunt in Ieroſolymis, Iudæi, & qui in regione Iudææ, & pacem bonam. 2. Benefaciat vobis Deus, & meminerit teſtamenti ſui, quod locutus eſt ad Abraham, & Iſaac, & Iacob, ſeruorum ſuorum fidelium: 3. & det vobis cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem, corde magno, & animo volenti. 4. Adaperiat cor veſtrum in lege ſua, & in præceptis ſuis, & faciat pacem. 5. Exaudiat orationes veſtras, & reconcilietur vobis, nec vos deſerat in tempore malo. 6. Et nunc hic ſumus orantes pro vobis. 7. Regnante Demetrio, anno centeſimo ſexageſimo nono, nos Iudæi ſcripſimus vobis in tribulatione, & impetu, qui ſuperuenit nobis in iſtis annis, ex quo, receſſit Iaſon à ſancta terra, & à regno. 8. Portam ſuccenderunt, & effuderunt ſanguinem innocentem: & orauimus ad Dominum, & exauditi ſumus, & obtulimus

mus ſactificium, & ſimilaginem, & accendimus lucernas, & propoſuimus panes.
9. Et nunc frequentate dies Scenopegiæ menſis Caſleu. 10. Anno centeſimo
octogeſimo octauo, populus, qui eſt Ieroſolymis, & in Iudæa, Senatúſque & Iu-
das, Ariſtobolo magiſtro Ptolemæi regis, qui eſt de genere Chriſtorum Sacerdo-
rum, & his qui in Ægypto ſunt, Iudæis, ſalutem & ſanitatem. 11. De magnis
periculis à Deo liberati, magnificè gratias agimus ipſi, vt pote qui aduerſus talem
regem dimicauimus. 12. Ipſe enim ebullire fecit de Perſide eos, qui pugnaue-
runt contra nos, & ſanctam ciuitatem. 13. Nam cùm in Perſide eſſet dux ipſe,
& cum ipſo immenſus exercitus, cecidit in templo Naneæ, conſilio deceptus Sa-
cerdotum Naneæ, 14. Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus, &
amici eius, & vt acciperet pecunias multas dotis nomine. 15. Cumque propo-
ſuiſſent eas Sacerdotes Naneæ, & ipſe cum paucis ingreſſus eſſet, intra ambitum
ſani, clauſerunt templum. 16. Cùm intraſſet Antiochus: apertóque occulto adi-
tu templi, mittentes lapides percuſſerunt ducem, & eos qui cum eo erant, & di-
uiſerunt membratim, & capitibus amputatis foras proiecerunt. 17. Per omnia
benedictus Deus, qui tradidit impios. 18. Facturi igitur quinta & vigeſima die
menſis Caſleu purificationem templi, neceſſarium duximus ſignificare vobis: vt &
vos quoque agatis diem Scenopegiæ, & diem ignis qui datus eſt quando, Nehemias
ædificato templo & altari obtulit ſacrificia. 19. Nam cùm in Perſidem ducerentur
patres noſtri; Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari
occultè abſconderunt in valle, vbi erat puteus altus & ſiccus, & in eo contutati
ſunt eum, ita vt omnibus ignotus eſſet locus. 20. Cùm autem præteriiſſent anni
multi, & placuit Deo vt mitteretur Nehemias à rege Perſidis: nepotes Sacerdotum
illorum, qui abſconderant, miſit ad requirendum ignem: & ſicut narrauerunt no-
bis, non inuenerunt ignem, ſed aquam craſſam. 21. Et iuſſit eos haurire, & affer-
re ſibi: & ſacrificia, quæ impoſita erant, iuſſit Sacerdos Nehemias aſpergi ipſa aqua:
& ligna, & quæ erant ſuperpoſita. 22. Vtque hoc factum eſt, & tempus affuit,
quo Sol refulſit, qui prius erat in nubilo, accenſus eſt ignis magnus, ita vt om-
nes mirarentur. 23. Orationem autem faciebant omnes Sacerdotes, dum con-
ſummaretur ſacrificium, Ionatha inchoante, cæteris autem reſpondentibus.
24. Et Nehemiæ erat oratio hunc habens modum: DOMINE Deus omnium
Creator, terribilis & fortis, iuſtus & miſericors, qui ſolus es bonus rex. 25. So-
lus præſtans, ſolus iuſtus, & omnipotens, & æternus, qui liberas Iſraël de omni
malo, qui feciſti patres electos, & ſanctificaſti eos: 26: Accipe ſacrificium pro
vniuerſo populo tuo Iſraël, & cuſtodi partem tuam, & ſanctifica. 27. Congrega
diſperſionem noſtram, libera eos qui ſeruiunt Gentibus, & contemptos & abo-
minatos reſpice: vt ſciant Gentes quia tu es Deus noſter. 28. Affige opprimentes
nos, & contumeliam facientes in ſuperbia. 29. Conſtitue populum tuum in loco
ſancto tuo, ſicut dixit Moyſes. 30. Sacerdotes autem pſallebant hymnos, vſque-
quo conſumptum eſſet ſacrificium. 31. Cum autem conſumptum eſſet ſacrificium,
ex reſidua aqua Nehemias iuſſit lapides maiores perfundi. 32. Quod vt factum
eſt, ex eis flamma accenſa eſt: ſed ex lumine, quod refulſit ab altari, conſumpta
eſt. 33. Vt verò manifeſtata eſt res, renuntiatum eſt regi Perſarum, quod in lo-
co, in quo ignem abſconderant hi qui tranſlati fuerant Sacerdotes, aqua apparuit, de
qua Nehemias, & qui cum eo erant, purificauerunt ſacrificia. 34. Conſiderans
autem rex, & rem diligenter examinans, fecit ei templum, vt probaret quod fa-
ctum erat. 35. & cùm probaſſet, Sacerdotibus donauit multa bona, & alia atque
alia munera, & accipiens manu ſua, tribuebat eis. 36. Appellauit autem Nehe-
mias hunc locum Nephthar, quod interpretatur purificatio. Vocatur autem apud
plures Nephi.

COMMENTARII.

1\. *Prima epiſtola à Iudæis Ieroſolymitanis ad Iudæos Ægyptios immiſſa fragmentum.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Fratribus, qui ſunt per Ægyptum, Iudæis ſalutem dicunt fratres, qui ſunt in Ieroſolymis, Iudæi: & qui in regione Iudææ, & pacem bonam.* Iudæi, qui Ieroſolymæ verſamur, & qui in regione Iudææ degimus, (Hoc eſt cuiuſdam epiſtolæ fragmentum) fratribus, qui in Ægypto commorantur vel vi eo abrepti, à Ptolemæo Lagi, vel ſpontè eo conceſſere cum Onia filio Oniæ tertij Pontificis ſub Ptolemæo Philometore: & ibidem in Heliopolitana regione ampliſſimum Templum extruxere, *pacem bonam.* * An non bona eſt omnis pax, quam omnium abundantia ſequitur? Cur ergo addidit *Bonam?* Profectò

Pax peccatorũ bona pax non eſt, ſed ea, quæ cum iuſtitia colligatur.

fectò non omnis pax bona eſt, ſed illa, quæ cum iuſtitia colligatur. Licet enim bella externa non ingruant, ſi Deum hoſtem habes, mala erit hæc pax. Vndè aliquando impij clamauerunt, Pax. Pax, indulgentes delicijs, & quidem *non erat pax bona.*] quam fratribus verſantibus in Ægypto Solymitani Iudæi imprecantur. *Benefaciat vobis Deus, & meminerit teſtamenti ſui,* ſeu pacti, *quod locutus eſt ad Abraham, & Iſaac, & Iacob ſeruorum ſuorum fidelium:* & ratione pacti illius veſtri miſereatur, qui ſucceſſores, & filij eorum eſtis, & conſequenter bonorum eis promiſſorum hæredes. * Vt videas, quantæ ſit opportunitatis ad Dei miſericordiam obtinendam ſanctorum parentum eſſe filium.] *Et det vobis cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem, corde magno, & animo volenti,* id eſt, corde magnanimo ad labores tolerandos, & animo prompto ad diuinæ voluntatis executionem. *Adaperiat cor veſtrum in lege ſua, & in præceptis ſuis, & faciat pacem.* Cæleſti lumine veſtra corda dirigat, vt ſerio obediatis legi. Maximè verò vt à profano Templo, & ſacrificijs prohibitis, ad Templum Domini, quod non niſi Ieroſolymis eſt, feliciter tandem redeatis. *Exaudiat orationes veſtras, & reconcilietur vobis, nec vos deſerat in tempore malo,* ſeu calamitoſo ob exilij incommoda. *Et nunc hic ſumus orantes pro vobis.* Pro fratribus *abſentibus* orare, fidelium fraternitatis eſt. Ideò exorat Eccleſia: *Pro fratribus noſtris abſentibus.*]

Eſſe filium ſanctis parentis, confert ad Dei miſericordiam obtinendam.

Fidelium fraternitatis eſt, pro fratribus abſentibus orare.

Verſ. 7.8.9. Regnante Demetrio anno centeſimo ſexageſimo nono, &c. Imperante Demetrio Demetrij Seleuci filio (nam huius Regni tertius annus concurrit cum anno centeſimo ſexageſimo nono Græcorum, cuius hîc fit mentio. Demetrius enim captus fuit anno demum 172. 1. Machab. 14. 1. 3.) De Iaſone, qui hic inducitur, fusè cap. 4. 7. *Portam ſuccenderunt, & effuderunt ſanguinem innocentem, &c.* Ex quo igitur Iaſon per apoſtaſiam à nobis receſſit, eo duce hoſtes noſtri ſub Antiocho Epiphane portam Templi, & Vrbis Ieroſolymitanæ, & portas reliquarum Vrbium Iudææ ſuccenderunt. Sed piorum gemitus, & preces Deus exaudiuit, adeò vt repurgato iam ab omnibus abominationibus Templo, quotidie in eo offeramus iuge ſacrificium, & holocauſta, & ſimilaginem, ſeu ſanæ florem: & in candelabro Septiramo ſacras lucernas ſuccendamus, & in menſa aurea propoſitionis panes exponimus. * Non faciunt mentionem temporalium commoditatum, quibus donati etiam fuerint ob orationes piorum: ſolum memorant ſpiritualium recuperationem. Quare precor? Quia veris Dei ſeruis ſolummodò labor eſt ſpiritualis ſubſidij priuatio.]. * Liceat Chriſticolis ſacrificium offerre, Sacerrimo Euchariſtiæ reficit pane, Miſſæ intereſſe iugi ſacrificio, fidei luminare viuum ſemper appareat: nullo equidem labore premuntur, licet portæ inferi aduerſus eos pugnaces exſurgant.] *Et nunc frequentate dies Scenopegiæ menſis Caſleu.* Igitur & vos celebrate nobiſcum Scenopegiæ dies, non illos menſis ſeptimi Tiſri: ſed dies Encæniorum menſis Caſleu, quando à Iuda Machabæo repurgatum fuit Templum, & de nouo dedicatum altare (1. Mach. 4. 52. & hîc cap. 10. 6.) tunc enim licet non occurrerent dies Scenopegiæ, ſeu Tabernaculorum, tamen dies totos octo dedicationis illius Iudæi feſtiuè peregerunt in modum feſtiuitatis Tabernaculorum. * Si anima noſtra Dei quidem Templum diu à vitiis profanatum fuit, & cæleſti miſeratione per ſeriam iam eſt pœnitentiam repurgatum: magnum id beneficium debemus frequenti gratiarum actione celebrare.]

Veris Dei ſeruis vnicus labor eſt ſpiritualium rerum priuatio.

Nullo labore premimur, dum fides rutilat, & Euchariſtia cibamur.

Dies repurgationis animi noſtri Templi Dei frequenti gratiarum actione celebremus.

Verſ. 10.11.12.13. Anno centeſimo octogeſimo octauo populus, &c. Sequitur altera epiſtola ab eiſdem ad eoſdem in Ægyptum, data anno centeſimo octogeſimo octauo Græcorum. Vbi in titulo videtur eſſe auctor epiſtolæ imi libri ſecundi totius Iudas Eſſenus, qui tum temporis ob Sapientiam, futurorumque prædicendorum infallibilem ſcientiam, magnæ apud omnes auctoritatis erat: & viginti poſt annis Antigono Ioannis Hyrcani Pontificis ſecundo genito mortem paulò poſt ſecutam prædixit. Ariſtobulus verò Sacerdos in Ægypto quis, qualiſve fuerit, incertum: certum, magnæ auctoritatis, dignitatiſque virum fuiſſe non ſolùm inter Iudæos, ſed & inter Ægyptios, vtpote magiſtrum Ptolemæi Regis Ægypti, qui anno illo 188. erat Euergetes filius Philometoris natu maior. Conſueuerant Ægypti Reges iam indè à diebus Philadelphi (qui legem per 72. ſibi fecit interpretari,) magiſtros habere Iudæos. Eo quod vnius & veri Dei cultores mores magis rationi conſonos exprimerent. * Vt ex Regibus barbaris noſtri Reges ediſcant, filiis non ſolùm ſapientem, ſed & virtute conſpicuum magiſtrum prouidere.] *De magnis periculis à Deo liberati, magnificè gratias agimus ipſi: vtpote qui aduerſus talem Regem dimicauimus,* nempe Antiochum Sedetem. Licet enim hic initio videri voluerit Iudæis amicus (1. Mach. 15. 1.) poſteà tamen in acerbiſſima odia aduerſus eoſdem, & arma prorupit, & ingentia eis intulit damna. *Ipſe enim ebullire fecit de Perſide eos, qui pugnauerunt contra nos, & ſanctam Ciuitatem.* Ipſe enim fecit maxima copia prodire è Perſide aduerſum nos copioſos exercitus. Sic ranæ ebullierunt in Ægypto Exo. 8. & mures 1. Reg 5. *Nam cum in Perſide eſſet Dux ipſe, &c.* Profectò Deus ſuis adfuit ſcelerum vindex. Nam cum Dux ipſe Antiochus in Perſide eſſet, occiſus fuit à Sacerdotibus Templi Nanææ, id eſt, Dianæ, vel potius Veneris, vt alij affirmant. Scio, vtramque in Perſide coli ſolitam: ſed quæ ſequuntur magis Veneri, quam Dianæ fauere videbis. * Qui fideles impugnant, qui ſanctæ Ciuitatis ſeu Eccleſiæ iura violant, plerumque ſubita morte dira quidem è viuis auferuntur.]

2\.

Altera epiſtola à Iudæis ſcripta ad fratres, qui aderant in Ægypto. Mors Antiochi Sedetis narratur.

Filiorum Regis magiſter non ſolùm ſapiens quæratur, ſed & virtute conſpicuus.

Qui Eccleſiæ iura violant, plerumque ſubita morte è viuis amputantur.

Verſ. 14.15.16.17. Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus, &c. Venerat Antiochus cum illa dea habitaturus. Græcè, coniugalem cohabitationem initurus cum illa. Nonnulli enim Regum veterum Gentilium cum duabus matrimonia inire ſolebant. Sic Heliogabalus cum Vrania ſeu Venere: Thetis cum Peleo. Teſtor illam Thetidis ſeu maris deſponſationem, quam Veneti quotannis in Aſcenſione Domini tanta ſolemnitate concelebrant, priſtini planè erroris huiuſce veſtigium. Senecam audi lib. 1. ſuaſoriar. *Deſponderunt Athenienſes Antonio in matrimonium Mineruam, &c.* Sic Antiochus Venerem ducturus aderat,

vt

vt dotis nomine pecuniæ magnam vim acciperet, & honeſto prætextu Templi theſauros expillaret. Sed cautiores erant Sacerdotes, quam vt tam facili negotio ſibi imponi paterentur. Ex nuptiis igitur vel fictitiis cum Venere initis, quid niſi crudelitas emanaret. * In omnibus enim theatrij mundialis tragœdiis amantes impudici primas partes agunt, *hacen los torpes amātes los primeros papeles.*] *Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios,* merito ſupplicio.

In omnibus tragœdiis impudici amantes primam partē agunt. *Hacen el papel primero.*

3.

Memoratur miraculum ignis abſconditi, & poſt aliquos annos rediuiui.

Verſ. 18. 19. 20. 21. 22. 23. *Facturi igitur quinta & vigeſima die menſis Caſleu purificationem Templi, neceſſarium duximus ſignificare vobis, &c.* Pro tanto cæſi tyranni Regis beneficio gratias vt Deo rependant, hac ſecunda epiſtola inuitant Iudæi Solymitani Iudæos, Ægyptios, ſimulque hortantur, vt celebrent feſta Enceniorum Scenopegiorum more, vti & diem ignis, qui eodem tempore, quo Encenia videtur à Iudæis celebrari quotannis conſueuiſſe. Hiſtoria hîc ad longum deſcribitur: & de ea nonnulla 2. *Eſdra* 12. 27. annotaui. Porrò cum dicunt, ſe vigeſima quinta die Caſlei facturos Templi purificationem, idem eſt, ac ſi dicerent, ſe die illa celebraturos vertente anno feſtum in repurgati nuper Templi memoriam 1. Mach. 4. 52. Cum verò aiunt, in Perſidem abductos à Nabuchodonoſore Iudæos, indicant, non in ſolam Chaldæam, ſed & in Perſidem, & alia Regna Chaldæa Monarchę ſubiecta, Iudæos fuiſſe abductos. Vel quidem nomen *Perſides*, latius ſumunt, vt omnes orientales partes complectatur. Sicut nomine Hiſpaniæ deſignamus omnia illa Regna vicina, quæ vni Regi ſubiacent. Poſt centum itaque annos reuixit ignis, aqua illa craſſa lignis, ac lapidibus ſuperfuſa accenſa eſt, & in flammam erupit. At Ionathas, cuius hîc mentio eſt, non fuit ſummos Sacerdos, vt voluere aliqui, ſed cantorum præfectus.

Verſ. 24 25. 26. 27. 28. 29. *Et Nehemia erat oratio hunc habens modum, &c.* Tam difficile enim eſt, vt quis probi Regis impleat proprietates, vt nullus præter Deum abſolutè Rex bonus poſſit appellari.] *Solus præſtans, &c. Congrega diſperſionem noſtram,* ſeu Iſraelitas per varias prouincias diſperſos, *libera eos, qui ſeruiunt Gentibus & contemptos, & abominatos reſpice.* Iudæos inquam protege, qui hoſtibus ſuis ſunt contemptui, & abominationi: *vt ſciāt Gentes, &c. Affige opprimentes nos, & contumeliam facientes in ſuperbia,* ſeu nos ſuperbia elati contumelia afficientes. *Conſtitue populum tuum in loco ſancto tuo,* ſeu in Ieruſalem, & Iudæa, *Sicut dixit*, ſeu conſtituit *Moyſes.*

Difficilè homo poteſt omnes boni Regis proprietates implere.

Verſ. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. *Sacerdotes autem pſallebant hymnos, &c. Quod vt factum eſt, ex eis flamma accenſa eſt: ſed ex lumine, quod refulſit ab altari, conſumpta eſt.* Nempè ignis, qui ex ea aquæ portione, quæ hoſtiis, & lignis altari ſuperpoſitis fuit infuſa, erupetat, debebat in eodem altari perpetuò conſeruari: non item is, qui ex altera portione lapidibus ſuperfuſa fuerat exortus: meritò proindè hic ab illo abſorptus, & abſumptus eſt. *Vt verò manifeſta eſt res, renunciatum eſt Regi Perſarum, &c.* Rex Perſarum tunc erat Artaxerxes Longimanus. *Conſiderans autem Rex, &c.* Artaxerxes itaque hoc miraculo diligenter examinato extruxit eo loco Templum, ſeu vt in Græco eſt, *ἱερὸν*, id eſt, ſacrum aliquod ædificiū (vt ſi vulgari idiomate dixeris *vn humilladero*) quo locū putei iſtius cohoneſtarit; vt qui antea profanus puteus erat, iam ſacer haberetur. Vndè & à Nehemia, *Nephthar* vocatur, aliter *Ephthar*, id eſt, *purificatio*, ſeu ſanctificatio, à radice *patar*, quod vocabulum Hebræis, & Chaldæis ſignificat *Dimittere, & liberare.* * Loca enim purificata, & conſecrata Deo, ſolent ab omni profano, vulgarique vſu libera eſſe, & à tributis, aliiſque oneribus immunia dimitti. Idem igitur eſt locum, vel rem eſſe ſacram, atque à tributo, ac quolibet onere eſſe liberam] * Non, quæſo, ſine pondere excidant verba illa: *Ex lumine quod refulſit ab altari, conſumpta eſt*, flamma illa, quæ lapides maiores perfuderat. Nempè ignis æternus altaris flammam temporalem abſumpſit. Vt edoceamur, flammam libidinis adeò ditam, vt poſſit lapidea quæque corda ſuccendere, ab ignis æterni reſpectu illicò abſumi, protinus extingui.]

Idem eſt, rem eſſe ſacram, atque ab omni tributo & onere immunem

Luxuriæ flāma ignis æterni memoria extinguitur.

CAPVT II.

Altera epiſtolæ præcedentis pars continetur. Præfatio huius Libri ſecundi, in qua Auctor pollicetur, ſe acta Antiochi Epiphanis, & Eupatoris & Iudæ Machabæi, ac fratrum illius, breuiter narraturum.

1. INVENITVR autem in deſcriptionibus Ieremiæ Prophetæ,
quòd iuſſit eos ignem accipere qui tranſmigrabant: vt
ſignificatum eſt, & vt mandauit tranſmigratis. 2. Et
dedit illis legem ne obliuiſcerentur præcepta Domini, &
vt non exerrarent mentibus videntes ſimulachra aurea &
argentea, & ornamenta eorum. 3. Et alia huiuſmodi di-
cens, hortabatur ne legem amouerent à corde ſuo. 4. Erat
autem in ipſa ſcriptura, quomodo tabernaculum & arcam iuſſit propheta diuino
reſponſo ad ſe facto comitari ſecum, vſquequò exiit in montem, in quo Moy-
ſes aſcendit, & vidit Dei hereditatem. 5. Et veniens ibi Ieremias inuenit lo-
cum ſpeluncæ: & tabernaculum, & arcam, & altare incenſi intulit illuc, &
oſtium obſtruxit. 6. Et acceſſerunt quidam ſimul, qui ſequebantur, vt nota-
rent ſibi locum: & non potuerunt inuenire. 7. Vt autem cognouit Ieremias,

culpans illos: dixit: Quòd Ignotus erit locus, donec congreget Deus congre-
gationem populi, & propitius fiat: 8. & tunc Dominus oſtendet hæc; & ap-
parebit maieſtas Domini, & nubes erit, ſicut & Moyſi manifeſtabatur, & ſicut
cùm Salomon petiit, vt locus ſanctificaretur magno Deo, manifeſtabat hæc.
9. Magnificè etenim Sapientiam tractabat: & vt ſapientiam habens, obtulit ſa-
crificium dedicationis & conſummationis templi. 10. Sicut & Moyſes orabat
ad Dominum, & deſcendit ignis de cælo, & conſumpſit holocauſtum, ſic &
Salomon orauit, & deſcendit ignis de cælo, & conſumpſit holocauſtum.
11. Et dixit Moyſes, eò quòd non ſit comeſtum quod erat pro peccato, conſum-
ptum eſt. 12. Similiter & Salomon octo diebus celebrauit dedicationem.
13. Inferebantur autem in deſcriptionibus & commentariis Nehemiæ hæc ea-
dem: & vt conſtruens Bibliothecam congregauit de regionibus libros, & Pro-
phetarum, & Dauid, & epiſtolas Regum, & de donariis. 14. Similiter autem
& Iudas ea, quæ deciderant per bellum, quod nobis acciderat, congregauit om-
nia, & ſunt apud nos. 15. Si ergo deſideratis hæc, mittite qui perferant vobis.
16. Acturi itaque purificationem ſcripſimus vobis: benè ergo facietis, ſi egeri-
tis hos dies. 17. Deus autem, qui liberauit populum ſuum, & reddidit heredi-
tatem omnibus, & regnum, & ſacerdotium, & ſanctificationem, 18. ſicut
promiſit in lege, ſperamus quòd citò noſtri miſerebitur, & congregabit de ſub
cælo in locum ſanctum. 19. Eripuit enim nos de magnis periculis, & locum
purgauit: 20. De Iuda verò Machabæo, & fratribus eius, & de templi magni
purificatione, & de aræ dedicatione; 21. ſed & de præliis, quæ pertinent ad
Antiochum Nobilem, & filium eius Eupatorem: 22. & de illuminationibus
quæ de cælo factæ ſunt ad eos, qui pro Iudæis fortiter fecerunt, ita vt vniuerſam
regionem, cùm pauci eſſent, vindicarent, & barbaram multitudinem fugarent,
23. & famoſiſſimum in toto orbe templum recuperarent, & ciuitatem libe-
rarent, & leges, quæ abolitæ erant, reſtituerentur, Domino cum omni tranquil-
litate propitio facto illis; 24. itemque ab Iaſone Cyrenæo quinque libris com-
prehenſa, tentauimus nos vno volumine breuiare. 25. Conſiderantes enim
multitudinem librorum, & difficultatem volentibus aggredi narrationes hiſtoria-
rum propter multitudinem rerum, 26. Curauimus volentibus quidem legere,
vt eſſet animi oblectatio: ſtudioſis verò, vt facilius poſſint memoriæ commendare:
omnibus autem legentibus vtilitas conferatur: 27. Et nobis quidem ipſis, qui
hoc opus breuiandi cauſa ſuſcepimus, non facilem laborem, immò verò negotium
plenum vigiliarum & ſudoris aſſumpſimus. 28. Sicut hi qui præparant conuiuium
& quærunt aliorum voluntati parere propter multorum gratiam, libenter laborem
ſuſtinemus. 29. Veritatem quidem de ſingulis, auctoribus concedentes, ipſi au-
tem ſecundùm datam formam breuitati ſtudentes. 30. Sicut enim nouæ domus
architecto de vniuerſa ſtructura curandum eſt: ei verò qui pingere curat, quæ apta
ſunt ad ornatum, exquirenda ſunt: ita æſtimandum eſt & in nobis. 31. Etenim
intellectum colligere, & ordinare ſermonem, & curioſius partes ſingulas quaſque
diſquirere, hiſtoriæ congruit auctori: 32. breuitatem verò dictionis ſectari, &
executiones rerum vitare, breuianti concedendum eſt. 33. Hinc ergo narrationem
incipiemus: de præfatione tantum dixiſſe ſufficiat, ſtultum etenim eſt ante hiſtoriam
effluere, in ipſa autem hiſtoria ſuccingi.

COMMENTARII.

1. *Altera præcedentis epiſtolæ pars abſoluitur.*

VERS. 1. 2. 3. *Inuenitur autem in deſcriptionibus Ieremiæ Prophetæ, quod iuſſit eos ignem accipere, qui transmigrabant, &c.* Auctor deſcriptiones Ieremiæ vocat librum, in quo res à Ieremia geſtæ recitabantur, veriſimiliter ab ipſo Ieremia conſcriptum. Hoc libro continebantur primò leges, & monita, quæ Ieremias Iudæis in Babyloniam demigrantibus tradidit. Secundo, inſtructio de igne altaris holocauſtorum in puteo per eum recondito. Tertio de Tabernaculo, Arca fœderis, & altari incenſi per eundem in ſpecum delatis Montis Nebo. Porrò hic liber intercidit: neque quidquam eorum, quorum hic fit mentio, habetur in eo volumine quod inter canonicos Prophetas ſecundo loco nunc extat. Iuſſit itaque Ieremias ſacerdotibus in Chaldæam tranſmigrantibus ſacrum ignem ex altari ſecum accipere certo ſcilicet loco defodiendum. Dedit & volumina legis diuinæ in Chaldæam deferenda pro ſuo, ſuorúmque contribulium ſolatio, & inſtructione. * Nos edocens, vtilem admodum eſſe ad legis obſeruationem ſacrorum lectionem librorum: ſicut profanorum voluminum lectio valde ad ipſius legis allicit violationem.]

Ad obſeruationem legis cõfert librorum ſacrorũ lectio: profanorum verò ad eiuſdẽ violationem.

Verſ.

Verſ. 4. 5. 6. Erat autem in ipſa ſcriptura quomodo Tabernaculum, & Arcam iuſſit Propheta, diuino reſponſo ad ſe facto, comitari, &c. Iuſſit Ieremias, Tabernaculum Moſaicum, quod in Templo Salomonico propè ſanctuarium aſſeruabatur, & Arcam fœderis, & tymiamatis Altare ſecum comitari, ſeu deferri Leuitarum vaſculorum opera vſque ad montem, è quo Moſes vidit terram ſanctam Iudæis hæreditariè poſſeſſam, & donatam. Hic eſt mons Nebo, Deut. vlt. 1. Profectò facilè fuit Ieremiæ tam charo Nabuzardani militiæ Chaldæorum præfecto, veniam ab eo extorquere, transferendi in Chaldæam ſacra hæc lipſana. Cur ergo id non geſſit? Crediderim, ne forte ab idololatris aut verbo, aut actione violarentur. * Vt moneantur Præſules impensè ſtudere, ne Templa ſacra aliquomodo à concurrentibus ciuibus profanentur. Id ò operæ pretium erit, Sacerdotes Templi gerentes curam ibi intereſſe, & modeſto ac ſerio monito ſuſpecta inhibere colloquia.] Quidam verò ea Iudæis curioſitate affecti curarunt, notari locum, in quo ſacra illa pignora fuerant recondita, non tamen potuerunt.

Præſulibus ſit impenſum ſtudium, ne Templa profanentur colloquiis, aut actionibus violentis.

Verſ. 7. 8. 9. Vt autem cognouit Ieremias culpans illos dixit, &c. Dixit Ieremias conſcius illius curioſæ actionis, locum, in quem hæc omnia recondidit, ignotum fore hominibus, donec Deus congregationem populi colligat. Cum autem conſtet ex verſ. 27 cap præcedentis, nondum factum fuiſſe hoc tempore Nehemiæ ſub Artaxerxe: ſed neque tempore Machabæorum ſub Antiocho Grypho anno Græcorum 188 & certum ſit, ex eo tempore res Iudæorum continuò in peius eſſe prolapſas: non poteſt de alio, quam de nouiſſimo mundi tempore exponi: quando per Enoch & Eliam hæ Iudæorum arrhæ in lucem proferentur, & illorum ad Chriſtum conuerſioni ſubſeruient. Niſi velis, tunc Tabernaculum, & Arcam inuenta eſſe, cum inuenta fuit aqua craſſa, de qua c. 1. 20. Quod exiſtimo probabiliter ſatis dici. Neque enim illud tempus aduentus Eliæ, & Enochi adeò aptum videtur, vt Dei maieſtas appareret, vt Moyſi, & Salomoni, quam hoc, in quo Deus præſentiam ſuæ maieſtatis in igne demonſtrauit, in quod nubes ſolem, & ſacrificia, & altare obtegebat, vt Moſis, & Salomonis tempora contigerat. Porrò iſta populi congregatio hac in expoſitione non alia intelligenda eſt, quam quæ poſt captiuitatem Babylonicam facta eſt Cyro, Dario, & Artaxerxe. *Magnificè etenim Sapientiam tractabat, &c.* Salomon namque cum eſſet Sapientiſſimus, Sapientia, prudentia, & regia magnificentia plenæ erant cunctæ eius actiones, quibus Dei opera manifeſtabat.

Verſ. 10. 11. 12. 13. 14. Sicut & Moyſes orabat ad Dominum, &c. Sicut de Moyſe, & Salomone, qui à Domino acceperunt eorum Sacrificia cæleſti igne abſumi, liber Ieremiæ præfatus referebat. *Et dixit Moyſes, eo quod non ſit comeſtum quod erat pro peccato, conſumptum eſt.* Et Moyſes dixit; Eo quod à Sacerdotibus abſumptum non fuit, quod pro peccato oblatum fuerat, (vtpotè immundum) ideò à flammis eſt comeſtum. Hiſtoriam habes *Leu.* 9. & 10. quo hîc alluditur. Quod ſi quis dixerit hæc, quæ de Nehemiæ ſacrificio dicta iam

R. P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. tom. VII. p. 2.

ſunt, nullibi in ſacris Scripturis reperirit inferius verſiculus 13 reſpondebit. *Similiter & Salomon octo diebus celebrauit dedicationem Templi. Inferebantur autem in deſcriptionibus, & commentariis Nehemiæ hæc eadem, &c.* Græcè pro inferebantur, eſt, referebantur. Iam reſpondeo illi obiectioni: Referebantur hæc in ſcriptis, & commentariis eiuſdem Nehemiæ, non quæ nunc extant lib. 2. Eſdræ, ſed quæ olim extitere, & iniuria temporum, ac bellorum iam intercideruut. Ex iiſdem Nehemiæ ſcriptis conſtat, ipſum nobiliſſimam vndique bibliothecam, maximè ſacrorum librorum collegiſſe, v. gr. Prophetarum, Pſalmorum, & geſtorum Dauidis, aliorúmque Regum Iudæ, & Iſraelis, Item de *donariis* per Cyrum, Darium, Artaxerxem, aliosque Reges Templo Ieroſolymitano, & Sacerdotibus illius oblatis. *Similiter autem & Iudas ea, quæ deciderant per bellum, quod nobis acciderat congregauit omnia, & ſunt apud nos.* Simili ſtudio etiam Iudas Machabæus diſſipata bellis ſacra Volumina rurſum congregauit.

Verſ. 15. 16. 17. 18. 19. Si ergo deſideratis hæc, mittite, qui perferant vobis, præ manibus enim apud nos extant hæc ſacra volumina, *Acturi itaque purificationem, ſcripſimus vobis: bene ergo facietis, ſi egeritis hos dies,* ad fructum veſtrorum exemplum, ne locorum intercapedo aliquid vnitatis, fidei, & animorum intercidiſſe videatur. *Deus autem, qui liberauit populum ſuum, &c.* Deus, qui è captiuitate tantam populi ſui multitudinem ad propria reduxit, vt hæreditate, & Templo fruerentur: etiam alios, qui adhuc diſperſi ſunt congregabit, & ad Iudæam adducet. * Illa preme: *Speramus, quod cito noſtri miſerebitur. Eripuit enim nos de magnis periculis.* Ac ſi dicerent: Id ò ſperamus à Deo hoc miſerationis donum accipere, quia nos de magnis periculis eripuit. A Deo enim vnum accipere beneficium eſt velut alterius accipiendi argumentum.]

Vnum beneficium à Deo acceptum eſt quaſi arrha accipiendi alterum.

Verſ. 20. 21. 22. 23. 24. De Iuda verò Machabæo, & fratribus eius, & de Templi magni purificatione, & de ara dedicatione, &c. Hic incipit præfatio totius libri ſecundi, vt *verſ. vlt.* indicatur, imo & maioris partis libri primi. Vnde à noſtro ſeriario ponitur primo loco, quaſi totius operis præfatio. Porrò *illuminationes* illæ de cælo factæ ſunt ſigna cælitus exhibita, quæ Iudæis victoriam portendebant. Iaſon autem Cyrenæus non fuit Gentilis, & profanus ſcriptor, vt Caluinus confingit, ſed Iudæus, & vt apparet, vir ſanctitate conſpicuus. Multi namque erant in Cyrene Iudæi, vt conſtat ex Act. 2. & 6. & ex Ioſepho paſſim.

Verſ. 25. 26. 27. Conſiderantes enim multitudinem librorum, &c. Omnibus autem legentibus vtilitas conferatur ex breuitate quidem. * An longa & prolixa ſcripta inutilia ſint? Plerumque planè ea prolixitate inutilia redduntur; quia multi non audent tam longos inire tractatus, & eis, qui legunt, potius faſtidium, quam deuotionem excitant. Id quod de longis & prolixis concionibus dictum habe.] *Et nobis quidem ipſis, qui hoc opus breuiandi cauſa ſuſcepimus, non facilem laborem, imò verò negotium plenum vigiliarum, & ſudoris abſumpſimus.* Huiuſmodi labor, quo Auctor huius libri fuit affectus, non in-

Libri, & Conciones ſæpè ea prolixitate parum vtiles redduntur.

dicat, eum non eſſe Canonicum, vt Hæreticus idem blaſphemat. Nam licet ſpiritui ſancto, qui auctor eſt canonicarum ſcripturarum, nihil ſit moleſtum; homini tamen, quo tanquam inſtrumento ſuo vtitur ſpiritus ſanctus, poteſt moleſtus eſſe labor ſeu colligendi, ſeu abbreuiandi, ſeu ſcribendi.

Verſ. 28.29.30.31.32.33. *Sicut hi, qui præparant conuiuium, & quærunt aliorum voluntati parere; propter multorum gratiam libenter laborem ſuſtinemus, veritatem quidem de ſingulis, auctoribus concedentes, ipſi autem ſecundum datam formam breuitati ſtudentes.* Porrò quod Auctor noſter dicit ſe veritatem de ſingulis concedere auctoribus, Græcè, *auctori*, ſolum arguit, ſcriptorem huius libri Machabæorum ſecundi, non inſtituiſſe peculiari ſtudio inquirere de ſingulis etiam minutiſſimis rebus, eo modo ſe habeant, quo à Iaſone Cyrenæo fuerant conſcripta: ſed hac cura illi relicta, cui, vtpotè viro induſtrio, prudenti, & ſancto, plena merito fides in omnibus haberi poterat; ſe hoc enim hîc agere, vt quæ fusè ille perſequitur, ipſe in compendium redigat. Quod quidem appoſito ſimili confirmat: *Sicut enim nouæ domus architecto de vniuerſa ſtructura curandum eſt, &c.* Pulchrè Iaſonem vtpotè totius hiſtoriæ auctorem comparat architecto, cui incumbit de omnibus & ſingulis accuratè diſponere, quæ ad ædificij ſeu ſubſtantiam, ſeu ornatum pertinent, ſe verò ſcilicet ſolum breuiatorem hiſtoriæ comparat pictori, cui non alia incumbit cura circa ædificium, quam vt illud aptis coloribus & figuris hinc inde exornet *Hinc ergo narrationem incipiemus, &c.* * Quam quidem ſententiam illis concionatoribus accommodo, qui longiori præludio (quod *ſalutationem* vocitant) in ſermone vtuntur. Nec enim excuſatio eſt, ſe in ſermone vſuros breuitate. Nam præterquam quod ineptum eſt, exiguo corpori caput magnum addicere: ſi non *ſtultum* (vti ait huius libri auctor) tamen improprium eſt, in præfatione concionis effluere, in ipſa autem concione ſuccingi.]

Taxantur Concionatores, qui longa præfatione in ſermonibus vtuntur.

CAPVT III.

Felicem Eccleſiæ Iudæorum ſtatum ſub Onia tertio Pontifice. Eum Simon perturbare cœpit, proditis Regi Seleuco Templi theſauris. Heliodorus miſſus à Rege, vt eos expilaret, dirè ab Angelis flagellatur, & Dei potentiam vbique diuulgat.

1. IGITVR cùm ſancta ciuitas habitaretur in omni pace, leges
etiam adhuc optimè cuſtodirentur, propter Oniæ pontificis
pietatem, & animos odio habentes mala, 2. fiebat vt &
ipſi reges & principes locum ſummo honore dignum ducerent,
& templum maximis muneribus illuſtrarent: 3. ita
vt Seleucus Aſiæ rex de redditibus ſuis præſtaret omnes ſumptus
ad miniſterium ſacrificiorum pertinentes. 4. Simon
autem de tribu Beniamin præpoſitus templi conſtitutus, contendebat, obſiſtente
ſibi principe ſacerdotum, iniquum aliquid in ciuitate moliri. 5. Sed cùm vincere
Oniam non poſſet, venit ad Apollonium Tharſeæ filium, qui eo tempore
erat dux Cœleſyriæ, & Phœnicis: 6. & nuntiauit ei, pecuniis innumerabilibus
plenum eſſe ærarium Ieroſolymis, & communes copias immenſas eſſe, quæ non
pertinent ad rationem ſacrificiorum: eſſe autem poſſibile ſub poteſtate regis cadere
vniuerſa. 7. Cumque retuliſſet ad regem Apollonius de pecuniis quæ delatæ
erant, ille accitum Heliodorum, qui erat ſuper negotia eius, miſit cum mandatis,
vt prædictam pecuniam tranſportaret. 8. Statimque Heliodorus iter eſt aggreſſus,
ſpecie quidem quaſi per Cœleſyriam & Phœnicen ciuitates eſſet peragraturus,
re vera autem regis propoſitum perfecturus. 9. Sed, cùm veniſſet Ieroſolymam,
& benignè à ſummo ſacerdote in ciuitate eſſet exceptus, narrauit de dato
indicio pecuniarum: & cuius rei gratia adeſſet, aperuit: interrogabat autem, ſi
verè hæc ita eſſent. 10. Tunc ſummus ſacerdos oſtendit depoſita eſſe hæc, & victualia
viduarum & pupillorum: 11. quædam verò eſſe Hircani Tobiæ viri valdè
eminentis, in his quæ detulerat impius Simon: vniuerſa autem argenti talenta eſſe
quadringenta, & auri ducenta. 12. decipi verò eos, qui credidiſſent loco & templo,
quod per vniuerſum mundum honoratur, pro ſui veneratione & ſanctitate omnino
impoſſibile eſſe. 13. At ille pro his quæ habebat in mandatis à rege, dicebar
omni genere regi ea eſſe deferenda. 14. Conſtituta autem die intrabat de his
Heliodorus ordinaturus. Non modica vero per vniuerſam ciuitatem erat trepidatio.

datio. 15. Sacerdotes autem ante altare cum ſtolis ſacerdotalibus iactauerunt ſe, & inuocabant de cælo eum, qui de depoſitis legem poſuit, vt his, qui depoſuerant ea, ſalua cuſtodiret. 16. Iam verò qui videbat ſummi Sacerdotis vultum, mente vulnerabatur: facies enim & color immutatus, declarabat internum animi dolorem. 17. Circumfuſa enim erat mœſtitia quædam viro, & horror corporis, per quem manifeſtus aſpicientibus dolor cordis eius efficiebatur. 18. Alij etiam gregatim de domibus confluebant, publica ſupplicatione obſecrantes, pro eo quod in contemptum locus eſſet venturus. 19. Accinctæque mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant, ſed & virgines, quæ concluſæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam verò per feneſtras aſpiciebant: 20. vniuerſæ autem protendentes manus in cælum deprecabantur. 21. Erat enim miſera commiſtæ multitudinis: & magni Sacerdotis in agone conſtituti expectatio. 22. Et hi quidem inuocabant omnipotentem Deum, vt credita ſibi, his qui crediderant, cum omni integritate conſeruarentur. 23. Heliodorus autem, quod decreuerat, perficiebat eodem loco ipſe cum ſatellitibus circa ærarium præſens. 24. Sed ſpiritus omnipotentis Dei magnam fecit ſuæ oſtenſionis euidentiam, ita vt omnes, qui auſi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in diſſolutionem & formidinem conuerterentur. 25. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens ſeſſorem, optimis operimentis adornatus: iſque cum impetu Heliodoro priores calces eliſit, qui autem ei ſedebat, videbatur arma habere aurea. 26. Alij etiam apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimi gloria, ſpecioſique amictu: qui circumſteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant, ſine intermiſſione multis plagis verberantes. 27. Subitò autem Heliodorus concidit in terram, eúmque multa caligine circumfuſum rapuerunt, atque in ſella geſtatoria poſitum eiecerunt. 28. Et is, qui cum multis curſoribus & ſatellitibus prædictum ingreſſus eſt ærarium, portabatur nullo ſibi auxilium ferente, manifeſtâ Dei cognita virtute: 29. & ille quidem per diuinam virtutem iacebat mutus, atque omni ſpe & ſalute priuatus. 30. Hi autem Dominum benedicebant, quia magnificabat locum ſuum: & templum, quod paulo ante timore ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Domino, gaudio & lætitia impletum eſt. 31. Tunc verò ex amicis Heliodori quidam rogabant confeſtim Oniam, vt inuocaret Altiſſimum, vt vitam donaret ei, qui ſupremo ſpiritu erat conſtitutus. 32. Conſiderans autem ſummus ſacerdos, ne fortè Rex ſuſpicaretur malitiam aliquam ex Iudæis circa Heliodorum conſummatam, obtulit pro ſalute viri hoſtiam ſalutarem. 33. Cúmque ſummus Sacerdos exoraret, iidem iuuenes eiſdem veſtibus amicti, aſtantes Heliodoro, dixerunt: Oniæ Sacerdoti gratias age: nam propter eum Dominus tibi vitam donauit. 34. Tu autem à Deo flagellatus, nuntia omnibus magnalia Dei, & poteſtatem. Et his dictis, non comparuerunt. 35. Heliodorus autem, hoſtia Deo oblata, & votis magnis promiſſis ei, qui viuere illi conceſſit, & Oniæ gratias agens, recepto exercitu, repedabat ad regem. 36. Teſtabatur autem omnibus ea quæ ſub oculis ſuis viderat opera magni Dei. 37. Cùm autem Rex interrogaſſet Heliodorum, quis eſſet aptus adhuc ſemel Ieroſolymam mitti, ait: 38. Si quem habes hoſtem, aut regni tui inſidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, ſi tamen euaſerit: eo quòd in loco ſit verè Dei quædam virtus. 39. Nam ipſe, qui habet in cælis habitationem, viſitator & adiutor eſt loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit, ac perdit. 40. Igitur de Heliodoro, & ærarij cuſtodia, ita res ſe habet.

COMMENTARII.

1. *Felicitas Iudæorum ſtatus ſub Onia Pontifice deſcribitur.*

VERS. 1.2.3. *Igitur cum ſancta Ciuitas habitaretur cum omni pace, &c.* Petita eſt hæc hiſtoria ab origine turbatum Iudaicarum, à morte Antiochi magni, qui fuit pater Antiochi Epiphanis. Ciuitas igitur Ieruſalem omni pace fruebatur, quia *optime* cuſtodiebantur *leges*. * Bella enim & cuncta incommoda, quibus Reſpublica conturbatur, ex legum violatione & contemptu procedunt. Nulla Regnum opprimeret aduerſitas, ſi nulla in ipſo vigeret iniquitas.] * Huiuſmodi autem populi pietas Pontificis Oniæ ſanctitati tribuitur. Quales enim Præſules, tales aſſolent eſſe ciues.] Ad felicitatem etiam maximè conferebat, quod Reges, & Principes ſummo honore colebant *ſacra* quæque & Templo donaria litabant. * Pietas enim Principum ergà res ſacras, quæ eos allicit, non ſolùm ab eis nihil detrahant, ſed potius eas donis augeant, Regnorum felicitatem conſeruat, & mitis effert incrementis.] Porrò Rex Seleucus cognomento Philipator exemplo Cyri, Darij, Artaxerxis Regum Perſarum, & Seleuci primi Aſiæ Regis, & An-

Si lex in Regno optimè ſeruaretur, nulla id opprimeret aduerſitas.

Quales Præſules, tales ſolent eſſe ciues.

Princeps, qui nõ ſolum ab Eccleſia non detrahit, ſed eã donis auget, Regnũ feliciter promouet.

tiochi magni, & aliorum Regum, præcelſis donatiis Templum Solymitanum initio Regni ſui decorauit: ſed poſtmodum auaritia in tranſuerſum actus illud per Heliodorum expilare conatur. Profectò, inquam, magna fuit Regum pietas erga Templum; ita vt *Seleucus* (Gentilis licet) *Aſiæ Rex de redditibus ſuis præſtaret omnes ſumptus ad miniſterium ſacrificiorum pertinentes.*

Politicum ſtatum ambitio cuiuſdam Simonis perturbare cœpit.

2. *Verſ. 4. 5. 6. Simon autem de Tribu Beniamin præpoſitus Templi conſtitutus contendebat, &c.* Simon non erat præpoſitus Templi in ſacris (nam erat de Tribu Beniamin) ſed in politicis, forſan præerat theſauris, vel militari cuſtodiæ Templi, de qua 1. Mach. 4. vlt. Hic ſtudebat aliquid in Vrbe iniquum excitare, nempè ciuium animos ad ſe allicere, dominium ſupremum ſibi vindicare, forſan & ſummum Pontificatum affectare, vt poſtea frater eius Menelaus fecit cap. 4. 23. Onias verò ſanctus Pontifex prudenti cautela, ne ambitionis flamma prodiret, initiis obſiſtere curabat. *Sed cum vincere Oniam non poſſet, venit ad Apollonium Tharſeæ filium, &c.* Hic Appollonius inferioris Syriæ à Rege Seleuco Prorex, idem eſt cum illo, qui poſt aliquot annos cum Ionatha infeliciter decertauit 1. Mach 10. 69. Non cadant ſine pondere verba illa: *Et innumerabiles copias immenſas eſſe, &c.* Vel impius Simon credebat Regem Gentilem licet, tyrannum, & barbarum auſurum non eſſe expilationi ærarij Templi operam dare: & ideo præter illud monte immenſum eſſe opum pondus, quod ad rationem ſacrorum non attineret. * Exitiale procul dubio eſt Regibus, per vim abſtractis vel redditibus Eccleſiæ vti: & etiam iniquis, & barbaris auſus huiuſmodi debet eſſe formidini.]

Exitiale eſt Regibus, Eccleſiæ opibus malè partis, hoc eſt, per vim vti.

Mittitur à Seleuco Heliodorus, vt ærarium Templi expilaret.

3. *Verſ. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Cumque retuliſſet ad Regem Apollonius de pecunijs, quæ delata erant à* Simone, *ille accitum Heliodorum, qui erat ſuper negotia eius miſit cum mandatis, vt prædictam pecuniam tranſportaret. Statimque Heliodorus iter eſt aggreſſus*, ſpecie quidem quaſi per cœleſtiam Syriam, & Phœnicem ciuitates eſſet peragraturus: re vera autem Regis propoſitum perfecturus. * *Statim*, inquit, *iter eſt aggreſſus.* O quàm prompti ſunt miniſtri, ne à gratia Regis excidant, ad eius ſtudia tradenda executioni, licet nonnunquam à cæleſti deuient voluntate.] *Sed cum veniſſet*, Ieroſolymam, & benignè à ſummo Sacerdote in Ciuitate eſſet exceptus: narrauit de dato indicio pecuniarum: & cuius rei gratia adeſſet, aperuit; interrogabat autem, ſi verè hæc ita eſſent. * Nam quæ à ciue contra patriam, à filio contra parentem, à fratre contra fratrem deferuntur, plerumque videtis laborare mendacio.] *Tunc ſummus Sacerdos oſtendit, depoſita eſſe hæc, &c.* Onias Pontifex expreſſit, theſauros hos non eſſe Templi proprios, ſed eſſe variorum depoſita: partim ſcilicet viduarum, & pupillorum, qui inde debebant victitare. * Quidquid Templum poſſidet Templi non eſt, ſed pauperum Templorum Dei viuorum. Vt qui de Templo viuunt Eccleſiaſtici videant, quidquid ex proprio congruo victu reſiduum eſt, debere inopum ſubſidio impendere.] Partim Hyrcani Tobiæ filij viri dignitate, & ſanctitate forſan valde excellentis. Videtur Tobias hic pater Hyrcani eſſe

Prompti ſunt miniſtri, ne è Regis gratia excidant, ad eius ſtudia (licèt aliquandò iniuſta) exequenda.

Plerumque ſunt mendacia, quæ à ciue contra patriam, à fratre contra fratrem deferuntur.

Eccleſiaſtici debent pauperibus erogare congrui proprij victus reſiduum.

ille, qui Oniæ ſecundi (Onias autem noſter tertius erat) Pontificis ſororem duxerat, auctore Ioſepho lib. 12. Antiq. cap. 4. qui addit filios, id eſt, poſteros eius ad Antiochum Epiphanem profugiſſe. Vnumque illlorum ex filio Tobiæ nepotem Hyrcanum fuiſſe appellatum. Porrò argenti talenta quadringenta faciunt ducenta millia aureorum in ſpecie, ſi Attica fuerint talenta: ſi Hebræa, duplum. At auri talenta ducenta Attica faciunt duodecies centena millia aureorum: Hebræa verò duplam ſummam perficiunt. Quæ tamen parua cēſeri debet reſpectu theſaurorum, quos conſtat, aliis temporibus fuiſſe in Templo repertos. *Decipi verò eos, qui credidiſſent loco, & Templo, &c.* Piè admodum addit Onias impoſſibile eſſe, decipi ſeu fruſtrari fortunis ſuis, vel opibus, qui eas Templi cuſtodiæ crediderint: obſtare enim loci ſanctitatem, obſtare fidem datam, obſtare leges humanas, & diuinas. * Quicumque annui redditus ad pia opera Templo adducuntur, ita eſſe debent immunes, vt velut *impoſſibile* ſit à Regibus ad alios vſus illos applicare. Ad pia, inquam opera deſtinati, puta ad inopum puellarum nuptias, ad animarum in purgatorio exiſtentium, ſuffragia, ad pauperum victum prouidendum, ad captiuorum fidelium redemptionem, &c.]

Quaſi impoſſibile debet eſſe ad alios vſus applicari à Regibus, quæ ad opera pia Tēplo à piis fidelibus ſūt deſtinatæ opes.

Verſ. 13. 14. 15. 16. 17. At ille, nempè Heliodorus, *pro his, quæ habebat in mandatis à Rege, dicebat omni genere Regi ea eſſe deferenda.* Ac ſi diceret. Iuxtà imperium Regis omnes hæ diuitiæ licet ad viduas & pupillos pertineant, licet ab Hyrcano fuerint Templo credita ad Regem ſunt omnino deferenda. Sic particulam *Omni genere* exponendam eſſe duxerim. *Conſtituta autem die intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Non modica verò per vniuerſam Ciuitatem erat trepidatio. Sacerdotes autem ante altare* holocauſti *cum ſtolis Sacerdotalibus iactauerunt ſe. &c.* * Oratio planè eſt, omnium laborum ſolatium, omnium aſyllum tribulationum, omnium animi afflictionum medicamen.] Iam verò qui videbat ſummi Sacerdotis vultum, mente vulnerabatur: facies enim & color immutatus declarabat internum animi dolorem; circumfuſa enim erat mœſtitia quædam viro, & horror corporis, per quem manifeſtus aſpicientibus dolor cordis eius efficiebatur. * Iniuria enim Templo inferenda iam bono Præſuli exitiale erat vulnus.]

Oratio omnium tribulationū medicamen.

Qualibet Templi iniuria bono Præſuli vulnus eſt exitiale.

Verſ. 18. 19. 20. 21. 22. 23. Alij etiam gregatim de domibus confluebant, publica ſupplicatione obſecrantes, pro eo quod in contemptum locus eſſet Sacer *venturus. Accinctæque mulieres ciliciis pectus per plateas confluebant: ſed & virgines, quæ concluſæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam vero per feneſtras aſpiciebant: vniuerſæ autem protendentes manus in cælum deprecabantur; erat enim miſera commiſtæ multitudinis, & magni Sacerdotis in agone conſtituti expectatio. Et hi quidem inuocabant omnipotentem Deum, vt credita ſibi his, qui crediderant, cum omni integritate conſeruarentur. Heliodorus autem, quod decreuerat, perficiebat, eodem loco ipſe cum ſatellitibus circa ærarium præſens.* Cum igitur cum irrita fieret vrbana admodum conitanſque Oniæ ad Heliodorum reſponſio: publicis precibus fit recurſus ad Deum à viris, à feminis, imò à virginibus, quæ alias *concluſæ erant.*

Agnata virginibus reclusio.

errant. * Agnatum etenim debet eſſe virginali ſtatui recludi.] & domi patentum latere ſolebant: vel forſan quæ intra Templi certa clauſtra concludebantur, iam in publicum quaſi ad reſtinguendum commune incendium, prouolant: aliæ ad Oniam ſolatij vel conſilij cauſa: aliæ ad Templi muros quaſi locum tutaturæ: aliæ ad eiuſdem feneſtras precibus ſaltem, & lamentis cum aliud non poſſent, ſeu tyrannum exoraturæ, ſeu Deum euocaturæ in tutelam.

4. *Verſ. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. Sed ſpiritus omnipotentis Dei magnam fecit ſuæ oſtenſionis euidentiam, ita vt omnes, qui auſi fuerant parere ei,* id eſt, Heliodoro Regis imperium executioni danti, *ruentes Dei virtute, in diſſolutionem, & formidinem conuerterentur. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens ſeſſorem, optimis operimentis adornatus: iſque cum impetu Heliodoro priores calces eliſit,* ſeu vngulis prioribus illum vulnerauit. *Qui autem ei ſedebat, videbatur arma habere aurea. Alij etiam apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimi gloria, ſpecioſique amictu: qui circumſteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant, ſine intermiſſione multis plagis verberantes. Subito autem Heliodorus concidit in terram* (ſeu conciderat ad primum equi impetum, qui priores ei calces eliſit.) *eumque multa caligine circumfuſum rapuerunt, atque in ſella geſtatoria poſitum eiecerunt,* ſeu extraxerunt. *Et is, qui cum multis curſoribus, & ſatellitibus prædictum ingreſſus eſt ærarium, portabatur, nullo ſibi auxilium ferente, manifeſta Dei cognita virtute: & ille quidem per diuinam virtutem iacebat mutus, atque omni ſpe, & ſalute priuatus. Hi autem Dominum benedicebant, quia magnificabat locum ſuum & Templum,* id eſt, glorificabat; *quod paulo antè timore, ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Domino gaudio & lætitia impletum eſt.* Hoc Heliodori exemplo terruit D. Ambroſius Imperatorem Theodoſium, nè ſimile depoſitum viduæ cuiuſdam in Eccleſia Ticinenſi arripere auderet. * Depoſitum dixerim, quidquid fideles ad pia opera, vel ad Templi cultum conſecrant. Qui autem vi eurauerit huiuſmodi depoſita ad profanos vſus eripere, dorſa præparet ad flagella.]

Dirè Heliodorus ab Angelis flagellatus, reſipiſcit.

Qui fidelium donaria ad pia opera Templo data vi eripit, dorſum præparet ad flagellum.

Verſ. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. Tunc verò ex amicis Heliodori, queis flagellum pepercerat, *quidam rogabant confeſtim Oniam, vt inuocaret Altiſſimum, vt vitam donaret ei, qui in ſupremo ſpiritu erat conſtitutus. Conſiderans autem ſummus Sacerdos, ne fortè Rex ſuſpicaretur, malitiam aliquam ex Iudæis circa Heliodorum conſummatam, obtulit pro ſalute viri hoſtiam ſalutarem,* id eſt, ne ſuſpicaretur Rex dolo, aut maleficio Iudæorum illud fuiſſe ſpectatum excitatum, pro Heliodori ſalute, ſeu valetudine obtulit Domino ſacrificium. *Cumque ſummus Sacerdos exoraret,* iidem iuuenes eiſdem veſtibus amicti, aſtantes Heliodoro, dixerunt: Oniæ Sacerdoti gratias age: nam propter eum Dominus tibi vitam donauit. * Efficaciſſima namque eſt ſanctorum interceſſio maximè cum pro perſecutoribus deprecantur.] Tu autem à Deo flagellatus, nuncia omnibus magnalia Dei, & poteſtatem: Et his dictis non comparuerunt. Heliodorus autem hoſtia Deo oblata, & votis magnis *promiſſis ei qui viuere illi conceſſit, & Onia gratias agens, recepto exercitu, repedabat ad Regem. Teſtabatur autem omnibus ea, quæ ſub oculis ſuis viderat opera magni Dei. Cum autem Rex interrogaſſet Heliodorum, quis eſſet aptus adhuc ſemel Ieroſolymam mitti, ait: ſi quem habes hoſtem, aut Regni tui inſidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, ſi tamen euaſerit; eo quod in loco ſit verè Dei quædam virtus. Nam ipſe, qui habet in cælis habitationem, viſitator, & adiutor eſt loci* ſacri *illius,* Templi videlicet: *& venientes ad malefaciendum percutit, ac perdit. Igitur de Heliodoro, & ærarij cuſtodia, ita res ſe habet.* Profectò hic idem Heliodorus eſt ille, qui poſtea Regi ſuo Seleuco necem ex inſidiis adiecit, & regium ſceptrum ſibi rapuit, mox ab Attalo & Eumene Regibus eiectus fuit. Hac ſaltem vice flagellis Angelicis ſerio reſipuit Heliodorus, à Gentilitia ſuperſtitione ad verum Deum conuerſus. * Deus enim ſuppliciis frænum iniicit peccatori, ne effrænis impingat, & pereat.] Vtinam reſipiſſet & Simon ille Beniaminius malorum omnium horum cauſa, & origo! Sed huius tragœdiam capita ſequentia enarrabunt.

Efficax iuſtorum interceſſio cũ pro perſecutoribus deprecantur.

Supplicio Deus frænũ iniicit peccatori, ne præceps, ruat.

CAPVT IV.

Impij Simonis calumnias ſanctus Pontifex Onias apud Seleucum diluit. Vita functo Seleuco, Iaſon Oniæ frater Pontificatum emit: à quo per Menelaum Simonis fratrem exuitur: & hic per Lyſimachum. Interficitur Onias ab Andronico, qui infami pœna ab Antiocho Rege mulctatur. Lyſimacus à plebe occiditur. Menelaus vitam pecunia redimit.

1\. SIMON autem prædictus pecuniarum & patriæ delator, malè loquebatur de Onia, tanquam ipſe Heliodorum inſtigaſſet ad hæc, & ipſe fuiſſet incentor malorum; 2. prouiſorémque ciuitatis, ac defenſorem gentis ſuæ, & æmulatorem legis Dei, audebat inſidiatorem regni dicere. 3 Sed, cùm inimicitiæ in tantum procederent, vt etiam per quoſdam Simonis neceſſarios homicidia fierent: 4. conſiderans Onias periculum contentionis, & Apollonium inſanire, vtpote ducem Cœleſyriæ & Phœni

Phœnicis, ad augendam malitiam Simonis, ad regem ſe contulit: 5. non vt ciuium accuſator, ſed communem vtilitatem apud ſemetipſum vniuerſæ multitudinis conſiderans. 6. Videbat enim ſine regali prouidentia impoſſibile eſſe pacem rebus dari, nec Simonem poſſe ceſſare à ſtultitia ſua. 7. Sed poſt Seleuci vitæ exceſſum, cùm ſuſcepiſſet regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Iaſon frater Oniæ ſummum ſacerdotium: 8. adito rege, promittens ei argenti talenta trecenta ſexaginta, & ex redditibus aliis talenta octoginta, 9. ſuper hæc promittebat & alia centum quinquaginta, ſi poteſtati eius concederetur gymnaſium & ephebiam ſibi conſtituere, & eos, qui in Ieroſolymis erant, Antiochenos ſcribere. 10. Quod cùm rex annuiſſet, & obtinuiſſet principatum, ſtatim ad gentilem ritum contribules ſuos transferre cœpit: 11. & amotis his quæ humanitatis cauſa Iudæis à regibus fuerant conſtituta, per Ioannem patrem Eupolemi, qui apud Romanos de amicitia & ſocietate functus eſt legatione legitima, ciuium iuſta deſtituens, praua inſtituta ſanciebat. 12. Etenim auſus eſt ſub ipſa arce gymnaſium conſtituere, & optimos quoſque epheborum in lupanaribus ponere. 13. Erat autem hoc non initium, ſed incrementum quoddam, & profectus gentilis & alienigenæ conuerſationis, propter impij & non ſacerdotis Iaſonis nefarium & inauditum ſcelus: 14. ita vt ſacerdotes iam non circa altaris officia dediti eſſent, ſed contempto templo, & ſacrificiis neglectis, feſtinarent participes fieri palæſtræ, & præbitionis eius iniuſtæ, & in exercitiis diſci. 15. & patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur: 16. quarum gratia periculoſa eos contentio habebat, & eorum inſtituta æmulabantur, ac per omnia his conſimiles eſſe cupiebant, quos hoſtes & peremptores habuerant. 17. In leges enim diuinas impiè agere impunè non cedit: ſed hoc tempus ſequens declarabit. 18. Cùm autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, & rex præſens eſſet, 19. miſit Iaſon facinoroſus, ab Ieroſolymis viros peccatores, portantes argenti didrachmas trecentas in ſacrificium Herculis: quas poſtulauerunt hi qui aſportauerant, ne in ſacrificiis erogarentur, quia non oporteret, ſed in alios ſumptus eas deputari. 20. Sed hæ oblatæ ſunt quidem ab eo, qui miſerat, in ſacrificium Herculis: propter præſentes autem datæ ſunt in fabricam nauium triremium. 21. Miſſo autem in Ægyptum Apollonio Mneſthei filio, propter primates Ptolemæi Philometoris regis, cùm cognouiſſet Antiochus alienum ſe à negotiis regni effectum, propriis vtilitatibus conſulens, profectus inde venit Ioppen, & inde Ieroſolymam. 22. Et magnificè ab Iaſone & ciuitate ſuſceptus, cum facularum luminibus & laudibus ingreſſus eſt: & inde in Phœnicen exercitum conuertit. 23. Et poſt triennij tempus miſit Iaſon Menelaum, ſupradicti Simonis fratrem, portantem pecunias regi, & de negotiis neceſſariis reſponſa perlaturum. 24. At ille commendatus regi, cùm magnificaſſet faciem poteſtatis eius, in ſemetipſum retorſit ſummum ſacerdotium, ſuperponens Iaſoni talenta argenti trecenta 25. Acceptiſque à rege mandatis, venit, nihil quidem habens dignum ſacerdotio; animos verò crudelis tyranni, & feræ belluæ iram gerens. 26. Et Iaſon quidem, qui proprium fratrem captiuauerat, ipſe deceptus profugus in Ammanitem expulſus eſt regionem. 27. Menelaus autem principatum quidem obtinuit: de pecuniis verò regi promiſſis, nihil agebat, cùm exactionem faceret Soſtratus, qui arci erat præpoſitus: 28. (nam ad hunc exactio vectigalium pertinebat) quam ob cauſam vterque ad regem ſunt euocati. 29. Et Menelaus amotus eſt à ſacerdotio, ſuccedente Lyſimacho fratre ſuo: Soſtratus autem prælatus eſt Cypriis. 30. Et cùm hæc agerentur, contigit, Tharſenſes & Mallotas ſeditionem mouere, eò quòd Antiochidi regis concubinæ dono eſſent dati. 31. Feſtinanter itaque rex venit ſedare illos, relicto ſuffecto vno ex comitibus ſuis Andronico. 32. Ratus autem Menelaus accepiſſe ſe tempus opportunum, aurea quædam vaſa è templo furatus donauit Andronico, & alia vendiderat Tyri, & per vicinas ciuitates. 33 Quod cùm certiſſimè cognouiſſet Onias, arguebat eum, ipſe in loco tuto ſe continens Antiochiæ ſecus Daphnem. 34. Vnde Menelaus accedens ad Andronicum, rogabat vt Oniam interficeret. Qui cum veniſſet ad Oniam, & datis dextris cum iureiurando (quamuis eſſet ei ſuſpectus) ſuaſiſſet de aſylo procedere, ſtatim eum peremit, non veritus iuſtitiam. 35. Ob quam cauſam non ſolùm Iudæi, ſed aliæ quoque nationes indignabantur, & moleſtè ferebant de nece tanti viri iniuſta. 36. Sed regreſſum regem de Ciliciæ locis, adie-

cunt

runt Iudæi apud Antiochiam, ſimul & Græci, conquerentes de iniqua nece Oniæ.
37. Contriſtatus itaque animo Antiochus propter Oniam, & flexus ad miſeri-
cordiam, lacrymas fudit, recordatus defuncti ſobrietatem, & modeſtiam.
38. accenſíſque animis, Andronicum purpura exutum, per totam ciuitatem iu-
bet circumduci: & in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiſerat, ſa-
crilegum vita priuari, Domino illi condignam retribuente pœnam. 39. Multis
autem ſacrilegiis in templo à Lyſimacho commiſſis Menelai conſilio, & diuulgata
fama, congregata eſt multitudo aduerſum Lyſimachum, multo iam auro expor-
tato. 40. Turbis autem inſurgentibus, & animis ira repletis, Lyſimachus ar-
matis ferè tribus millibus iniquis manibus vti cœpit, duce quodam tyranno, ætate
pariter, & dementia prouecto. 41. Sed, vt intellexerunt conatum Lyſimachi,
alij lapides, alij fuſtes validos arripuere: quidam verò cinerem in Lyſimachum
iecere. 42. Et multi quidem vulnerati, quidam autem & proſtrati, omnes
verò in fugam conuerſi ſunt: ipſum etiam ſacrilegum ſecus ærarium interfece-
runt. 43. De his ergo cœpit iudicium aduerſus Menelaum agitari. 44. Et cùm
veniſſet rex Tyrum, ad ipſum negotium detulerunt miſſi tres viri à ſeniori-
bus. 45. Et cùm ſuperaretur Menelaus, promiſit Ptolemæo multas pecunias
dare ad ſuadendum regi. 46. Itaque Ptolemæus in quodam atrio poſitum quaſi
refrigerandi gratia regem adiit, & deduxit à ſententia: 47. & Menelaum qui-
dem vniuerſæ malitiæ reum criminibus abſoluit: miſeros autem, qui etiamſi
apud Scythas cauſam dixiſſent, innocentes iudicarentur, hos morte damnauit.
48. Citò ergo iniuſtam pœnam dederunt, qui pro ciuitate, & populo, & ſacris
vaſis, cauſam proſecuti ſunt. 49. Quam ob rem Tyrij quoque indignati, erga ſe-
pulturam eorum liberaliſſimi extiterunt. 50. Menelaus autem, propter eorum,
qui in potentia erant, auaritiam, permanebat in poteſtate, creſcens in malitia ad inſi-
dias ciuium.

COMMENTARII.

1. *Simonis calumniæ Oniæ apud Seleucum dilatæ.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Simon autem prædictus pecuniarum, & patriæ delator, male loquebatur de Onia, tanquam ipſe Heliodorum inſtigaſſet ad hæc, & ipſe fuiſſet inuentor malorum, proviſoremque ciuitatis, ac defenſorem gentis ſuæ, & æmulatorem legis Dei, audebat inſidiatorem Regni dicere.* Ille impius ac proditor Simon ſanctum Pontificem Oniam accuſat, quaſi Heliodorum malis artibus impuliſſet ad flagella ſubeunda. Quin & affectati Regni auſus eſt inſimulare procuratorem boni communis fideliſſimum tum Ieroſolymæ, tum vniuerſæ Reipublicæ Iudaicæ. *Sed cum inimicitiæ in tantum procederent, vt etiam per quoſdam Simonis neceſſarios homicidia fierent: conſiderans Onias periculum contentionis, & Apollonium inſanire vtpotè Ducem Cœleſyriæ, & Phœnicis, ad augendam malitiam Simonis: ad Regem ſe contulit, non vt ciuium accuſator, ſed communem vtilitatem apud ſemetipſum vniuerſæ multitudinis conſiderans, &c.* * Illuſtre planè exhibet vindicandi iniurias exemplum ad Regem, ſe confert non *accuſator, ciuium*, ſed calumniæ depulſor: vulnus curans infligere ſceleri, non peccatori.] Studet itaque Simonem à ſua ſtultitia auertere. Omnis enim peccator ſtultitia laborat, non aduertens, quot ſe implicet periculis, qui delinquere audet.] Igitur ipſemet Onias ad Seleucum Regem profectus eſt, & deterſis calumniis, regia auctoritate petulantiam Simonia compeſcuit. * Nec enim ſanctitatis perfectio prohibet, ne quis boni nominis iura tueatur.]

Calumnia affectus inſurge contra calumniam, non contra calumniatorem.

Peccator ſtultitia laborat.

Non eſt contrà perfectionē boni tui nominis iura tueri.

R. P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. tom. VII. p. 2.

2. *Iaſon Oniæ frater Pontificatum emit, à quo per Menelaum exuitur. & hic per Lyſimachum.*

Verſ. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Sed poſt Seleuci vitæ exceſſum, &c. Mortuo Seleuco, aliud longè dirius malum Oniæ impendit. Nam eius frater Iaſon ab Antiocho Seleuci fratre & in Imperij ſucceſſore coëmere intentat maximo pretio Pontificatum, vt ſibi fratre extruſo vendicet. Intendebat miſer, ad religionem Æthnicam ſe totum transferre, & vna ſecum trahere vniuerſum populum Iudaicum ad ritus Gentilicos. In quem finem maxima vi pecuniæ oblata, curat impetrare à Rege poteſtatem conſtituendi gymnaſium, & ephebiam, ſeu impuram ſcortorum maſculorum officinam, ex qua ſibi infame lucrum prouenirct. * Curans quidem populum a vera fide & religione abſtrahere appoſitè immundis vitiis eum infici ſatagit. Luxuria enim facit homines à fide deuiare. Teſtor Henricum VIII. Anglorum Regem fideliſſimum primo Eccleſiæ defenſorem, poſtmodum verò periniquum cum Anna Bolena (eius fortaſſe filia) in Catholicæ fidei perſequutorem conuerſum totius Regni ruina.] Curat præterea Iaſon emere Ieroſolymitanis ius ciuium Antiochinorum, cui, (quod ibi ſedes eſſet regia) magna erant annexa priuilegia. *Quod cum Rex annuiſſet, & obtinuiſſet Principatum, ſtatim ad Gentilem ritum contribules ſuos transferre cœpit, &c.* Amotis igitur, & abolitis piis omnibus inſtitutis, ſacris ritibus, & honeſtis exercitiis, quæ à priſcis Regibus humanitatis, ac beneuolentiæ cauſa Iudæis olim indulta fuerant: cœpit contra patriæ iura ſubrogare praua Gentilium inſtituta, vſus ad id opera Ioannis diuitis ac præpotentis viri patris Eupolemi, qui poſteà fœderis cum Romanis ſanciendi cauſa à Iuda Machabæo Romam fuit immiſſus. 1. Mach. 8. 17. Hæc quidem ge-

Luxuria fecit homines à fide deuiare.

rebantur ob immane ſcelus impij, *& non Sacerdotis* Iaſonis. Annon ſummo Pontificatu fratrem Oniam nudauerat, vt ſibi arrogaret? quomodo ergo non Sacerdos appellatur? Erat planè Pſeudoſacerdos, non verè Sacerdos, qui promouendæ luxuriæ in populo dabat operam. Sacerdotis enim veri officium eſt, ciuium cœptam iam luxuriei conuerſationem diſſoluere: promouere autem illam nec impius Sacerdos audebit. Vndè cum Iaſon cœptam conuerſationem vilem promouet, non Sacerdos oſtentatur.] * Hinc cum videris Præſulem non ſolùm publicas ſcortationes non prohibere, ſed occaſionem dare ſua incuria, vt incrementum laſciuia contrahat, eum non Pontificem, non Sacerdotem quodammodò nominari poſſe, exiſtima.]

Veri Sacerdotis officiũ eſt cœptam luxuriæ conuerſationem intercidere. Præſul, qui ſua incuria cauſa eſt, vt cœpta luxuries promoueatur, quodammodò Sacerdos non eſt.

Verſ. 14. 15. 16. 17. *Ita vt Sacerdotes iam non circa altaris officia dediti eſſent, &c. Ita* immutatus eſt ſacrorum ordo, vt Sacerdotes etiam, contempto Templo, ad theatra feſtinarent, vt

3\. participes eſſent profanæ paleſtræ, ſeu exhibendæ, ſeu ſpectandæ: participes etiam eſſent iniuſtæ eius *prabitionis*, hoc eſt, præmiorum, quæ in ludis hiſce, & luctis ſolent victoribus erogari, veſtes, coronæ, aurum, & his ſimilia. Quæ quia non virtutis ſed impudentiæ plerumque præmia erant, idcircò *prabitionem iniuſtam* illorum vocirat. * O quàm indecens Sacerdotali ſeriectati eſt in theatris aſſiſtentia, ſiquidem vt Auctor exprimat omnimodam populi perditionem, & à fide receſſum, annotat Sacerdotes intereſſe theatris.] Porrò pro *Exercitijs diſci*, in Græco eſt, *Poſt diſci prouocationem*, id eſt, poſt inuitationem ad exercitia: quæ quidem fiebat præmiis diſco impoſitis, & in diſco per medium ſtudium circum ferri ſolitis, ad plures agoniſtas prouocandos in certamen. *Et patrios quidem honores nihil habentes, &c.* Patrios honores, ſeu leges & inſtituta Iudaica, in quibus illi gloriari oporteret, pro nihilo ducebant: & Græcorum glorias, ſeu mores Gentilicos affectabant, & in illis gloriabantur. Præmia illa agoniſtica (vt aptius exponam) Græcas glorias vocat, quia Græci, hoc eſt Gentiles his vanitatibus maximè gloriabantur. At non impune hæc omnia. Nam quorum inſtituta tam anxie æmulabantur, eos poſtea hoſtes, & peremptores (ſic Græcè) habuerunt. * Hoc euenit quotidie: illi, ad quos alliciendum tibi, impia eorum curaſti ſectari veſtigia, ditiores tibi poſtmodum hoſtes exiſtunt.] *In leges enim diuinas impiè agere, impunè, non cedit, &c.* * Nullum audebis patrare contra legem delictum, cuius non in præſenti, vel in ſequenti tempore pœnam non experiare.] * Felix qui in preſenti corripitur tempore terminabili pœna, vt *ſequentis* temporis euadat æternam.]

Sacerdotum corruptio.

Indecens admodũ eſt Sacerdotes intereſſe theatris.

Illi, quorum curas impia ſectari veſtigia, vt eos tibi allicias, poſtea ditiores tibi hoſtes exſurgunt.

Cuilibet peccato pœna reſpõdet. Felix, qui in præſenti corripitur, & nõ in ſæculo ſequenti.

Verſ. 18. 19. 20. *Cum autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, & Rex præſens eſſet, &c.* Cum quinquennalis agon, & ludi in vrbe Tyri celebrarentur in Herculis honorem Pſeudopontifex Iaſon miſit trecentas argenti didrachmas, ſeu trecentos florinos Belgicos, ſeu ſexcentos regales Hiſpanicos, pro victimis aliquot coëmendis, & litandis Herculi in ſacrificium. Didrachma nummus eſt duobus Drachmis æquiualens. Vnde trecenti argenti didrachmæ non plus efficiunt, quàm ſexaginta ſcuta Romanæ monetæ. Mirum mihi, tam exiguam pecuniam, aut poſtulatam in fabricam triremium. Vndè crediderim *τὸ argenti* poſitum eſſe pro *pecunia*, & didrachmas fuiſſe aureas, vt ſit ſenſus, tuliſſe pecuniæ didrachmas aureas trecentas. Sic Galli quodcumque pecuniæ genus etiam aureum, vocant *Argent*. Attamen religioſiores, legati *peccatores*, Græcè *precatores*, vel ſacrorum procuratores, rogarunt Regem, ne ſacræ pecuniæ, vel à perſona ſacra ſubmiſſæ in profani idoli (cuius cultoi neceſſaria non erant) impenderentur. Sed hæ oblatæ ſunt quidem ab eo, qui miſerat, in ſacrificium Herculis: *propter præſentes autem* aſportatores *data ſunt in fabricam nauium* * O quàm aptæ inſumptæ fuere pecuniæ ſacræ in triremibus fabricandis, etiam cum ad vſum profanum & impium offeruntur, Vt à Rege Gentili ediſcant Chriſticolæ Reges pecunias ſpeciatim ab Eccleſia datas in triremium *ſubſidium*, non oportere alios expendi in vſus.]

Pecuniæ ab Eccleſia datæ Regibus ad triremiũ fabricam nõ debent in alios vſus impendi.

Verſ. 21. 22. 23. 24. 25. 26. *Miſſo autem in Ægyptum Apollonio Mneſthei filio propter primates Ptolemæi Philometoris Regis: cum cognouiſſet Antiochus, alienum ſe à negotijs Regni effectum, &c.* Iuſtæ igitur petitioni legatorum annuit Rex iuſſitque, pecuniam illam impendi in triremium fabricam, quibus vteretur in priori ſua Ægyptiaca expeditione, quam adornabat ſpecie tenus propter primates Ægyptios, qui à Ptolemæo Philométore defecerant, ad fratrem: eius natu minorem Euergérem. Simulabat enim Antiochus auunculus iſtorum duorum fratrum, ſe velle lites eorum componere, ac proindè poſcebat tutelam puerorum ſibi committi. Sed re vera inhiabat ipſemet ſceptro Ægyptio, vt de eo Gabriel Dan. 11. 21. prædixerat. Cum autem reſciſſet Antiochus alienum ſe ab his negotiis Ægyptiaci Regni effectum eſſe, & primates Ægyptios tutelam puerorum Regum nolle ſibi deferre, propriæ conſulturus vtilitati, in Syriam recurrit. Vbi Ieroſolymis magnificè à Pſeudopontifice Iaſone, & ciuibus ſuſceptus fuit: nihilque tunc Vrbi, vel Iudæi nocuit. *Et poſt triennij tempus miſit Iaſon Menelaum ſupradicti Simonis fratrem portantem pecunias Regi, &c.* Poſt trium annorum interſtitium Iaſon à Menelao Simonis proditoris fratre, quem pro ſe ad Regem Antiochũ cum muneribus, & mandatis legatum mittebat, eodem, quo fratrem ipſe ſuum Oniam (verſ. 6.) ſcelere nuper *captiuauerat*, circumſcripſerat, & deceperat, iam ipſe quoque circumſcriptus, & deceptus eſt. Nam Menelaus cum magnificaſſet *faciem poteſtatis*, Antiochi, id eſt, regiam eius poteſtatem, ac maieſtatem tam magnam eſſe oſtendiſſet, vt quiduis, etiam in omnia ſacra, pro libito poſſet. Hac adulatione extorſit, vt ſummus Iudæorum Pontificatus à Iaſone in ſe, qui ne quidem de Tribu Leui, ſed ſolum de Beniaminia erat, inaudito hactenus facinore transferretur. Illud pondera: *Cum magnificaſſet faciem poteſtatis eius*. ſeu cum tam in profanis, quam in ſacris abſolutum dominatum habere per adulationem aſſeruiſſet. Vtinam in Chriſtianorum Regum Curiis non adſint miniſtri adulatores, qui Principi perſuadeant eius poteſtatem vel ad ſacra ſe extendere: vt pro libito poſſit rebus Eccleſiæ vti. Si enim huiuſ-

Actum eſt de Regno cũ aulici Regi perſuaſerint, poſſe pro libito in ſacris vti facultatibus.

modi

modi peſtis vigeret actum iam eſſe de Regnó cordatus quis exiſtimaret.] * Igitur Iaſon proditoriè à Pontificatu & Principatu deturbatur à fratre; ſicut ipſe Oniam deturbauerat. Aſſolet enim Deus agnata ſeu ſimili pœna crimina vindicare.

Deus ſimili pœna ſolet delicta vindicare.

Verſ. 27.28.29. Menelaus autem Principatum quidem obtinuit,&c. Porrò cum de pecunia Regi ſubmittenda fidem datam Menelaus falleret accuſatus apud Regem à Soſtrato vectigalium exactore, citò à Pontificatu fuit amotus, Lyſimacho fratre eius æquè impio ac ſacrilego forſan & pari fraude, ſaltem pari Simonia ipſi, ſuffecto. Soſtratus verò ex Solymitanæ arcis præfectura ad Cypri gubernationem fuit eleuatus. * Rigidi enim tributorum exactores, qui nec Pontifici parcunt, hoc eſt, qui & Eccleſiaſticos vrgere non verentur, ſunt qui apud minus pios Principes quotidie proficiunt Quia ergo Soſtratus vrgebat Pontificem, vt tributum Regi penderet, ab impio Gentili Rege honoratur, & Cypro præficitur.]

Apud Principes parum pios proficiunt, & augentur, qui cum exactores tributorum ſunt, Eccleſiaſticos vrgent.

4. *Verſ. 30.31.32.33.34.35. Et cum hæc agerentur, contigit, Tharſenſes, & Mallotas ſeditionem mouere,&c.* Tharſus & Mallus duæ Vrbes erant inſignes Ciliciæ. Hæ quidem indignatæ, quòd in regiæ pellicis, quæ ſe Antiochidem vocitabat, ſumptum donatæ eſſent, tumultuari, ac rebellare cœperunt. Erat hoc ſordidum donationis genus apud Orientis Reges vſitatiſſimum, teſte Plutarcho in Themiſtocle, & aliis. * Barbarus planè mos. Ex ciuibus enim non ſunt exigenda tributa ad Regis delicias, ſed ad communem vtilitatem.] *Feſtinanter itaque Rex venit ſedare illos,&c.* Vt autem Rex ſedaret tumultum in Ciliciam profectus eſt, relicto Antiochi Prorege Andronico. *Ratus autem Menelaus accepiſſe ſe tempus opportunum, &c.* Curauit Menelaus ſacrilegis hiſce muneribus ſibi animum Andronici deuincere, ratus, ſe tempus opportunum accepiſſe. * Ec quidem dona ferens nunquam non tempus caperet opportunum. Nam ſi cum impiis res agitur ſemper munera aditum inueniunt.] *Quod cum certiſſimè cognouiſſet Onias,&c.* Impia hæc ſacrilegia Menelai zelo accenſus, arguebat ſanctus Pontifex Onias, è ſede ſua pontificali deturbatus, Pontificis tamen munere fungens, aſylo tutus, ad quod profugerat, nempe Antiochiæ, ſeu in Antiocheno diſtrictu ſecus templum Daphnes. Græce clariùs, *in Daphne, quæ iuxta Antiochiam eſt*, quadraginta ſtadiis ab ea diſtans. Locus erat amœnus Dianæ & Apollinis luco, ac fano celebris, planéque inuiolabilis. *Vndè Menelaus accedens ad Andronicum, rogabat, vt Oniam interficeret, &c.* Porrò Onias nequitia Menelai & Andronici eductus de aſylo, proditoriè interficitur. * Si *ſuſpectus* Oniæ erat acceſſus illius, cur ex aſylo prodiit? Certè quia cum iureiurando aſſeruiſſet, Oniæ incolumitatem, ſanctus vir ſibi perſuaſit, impoſſibile eſſe, vt quis Barbarus licet, auderet iuſiurandum violare.] *Ob quam cauſam non ſolum Iudæi, ſed aliæ quoque nationes indignabantur, &c.* Virtus enim vel apud barbaros æſtimatur, & nullus eſt, cui iniuſta proditoria actio non fœda videatur.]

Onias proditoriè à Lyſimacho occiditur, qui diro ſuo ſupplicio afficitur.

Non ſunt ex ciuibus exigenda tributa ad Regis delicias, ſed ad communem vtilitatem.

Muneribus rarò Principum oſtium eſt clauſum.

Quaſi impoſſibile debet eſſe, vt quis audeat iuramentum violare.

Virtus cunctis placet. Proditio cunctis diſplicet.

5. *Verſ. 36.37.38.39.40 41.42. Sed regreſſum Regem de Ciliciæ locis, adierunt Iudæi apud Antiochiam, ſimul & Græci, conquerentes de iniqua, nece Oniæ. Contriſtatus itaque animo Antiochus propter Oniam, & flexus ad miſericordiam, lacrymas fudit, recordatus defuncti ſobrietatem, & modeſtiæ.* * Nullus tam impius, qui non doleat vel naturali affectu virum virtute fulgidum deeſſe Reipublicæ.] *Accenſiſque animis Andronicum purpura exutum per totam Ciuitatem iubet circumduci, &c.* * Aſſolet enim Deus impiis ſupplicium ſimile ſceleri præparare.] *Multis autem ſacrilegijs in Templo a Lyſimacho commiſſis, &c.* Lyſimachus vero Menelai frater iàm Pſeudopontifex, inauditis facinoribus, & ſacrilegiis, ſe omnibus ſuis reddidit inuiſum: magnam enim auri vim è Templo extraxerat. *Turbis autem inſurgentibus & animis ira repletis &c.* Inſurrexit ergò in Lyſimachum populus, cum conaretur ille tueri ſe tribus armatorum millibus, duce *tyranno*, Græcè *Aurano* quodam; ſed fruſtra. Iuxtà ærarium enim, ſeu gaſophylacium Templi miſer occiditur. * Iuxtà ærarium appoſitè moritur, vt oſtendatur, ereptas ab eo ſacras opes ei necem intuliſſe. Rarò videris, à dira morte eximi ſacrarum opum expilatores.]

Menelaus ſuos veros accuſatores vincit, & propriam vitam pecunia redimit.

Omnes flere deberent in obitu iuſti.

Supplicium à Deo præparatum ſceleri ſolet eſſe ſimile.

Rarò videris dira à morte eximi, ſacrarum opum expilatores.

Verſ. 43.44.45. De his ergo cœpit iudicium aduerſus Menelaum agitari. &c. Menelaus autem Lyſimachi frater in iudicium vocatur à ſenioribus, & apud Regem ſacrilegij, & perturbatæ publicæ quietis accuſatur. *Et cum ſuperaretur Menelaus, &c.* At Menelaus cum ſuperaretur multitudine & euidentia criminum, neque cauſam ſuam peſſimam defendere poſſet, corrumpit multa pecunia Ptolemæum Dorimenis filium, (vti à Græco hîc, & alibi vocatur) vt valens apud Regem Menelaum curaret abſolui. * O munera quot in orbe iudicia corrupiſtis.]

Munera iudicia corrumpunt.

Verſ. 46. 47. 48. 49. 50. Itaque Ptolemæus in quodam atrio poſitum quaſi refrigerandi gratia Regem adijt, &c. Ptolemæi itaque interuentu Menelaus omnis reus malitiæ & iniquitatis à Rege abſoluitur: miſeri verò accuſatores illius pro præmio, quod merebantur, innocentiſſimi iniuſtiſſima morte afficiuntur, contra iura Gentium, & barbararum morem nationum: nec enim apud barbaros Scythas huiuſmodi ſententia lata fuiſſet. Sed nihil iuſtum proferri poteſt, vbi ad tribunal auaritia aſcendit.] * Vel vbi prauus Conſiliarius Regi adhæreſcit.] *Citò ergo iniuſtam pœnam dederunt, &c.* * At vnicum ſolatium eſt hominibus apud terrenum tribunal iniuria affectis, ad cœleſte ſupremum tribunal dari appellationem.] *Quam ob rem Tyrij quoque indignati, erga ſepulturam eorum liberaliſſimi extiterunt.* Tyrij, apud quos hæc gerebantur, indignati, & immane deteſtati ſcelus, legatos illos, qui in bona cauſa innoxij occubuerant, honorifica ſepultura ſunt proſecuti. *Menelaus autem propter eorum, qui in potentia erant, auaritiam, permanebat in poteſtate, creſcens in malitia ad inſidias ciuium.* Impius denique auaritiam exſatians primatum Antiochi Regis, aliquot annis in pontificia dignitate permanſit, poſt mortem enim Lyſimachi loco ſuo fuit reſtitutus. Et quando qui primatum auaritiam ſatiat, omnia pro votis non conſequitur?] Nunquàm tamen legitimus Pontifex fuit, cum de Tribu Leui non eſſet, ſed de Benjaminia. Ab Oniæ igitur morte, quæ anno Græcorum centeſimo quadrageſimo primo

Iudicium corrumpitur auaritia.

Et cum prauus Conſiliarius Regi adhæreſcit.

Solatium eorū qui apud terrenum tribunal afficiuntur iniuria, eſt, ad cœleſte appellationem dari.

Qui primatum auaritiā exſatiat, omnia pro votis conſequitur.

contigit, vſque ad Mathathiam, qui anno centeſimo quadrageſimo quinto ſurrexit, Pontificatus in manu ſpuria per quadriennium fuit. Licet enim iure deuolui debuiſſet à morte Oniæ tertij ad filium eius Oniam: de facto tamen nunquàm ei obtigit, vtpotè iam in Ægypto profugo (1. Mach. 8. 1.) ſed neque Iaſoni fratri Oniæ ius vllum erat iam ad ritus Gentilitios delapſo (hìc *verſ.7.*) & in Ammonitide exulanti (*verſ.16.*)

CAPVT V.

Iudæi varijs prodigijs in aëre terrentur. Iaſon Ieroſolymam occupat. Rex Antiochus ſpe ſua in Ægypto fruſtratus, omnem iram in Iudæos profundit. Iudas Machabæus cum ſuis in deſertum decedit.

1. EODEM tempore Antiochus ſecundam profectionem parauit in Ægyptum. 2. Contigit autem per vniuerſam Ieroſolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta per aëra equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtis, quaſi cohortes, armatos, 3. & curſus equorum per ordines digeſtos, & congreſſiones fieri cominus, & ſcutorum motus, & galeatorum multitudinem gladiis diſtrictis, & telorum iactus, & aureorum armorum ſplendorem, omníſque generis loricarum. 4. Quapropter omnes rogabant in bonum monſtra conuerti. 5. Sed cùm falſus rumor exiſſet, tamquam vita exceſſiſſet Antiochus, aſſumptis Iaſon non minùs mille viris, repentè aggreſſus eſt ciuitatem: & ciuibus ad murum conuolantibus, ad vltimum apprehenſa ciuitate Menelaus fugit in arcem: 6. Iaſon verò non parcebat in cæde ciuibus ſuis, nec cogitabat proſperitatem aduerſum cognatos malum eſſe maximum, arbitrans hoſtium & non ciuium ſe trophæa capturum. 7. Et principatum quidem non obtinuit, finem verò inſidiarum ſuarum confuſionem accepit, & profugus iterum abiit in Ammaniten. 8. Ad vltimum, in exitium ſui concluſus ab Areta Arabum tyranno, fugiens de ciuitate in ciuitatem, omnibus odioſus, vt refuga legum & execrabilis, vt patriæ & ciuium hoſtis, in Ægyptum extruſus eſt: 9. & qui multos de patria ſua expulerat, peregrè periit, Lacedemonas profectus, quaſi pro cognatione ibi refugium habiturus: 10. & qui inſepultos multos abiecerat, ipſe & illamentatus, & inſepultus abiicitur, ſepultura neque peregrina vſus, neque patrio ſepulchro participans. 11. His itaque geſtis, ſuſpicatus eſt rex ſocietatem deſerturos Iudæos: & ob hoc profectus ex Ægypto efferatis animis, ciuitatem quidem armis cepit. 12. Iuſſit autem militibus interficere, nec parcere occurſantibus, & per domos aſcendentes trucidare. 13. Fiebant ergo cædes iuuenum ac ſeniorum, & mulierum & natorum exterminia, virginúmque & paruulorum neces. 14. Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venumdati. 15. Sed nec iſta ſufficiunt: auſus eſt etiam intrare templum vniuerſa terra ſanctius, Menelao ductore, qui legum & patriæ fuit proditor: 16. & ſceleſtis manibus ſumens ſancta vaſa, quæ ab aliis regibus & ciuitatibus erant poſita ad ornatum loci, & gloriam, contrectabat indignè, & contaminabat. 17. Ita alienatus mente Antiochus, non conſiderabat, quòd propter peccata habitantium ciuitatem, modicum Deus fuerat iratus: propter quod & accidit circa locum deſpectio: 18. Alioquin niſi contigiſſet eos multis peccatis eſſe inuolutos, ſicut Heliodorus, qui miſſus eſt à Seleuco rege ad expoliandum ærarium, etiam hic ſtatim adueniens flagellatus, & repulſus vtique fuiſſet ab audacia. 19. Verùm non propter locum, gentem; ſed propter gentem, locum Deus elegit 20. Ideoque & ipſe locus particeps factus eſt populi malorum: poſtea autem fiet ſocius bonorum: & qui derelictus in ira Dei omnipotentis eſt, iterùm in magni Domini reconciliatione cum ſumma gloria exaltabitur. 21. Igitur Antiochus mille & octingentis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regreſſus eſt, exiſtimans ſe præ ſuperbia terram ad nauigandum, pelagus verò ad iter agendum deducturum propter mentis elationem. 22. Reliquit autem & præpoſitos ad af-

ſligendam gentem: Ieroſolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus
crudeliorem eo ipſo, à quo conſtitutus eſt: 23. in Garizim autem Andronicum
& Menelaum, qui grauiùs quàm cæteri imminebant ciuibus. 24. Cúmque ap-
poſitus eſſet contra Iudæos, miſit odioſum principem Apollonium cum exercitu,
viginti & duobus millibus, præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere, mulieres
ac iuuenes vendere: 25. Qui cùm veniſſet Ieroſolymam, pacem ſimulans, quieuit
vſque ad diem ſan ctum ſabbati: & tunc feriatis Iudæis, arma capere ſuis præcepit:
26. Omnéſque q i ad ſpectaculum proceſſerant trucidauit: & ciuitatem cum ar-
matis diſcurrens, ingentem multitudinem peremit. 27. Iudas autem Macha-
bæus, qui decimus fuerat, ſeceſſerat in deſertum locum, ibíque inter feras vitam in
montibus cum ſuis agebat; & fœni cibo veſcentes demorabantur, ne participes
eſſent coinquinationis.

COMMENTARII.

1. *Iudæi varijs prodigijs in aëre terrentur. Iaſon Ieroſolymā occupat.*

VERS. 1.2.3.4.5. *Eodem tempore Antiochus ſecundam profectionem parauit in Ægyptum.* De expeditionibus Antiochi *Nobilis.* (idem eſt ac *Epiphanes*) in Ægyptum tam prima, quam ſecunda lege quæ 340. & pluribus antè annis Archangelus Gabriel Danieli prædixerat cap. 11.23. & ſequent. *Contigit autem, per vniuerſam Ieroſolymorum Ciuitatem videri diebus quadraginta per aëra equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, &c.* Meteorologica in aëre oſtenta Græcus vocat *viſionem*, Latinus *monſtra*, quia futurum quid monſtrabant. Caluiniſtæ pro libito rideant impie planè. Ego ſcio euidenti oculatis teſtibus experientia conſtare, non ſemel huiuſmodi monſtra in aëre apparuiſſe. Quibus quidem bella, & imminentes clades præſignantur. Fusè id docet Plinius *lib 2.cap.56.* Seneca *natur. qq.* & alij. At cum ea prodigia indifferenter aut felicem, aut infauſtum ſucceſſum prænuncient, piè Iudæi ad Deum preces profundebant, vt illa monſtra Iudææ victoriam, hoſtibus præſignarent exitium. *Sed cum falſus rumor exiſſet, tanquam vita exceſſiſſet Antiochus, aſſumptus Iaſon non minus mille viris, repentè aggreſſus eſt Ciuitatem: &c.* Profectò horum monſtrorum occaſione, ſimul & fama de Regis Antiochi morte aduerſarij ſui excitatus eſt Iaſon Oniæ frater, vt cum paucis armatis ciuitatem Ieroſolymam vi aggrederetur: & Pontificatum, è quo per Menelaum extruſus fuerat (cap. 4. 23.) ſibi vindicaret.

Verſ. 6.7.8.9.10. Iaſon verò non parcebat in cædecuibus ſuis, &c. In Vrbem ergo Iaſon per inſidias irrupit, & ingentem ciuum edidit ſtragem, non cogitans immane ſcelus eſſe cognatos perimere, & ciuibus ſuis exitium excitare. *Et Principatum quidem non obtinuit, &c.* Principatu, ſeu dominio ſpirituali, vel politico frui non potuit. Quin potius fuga quaſi Cainica vitam, ſi ſaluam vellet, tueri coactus. *Ad vltimum in exitium ſui concluſus ab Areta Arabum tyranno fugiens de Ciuitate in Ciuitatem omnibus odioſus, &c.* Tandem Iaſon ille, qui tot ſcelerum fuerat perpetrator exitu infeliciſſimo extinctus eſt. * Mors etenim vitæ reſpondet.] *Omnibus* merito *odioſus.* Vel hoſtibus enim proditoriæ actiones inuiſæ oſtentantur.] Nec ſepultura dignus habetur, qui tot ciuium cadauera inſepulta proiecit: & peregrè occumbit, qui tot ciues exules vagari fecit. * Deus enim ſupplicia criminum qualitati accommodat. Vnde peccator Deum videtur edocere, quomodo in eum vindex exſurgar.]

Mors vitæ reſpondet.

Vel hoſtibus diſplicent proditoriæ actiones. Deus ſupplicium quaſi à peccatore edoctus, peccati qualitati accommodat.

Verſ. 11.12.13.14. His itaque geſtis, ſuſpicatus eſt Rex ſocietatem deſerturos Iudæos, &c. Suſpicatur Rex Antiochus, Iudæos Societatem & amicitiam, quam hactenus cum eo habuerant, deſerturos. Suſpicionis argumenta erant; quod mortuum eſſe Regem victum à Romanis Ægypto excedere iuſſum ſparſiſſent; quod Lyſimachum conſtitutum à ſe ſummum Pontificem lapidaſſent; quod Iaſonem hoſtem ſuum, ſe inſcio, quidam reuocaſſent; quod in factiones diſciſſa Vrbe, pars maior aduerſaretur Menelao Pſeudopontifici, & conſequenter Antiocho Regi, qui mortuo fratre eius Lyſimacho, Pontificatum illi reddiderat. Et quidem hi ſeſe ab aliis, qui Antiochi, & Menelai amici erant, ſe iunxerant, & Regi cum omnibus copiis portas occluſerant. Hæ cauſæ ſuſpicionis illius: eædemque Tyrannum impulere, vt armis vteretur ad Ciuitatem intercipiendam, & ad ſæuiendum tam atrociter in optimos quoſque ciues, prodente ipſos, & Regem impellente Menelao. *Iuſſit autem Rex militibus, interficere, nec parcere occurſantibus, & per domos aſcendentes, trucidare. &c.* * Preme particulam Rex *efferatus animis Ciuitatem cepit.* Cur non dixit, efferato animo, ſed *efferatus*? Quia omnes ſubditi quodammodo operantur in Rege. Vnde ſi Regis animus efferatus eſt, efferatos ſubditorum animos efficit.]

2. *Antiochus ſpe ſua in Ægypto fruſtratus, in Iudæos omnem iram effundit.*

Omnes ſubditi quodammodo ſentiunt, & operantur in Rege.

Verſ. 15.16.17.18.19.20. Sed nec iſta ſufficiunt, &c. Ita alienatus mente Antiochus, non conſiderabat, quod propter peccata habitantium Ciuitatem, modicum Deus fuerat iratus: &c. Illud annotat *Modicum Deus fuerat iratus. Modicum* ò benè, ait, Deum iratum eſſe, cum profanantur ſancta, cum ſacra vaſa diripiuntur, cum triduo octoginta millia hominum ferro perimuntur, quadraginta millia vinculis illigantur, & liberi ciues veluti mancipia venduntur? Modicum adhuc Deum iratum eſſe affirmat. In præſenti enim ſæculo grauiſſima quæque ſupplicia Deum modicè iratum eſſe ſignificant: plena ira Dei ad ſupplicium reſeruatur æternum.] * Habes præterea, omnes labores impiorum à peccatis ducere originem. Quòd ſi velint, à tribulationibus expediri, neceſſarium eſt à criminibus expiari.] *Verum non propter locum, gentem: ſed propter gentem, locum Deus elegit.* Ideóque

Grauiſſima huius ſæculi ſupplicia Deū modicè iratū oſtendunt: Plena Dei ira ad futurum ſæculum reſeruatur.

Labores impiorū à peccatis ducunt originem.

Ob populi delicta Deus permittit Ecclesiasticam violari immunitatem.

Propter gentis peccata Deus permittit, locum ſanctum indecenter tractari. * Cum videris profanari Templum, Eccleſiam tributariam, attritos Eccleſiæ miniſtros, crede, planè id ex peccatis populi prouenire.] *Ideoque & ipſe locus* ſacer ſeu Templum *particeps factus eſt populi malorum: poſteà autem fiet ſocius bonorum, &c.* & populus qui nunc, peccator, atteritur; pœnitens, à Deo magnis beneficiis donabitur. * Gratia enim ad pœnitentem redit cæleſtibus donis ſtipata.]

Ad pœnitentem gratia redit cœleſtibus donis ſtipata.

3. *Vers. 21.22.23.24.25.26.27. Igitur Antiochus mille & octingentis ablatis de Templo talentis, velociter Antiochiam regreſſus eſt, &c.* Abiens Antiochus, reliqui vbique militares præfectos ad affligendum pro libito ſuo Iudæos Ieroſolymis tygride crudeliorem Philippum: imo ipſo diriorem Antiocho; in monte verò Garizim, vbi Samaritanorum erat Templum, (4. Reg 17. 24.) conſtituit Andronicum, quendam nihilo Philippo mitiorem. Vtrique adiunxit Pſeudopontificem Menelaum totius huius tragœdiæ auctorem. *Cumq; appoſitus eſſet contrà Iudæos, &c.* Cum autem Antiochus appoſitus, ſeu oppoſitus hoſtili animo eſſet contra Iudæos, miſit inſuper Apollonium eis odioſum admodum Principem, qui paucis antè annis in Ægyptum ab eodemmet Rege miſſus fuerat: & tempore parentis eius Antiochi Magni, (teſte Liuio lib. 37.) claſſis dextrum cornu duxerat, cum læuum Hannibal teneret. *Qui cum veniſſet Ieroſolymam pacem ſimulans, &c.* Hic quidem quiete Iudæorum fraudulenter vſus die Sabbati: omnes, qui ad ſpectanda ſacrificia, aliaque feſto propria in publicum proceſſerant, ex improuiſo extinxit. Iudæis propter feſti ſolemnitatem non auſis arma capere, & tyranno reſiſtere. *Iudas autem Machabæus, qui decimus fuerat, &c.* Porrò Iudas Machabæus, qui 4
Decimus erat (nomen eſt officij) cum parente Mathathia, fratribus, ac cognatis in deſertum locum deceſſerat: & ne participes eſſent coinquinationis, id eſt, ne profano conuictu, vſu, ac conſuetudine Gentilium pollueretur, eligebant ſumma rerum inedia inter feras herbarum, & radicum eſu vitam ducere. *Decimus*, inquam tunc erat Iudas, id eſt, Decadarchus vnus ex Aſſidæorum Decemuiris. Scio aliquos malle per *Decimum* hîc intelligi Pontificem ordine decimum à tempore Alexandri Magni. Quod verum eſt inchoando ab Iaddo, & exputios Pontifices Iaſonem, Menelaum, Lyſimachum & Alcimum excludendo, & includendo Mathathiam. Primam tamen expoſitionem ſequor. * Edocet nos piiſſima Mathathiæ familia, ſatius eſſe cum feris, quàm cum infidelibus, cum hæreticis habitare, quorum ſocietate non ſemel aſſolet puriſſima fidei contaminari ſtola.)

Alia Antiochi crudelis iniquiſſima adiumen.

Mathathiæ familia ad deſerta deſcedit.

Satiùs eſt cum feris, quam cum impiis, quàm cum hæreticis habitare.

CAPVT VI.

Antiochus nouo tortore, nouis tribulationibus Iudæos contundit. Templum Ieroſolymitanum Olimpio Ioui dicari iubet. Ad ethnica ſacra ſeu execrando Iudæos cogit. Eleazarus mauult tradi neci, quàm porcinæ carnis eſu contaminari.

1. Sed non poſt multum temporis, miſit rex ſenem quemdam
Antiochenum, qui compelleret Iudæos, vt ſe transferrent à
patriis & Dei legibus: 2. contaminare etiam quod in Ieroſolymis
erat templum, & cognominare Iouis Olympij: & in
Garizim, prout erant hi, qui locum inhabitabant, Iouis
hoſpitalis. 3. Peſſima autem & vniuerſis grauis erat malorum
incurſio: 4. nam templum luxuria & comeſſationibus
Gentium erat plenúm, & ſcortantium cum meretricibus, ſacratíſque ædibus
mulieres ſe vltrò ingerebant, intrò ferentes ea, quæ non licebat. 5. Altare etiam
plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur. 6. Neque autem ſabbata cuſtodiebantur,
neque dies ſolemnes patrij ſeruabantur, nec ſimpliciter Iudæum ſe eſſe
quiſquam confitebatur. 7. Ducebantur autem cum amara neceſſitate in die natalis
regis ad ſacrificia: & cùm Liberi ſacra celebrarentur, cogebantur hedera
coronati Libero circuire. 8. Decretum autem exiit in proximas Gentilium ciuitates,
ſuggerendum Ptolemæis, vt pari modo & ipſi aduerſus Iudæos agerent, vt
ſacrificarent: 9. eos autem, qui nollent tranſire ad inſtituta Gentium, interficerent:
erat ergo videre miſeriam. 10. Duæ enim mulieres delatæ ſunt natos
ſuos circuncidiſſe: quas, infantibus ad vbera ſuſpenſis, cùm publicè per ciuitatem
circumduxiſſent, per muros præcipitauerunt. 11. Alij verò, ad proximas
coëuntes ſpeluncas, & latenter ſabbati diem celebrantes, cùm indicati eſſent Philippo,
flammis ſuccenſi ſunt, eò quòd verebantur, propter religionem & obſeruantiam,
manu ſibimet auxilium ferre. 12. Obſecro autem eos, qui hunc librum

lecturi

lecturi ſunt, ne adhorreſcant propter aduerſos caſus, ſed reputent, ea quæ accide-
runt, non ad interitum, ſed ad correptionem eſſe generis noſtri. 13. Etenim multo
tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltionem adhibere,
magni beneficij eſt indicium. 14. Non enim, ſicut in aliis nationibus, Dominus
patienter expectat, vt eas, cùm iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum
puniat: 15. ita & in nobis ſtatuit, vt peccatis noſtris in finem deuolutis, ita
demum in nos vindicet. 16. Propter quod numquam quidem à nobis miſericor-
diam ſuam amouet: corripiens verò in aduerſis, populum ſuum non dereelin-
quit. 17. Sed hæc nobis ad commonitionem legentium dicta ſint paucis. Iam
autem veniendum eſt ad narrationem. 18. Igitur Eleazarus vnus de primoribus
ſcribarum, vir ætate prouectus, & vultu decorus, aperto ore hians compellebatur
carnem porcinam manducare. 19. At ille glorioſiſſimam mortem magis quàm
odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad ſupplicium. 20. Intuens au-
tem quemadmodum oporteret accedere; patienter ſuſtinens, deſtinauit non ad-
mittere illicita propter vitæ amorem. 21. Hi autem qui aſtabant, iniqua miſera-
tione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum ſecretò ro-
gabant afferri carnes quibus veſci ei licebat, vt ſimularetur manducaſſe, ſicut
rex imperauerat, de ſacrificij carnibus: 22. vt hoc facto, à morte liberaretur: &
propter veterem viri amicitiam, hanc in eo faciebant humanitatem. 23. At
ille cogitare cœpit ætatis ac ſenectutis ſuæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobili-
tatis canitiem, atque à puero optimæ conuerſationis actus: & ſecundùm ſanctæ, &
à Deo conditæ legis conſtituta, reſpondit cito, dicens, præmitti ſe velle in infer-
num. 24. Non enim ætati noſtræ dignum eſt, inquit, fingere: vt multi adoleſ-
centium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigena-
rum: 25. & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum corruptibi-
lis vitæ tempus decipiantur: & per hoc maculam, atque execrationem meæ
ſenectuti conquiram. 26. Nam, etſi in præſenti tempore ſupplicijs hominum
eripiar, ſed manum Omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam. 27. Quam-
obrem fortiter vita excedendo, ſenectute quidem dignus apparebo: 28. ado-
leſcentibus autem exemplum forte relinquam, ſi prompto animo, ac fortiter pro
grauiſſimis ac ſanctiſſimis legibus honeſta morte perfungar. His dictis, confeſtim
ad ſupplicium trahebatur. 29. Hi autem, qui eum ducebant, & paulò antè fue-
rant mitiores, in iram conuerſi ſunt propter ſermones ab eo dictos, quos illi per ar-
rogantiam prolatos arbitrabantur. 30. Sed, cùm plagis perimeretur, ingemuit, &
dixit: Domine, qui habes ſanctam ſcientiam, manifeſtè tu ſcis, quia cùm à morte
poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores: ſecundùm animam verò propter
timorem tuum libenter hæc patior. 31. Et iſte quidem hoc modo vita diſceſſit, non
ſolùm iuuenibus, ſed & vniuerſæ genti memoriam mortis ſuæ ad exemplum virtutis
& fortitudinis derelinquens.

COMMENTARII.

1. *Nomen tortor miſſus ab Antiocho Templo abominabile deſolationis idolum inducit.*

VERS. 1.2.3.4.5. *Sed non poſt multum temporis miſit Rex ſenē quemdam Antiochenum, &c.* Vt magis, ac magis Iudæos affligeret Antiochus immiſit ad Iudæā *ſenem* ſeu ex ordine Senatorio virum *Antiochenum* (Græcè *Athenaeus* vocatur) vel quia inde oriundus erat, vel quia illi proprium id nomen fuit. Probabiliter crediderim fuiſſe illum Bacchidem, quem Mathathias Ieroſolymis interemit. (1. Mach. 2. 1.) Hic Templo profanato Solymitano, nomen illi indidit *Iouis Olimpij*, cum nouo nomine noua dedicatione publicè celebrata. En deſolationis idolum, à Daniele cap. 11. 31. deploratum. Cum autem Samaritani publicè *hoſpites*, & aduenæ vocabantur, imò data ad Antiochum epiſtola, tales ſe ſcribebant: iuſſit ille Templum, quod extruxerant Samaritæ in monte Garizim, *Iouis hoſpitalis* vocitari, cui peregrini curæ ſint. De hoc Templo dicebat Samaritana Ioan. 4. 20. *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt.* * Porrò multis poſt ſæculis ibi Zeno Imperator aliud nobiliſſimum Templum in honorem B. Virginis Deiparentis excitauit, peregrinantium in hoc ſæculo verè refugij, & piiſſimi materni receptaculi.] *Peſſima autem & vniuerſis grauis erat malorum incurſio, &c.* * Illa preme: Peſſima & grauis erat malorum incurſio, ſeu *concurſio* (vt alij) hoc eſt, omnium malorum colligatio. Omnibus malis crede exundare populum, cum quis auſus fuerit Templum luxuria impudicè contaminare. Deus enim grauiſſimè vindicat ſacrorum locorum violationem.] *Altare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur.*

Deipara peregrinantium in hoc ſæculo piiſſimum receptaculum.

Luxuria Templum violante, omnium incommodorum ciuibus colligatio eſt.

2. *Ad execranda ſacra homines cogũtur.*

Verſ. 6.7.8.9. Neque autem Sabbata cuſtodiebantur, neque dies ſolemnes patrij ſeruabantur: nec ſimpliciter, ſeu omninò *Iudæum ſe eſſe quiſquam confitebatur,* ob necis timorem. *Ducebantur*

tur autem cum amara neceſſitate in die natalis Regis ad ſacrificia: & cum Liberi ſacra celebrarentur, cogebantur hederu coronati Libero circuire. In die natalis Antiochi Regis (à Gentibus ex antiquiſſimo vſu Sacer vbique habebatur) *amare neceſſitate* ſeu violenta coactione (* Nam quod violētum eſt, amatum cuiquam eſt neceſſariò.] ducebantur Iudæi ad idololatrica ſacrificia, maximè autem ad Bacchanalia Libero, ſeu Baccho ſacra, cū ebrietate, libidine, furore, & inſania litare mos erat, præſertim in Oriente, vbi ex Iouis femore Bacchus natus credebetur. Pallas diua Sapientiæ è capite Iouis, Bacchus diuus ebrietatis, ac ſimul ſtultitiæ è femore naſcitur, quod typus luxuriæ. Profectò ſtultitia ſemper cum ebrietate & luxuria colligantur.] *Decretum autem exijt in proximas Gentilium ciuitates, &c.* Ptolemæorum ſuggeſtione hæc & alia nefanda ſcelera patrabantur: non quidem Regum Ægypti Ptolemæi Philometoris, & Euergetis fratrum, vt aliquis putat, quia hi tum vix erant adoleſcentes: ſed aliorum è Ptolemæorum familia, qui pro Rege Antiocho Cœleſyriæ, ac Pœnici præerant, & maritimis regionibus circà Tyrum & Sidonem. ſuprà cap. 4. 24. & infrà cap. 8. 8. Audi crudele nefas.

Quod violentum eſt, amarum eſt.

Ebrietas & luxuria cum ſtultitia colligantur.

Verſ. 10.11.12.13.14.15.16.17. *Duæ enim mulieres delatæ ſunt, natos ſuos circumcidiſſe, &c. Alij verò ad proximas coeuntes ſpeluncas, & latenter Sabbati diem celebrantes, cum indicati eſſent Philippo, flammis ſuccenſi ſunt, &c.* Philippus hic in Sabbatizantes ſæuiens eſt ille, qui iuſſus fuit ab Antiocho (cap. 5. 22.) Ieroſolymis Iudæos diuexare. Hiſtoria ad longum lib. 1. cap. 2. 31. narratur. *Obſecro autem eos, qui hunc librum lecturi ſunt, nè abhorreſcant propter aduerſos caſus: ſed reputent, ea, quæ acciderunt, non ad interitum, ſed ad correptionem eſſe generis noſtri.* * Tribulationes, queis hic fideles premuntur, non ſunt ad exitium, ſed ad correptionem, vt eis repurgari ab æterno interitu liberentur. *Etenim multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltiones adhibere, magni beneficij eſt indicium. Non enim ſicut in alijs nationibus Dominus patienter expectat, vt eas, cum iudicij* particularis *dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat. &c.* * Habes hinc, beneficium Dei maximum eſſe, in præſenti peccatores puniri.] * Infidelium incolumitatem à Deo irato procedere.] * Etiamſi Eccleſiam ſuam Deus dinexari permittat, eam non derelinquere, ſed in laboribus ei ſocium addici.] * Denique Dei amantis eſſe ſuos corripere delinquentes vt peccata peccatis non adiiciant.]

Fidelium tribulationes non ſunt ad exitium, ſed ad correptionem.

Peccatorem hìc puniri, Dei beneficium eſt.

A Deo irato procedit infidelium incolumitas.

Deus ſuos non deſerit, cum affligi permittit.

Dei amantis eſt ſuos corripere cū delinquunt.

Verſ. 18.19.20.21.22. *Igitur Eleazarus vnus de primoribus ſcribarum. &c.* Erat Eleazarus ſcientia diuinarum litterarum præcellens, Princeps ſacerdotum claſſis vnius, magiſter ſeptem puerorum Machabæorum, de quibus cap. ſequenti.
3. *At ille glorioſiorem mortem magis, quam odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad ſupplicium. Intuens autem quemadmodum oporteret accedere; patienter ſuſtinens, deſtinauit non admittere illicita propter vitæ amorem. Hi autem, qui aſtabant iniqua miſeratione commoti propter antiquam viri amicitiam tollentes eum ſecreto rogabant afferri carnes, &c.* * Vetus quidem amicus non eſt, qui te ad illicita curat allicere.]

Eleazarus maluit mori, quàm carne porcina contra legem veſci.

Non eſt verus amicus, qui ad illicita te ſtudet allicere.

Verſ. 23.24.25.26.27.28. *At ille cogitare cœpit ætatis ac ſenectutis ſuæ eminentiam. &c. & ſecundum ſancta à Deóque condita legis conſtituta, reſpondit cito, præmitti ſe velle in infernum.* Per infernum limbus patrum, ſeu Abrahæ ſinus intelligitur. * Si autem velis per infernum aut ſepulchrum, aut tartarum intelligi (vti alij exponunt) conſtans Eleazari animus oſtentatur, & omnis Chriſtiani reſolutionem debitam edocemur, præmitti nos ſcilicet malle in ſepulchrum, imo in tartarum, quam peccatum admittere.] *Huiuſmodi Eleazarus reſolutionem concepit cogitans ſenectutis ſuæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem,* ſiue antiquiſſimum ſtemma. * Aliquando enim oportet ad temporalem gloriam accurrere, vt ex ea animus ad cæleſtia conſtantior exſurgat.] * Et quando ingenita nobilitas in ratione operandi non agnoſcitur.] *Non enim ætati noſtræ dignum eſt, inquit, fingere, &c.* Certè mendacium, & ſimulatio in omnibus taxabilis eſt, ſed in ſenibus admodum execrabilis.] * Profectò ſenibus ſpeciale eſt adhibendum ſtudium ad legum obſeruationem. Nam adoleſcentes ad libidinem proni exiſtimant ſe eſſe irreprehenſibiles, ſi ſenes eiuſdem ægritudinis ſaucij oſtententur.] *Nam etſi in præſenti tempore ſupplicijs hominum eripiar, ſed manum Omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter vita excedendo, ſenectute quidem dignus apparebo. &c. ſenectutis,* ait, *dignus apparebo.* Indignus quidem eſt, diu vixiſſe, qui vitæ infelicem, delinquendo, finem impoſuit. Siquidem à Deo longa vita datur, vt nos ad ſalutarem exitum præparemus.]

Chriſtiani reſolutio ſit: Priùs mors, priùs tartarus, quàm peccare.

Iuuat ad benè operādum temporalis fulgor.

Nobilitas in operandi ratione dignoſcitur.

Mendacium in ſene execrabile eſt.

Excuſatio iuuenum eſt ſenum libido.

Indignum ſenectute oſtenditur, qui vitæ infelicem, peccando, finem impoſuit.

Verſ. 29.30.31. *Hi autem, qui eum ducebant, & paulo ante fuerant mitiores, in iram conuerſi ſunt propter ſermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur. Sed cum plagis perimeretur, ingemuit, & dixit: Domine, qui habes ſanctam ſcientiam, manifeſtè tu ſcis, quia cum à morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores, &c. Corporis,* inquit, *ſuſtineo dolores.* Quonam martyrij genere affectus Eleazarus fortiſſimus fuit? Latinus *ſupplicium* in genere aſſignauit, Græcus verò in ſpecie *τύμπανον*. Erat porrò *tympanum* tormenti genus, quo cruci, vel palo adſtricti rei inſtar tympani diſtendebantur, tuncque vel baculis contundebantur, vel diſcindebantur flagellis, vel viui excoriabantur, vel punctim cæſi conficiebantur vulneribus. * O Dulciſſima tympani muſica cæleſtis Numinis aures demulcens! Profectò Eleazarum primitias Martyrum veteris teſtamenti vocat Ambroſius: ſicut noui Stephanum; non quod tempore primus fuerit, (nam ſic Iſaias, Zacharias, ac tot alij Prophetæ Eleazaro fuere priores) ſed quod martyrij nobilitate cum primis certarit. Vnde hoc ſenſu D. Laurentium, Edmundum Campianum, Marcellum Maſtrillum, & alios eiuſmodi ſacros Heroës nouæ Eccleſiæ Protomartyres vocitarim.]

Martyr vulneribus concuſſus tympani inſtar Dei demulcet aures.

Ex nobilitate martyrij poteſt quis ex recentioribus Diuus Protomartyr vocitari.

CAPVT

CAPVT VII.

Vnius matris Septem filij vna cum matre conſtantiſſimè pro religione neci diræ traduntur.

1. CONTIGIT autem & ſeptem fratres vnà cum matre ſuà
apprehenſos, compelli à rege edere contra fas carnes por-
cinas, flagris & taureis cruciatos. 2. Vnus autem ex illis,
qui erat primus, ſic ait: Quid quæris, & quid vis diſcere
à nobis: parati ſumus mori, magis quàm patrias Dei leges
præuaricari. 3. Iratus itaque rex, iuſſit ſartagines & ollas
æneas ſuccendi: quibus ſtatim ſuccenſis, 4. iuſſit ei, qui
prior fuerat locutus, amputari linguam: & cute capitis abſtracta, ſummas quo-
que manus & pedes ei præſcindi, cæteris eius fratribus & matre inſpicienti-
bus. 5. Et, cùm iam per omnia inutilis factus eſſet, iuſſit ignem admoueri, &
adhuc ſpirantem torreri in ſartagine: in qua cùm diu cruciaretur, cæteri vnà
cum matre inuicem ſe hortabantur mori fortiter, 6. dicentes: Dominus Deus
aſpiciet veritatem, & conſolabitur in nobis, quemadmodum in proteſtatione can-
tici declarauit Moyſes: & in ſeruis ſuis conſolabitur. 7. Mortuo itaque illo pri-
mo, hoc modo, ſequentem deducebant ad illudendum: & cute capitis eius cum
capillis abſtracta, interrogabant, ſi manducaret priùs, quàm toto corpore per
membra ſingula puniretur, 8. At ille, reſpondens patria voce, dixit: Non fa-
ciam. Propter quod & iſte, ſequenti loco, primi tormenta ſuſcepit: 9. & in vl-
timo ſpiritu conſtitutus, ſic ait: Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vita nos per-
dis: ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione
ſuſcitabit. 10. Poſt hunc tertius illuditur, & linguam poſtulatus citò protulit,
& manus conſtanter extendit: 11. & cum fiducia ait: E cælo iſta poſſideo, ſed
propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpe-
ro: 12. ita vt rex, & qui cum ipſo erant, mirarentur adoleſcentis animum, quòd
tamquam nihilum duceret cruciatus. 13. Et hoc ita defuncto, quartum vexa-
bant ſimiliter torquentes. 14. Et, cùm iam eſſet ad mortem, ſic ait: Potius eſt
ab hominibus morti datos ſpem expectare à Deo, iterùm ab ipſo reſuſcitandos: ti-
bi enim reſurrectio ad vitam non erit. 15. Et cùm admouiſſent quintum, vexa-
bant eum. At ille reſpiciens in eum, dixit: 16. Poteſtatem inter homines ha-
bens, cùm ſis corruptibilis, facis quod vis: noli autem putare genus noſtrum
à Deo eſſe derelictum. 17. tu autem patienter ſuſtine, & videbis magnam po-
teſtatem ipſius, qualiter te & ſemen tuum torquebit. 18. Poſt hunc duce-
bant ſextum, & is, mori incipiens, ſic ait: Noli fruſtrà errare: nos enim propter
noſmetipſos hæc patimur, peccantes in Deum noſtrum, & digna admiratio-
ne facta ſunt in nobis: 19. tu autem ne exiſtimes tibi impunè futurum, quòd
contra Deum pugnare tentaueris. 20. Supra modum autem mater mirabilis, &
bonorum memoria digna, quæ pereuntes ſeptem filios ſub vnius diei tempore con-
ſpiciens, bono animo ferebat, propter ſpem quam in Deum habebat: 21. ſingu-
los illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta ſapientia: & femineæ cogita-
tioni maſculinum animum inſerens, 22. dixit ad eos: Neſcio qualiter in vtero
meo apparuiſtis: neque enim ego ſpiritum & animam donaui vobis & vitam, &
ſingulorum membra non ego ipſa compegi: 23. ſed enim mundi Creator, qui
formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & ſpiritum vo-
bis iterùm cum miſericordia reddet & vitam, ſicut nunc voſmetipſos deſpicitis
propter leges eius. 24. Antiochus autem, contemni ſe arbitratus, ſimul & ex-
probrantis voce deſpecta, cùm adhuc adoleſcentior ſupereſſet, non ſolùm verbis
hortabatur, ſed & cum iuramento affirmabat, ſe diuitem & beatum facturum, &
tranſlatum à patriis legibus amicum habiturum, & res neceſſarias ei præbitu-
rum. 25. Sed ad hæc cùm adoleſcens nequaquam inclinaretur, vocauit rex ma-

trem, & ſuadebat ei vt adoleſcenti fieret in ſalutem. 26. Cùm autem multis eam verbis eſſet hortatus, promiſit ſuaſuram ſe filio ſuo. 27. Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria voce: Fili mi, miſerere mei, quæ te in vtero nouem menſibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem iſtam perduxi. 28. Peto, nate, vt aſpicias ad cælum & terram, & ad omnia quæ in eis ſunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: 29. ita fiet, vt non timeas carnificem iſtum; ſed dignus fratribus tuis effectus particeps, ſuſcipe mortem, vt in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam. 30. Cùm hæc illa adhuc diceret, ait adoleſcens: Quem ſuſtinetis? non obedio præcepto regis, ſed præcepto legis, quæ data eſt nobis per Moyſem. 31. Tu verò, qui inuentor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. 32. Nos enim pro peccatis noſtris hæc patimur. 33. Et ſi nobis propter increpationem & correptionem Dominus Deus noſter modicum iratus eſt: ſed iterùm reconciliabitur ſeruis ſuis. 34. Tu autem, ô ſceleſte, & omnium hominum flagitioſiſſime, noli fruſtrà extolli vanis ſpebus in ſeruos eius inflammatus. 35. nondum enim omnipotentis Dei, & omnia inſpicientis, iudicium effugiſti. 36. Nam fratres mei, modico nunc dolore ſuſtentato, ſub teſtamento æternæ vitæ effecti ſunt: tu verò iudicio Dei iuſtas ſuperbiæ tuæ pœnas exolues. 37. Ego autem, ſicut & fratres mei, animam & corpus meum trado pro patriis legibus: inuocans Deum maturius genti noſtræ propitium fieri, téque cum tormentis & verberibus confiteri quòd ipſe eſt Deus ſolus. 38. In me verò & in fratribus meis deſinet omnipotentis ira, quæ ſuper omne genus noſtrum iuſtè ſuperducta eſt. 39. Tunc rex accenſus ira, in hunc ſuper omnes crudelius deſæuit, indignè ferens ſe deriſum. 40. Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens. 41. Nouiſſimè autem poſt filios & mater conſumpta eſt. 42. Igitur de ſacrificiis, & de nimiis crudelitatibus ſatis dictum eſt.

COMMENTARII.

1. *Septem Machabæorū illuſtriſſimum martyrium.*

VERS. 1. 2. 3. 4. *Contigit autem & ſeptem fratres vna cum matre ſua apprehenſos compelli à Rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos.* Vt ederent carnes in lege prohibitas ſeptem fratres Machabæus, Aber, Machiti, Iudas, Achas, Areth, Iacob filij fœminæ conſtantiſſimæ Machabææ nomine, à tyranno excruciantur loris ex corio, vel neruis tauri confectis. Hi quidem ex Suſandro proprio caſtello ad Antiochum Regem fuere adducti non Ieroſolymam, ſed Antiochiam, vt probabilius reor. Erant genere illuſtres, corpore ſpecioſi, celibes plerique: etſi verò quidam illorum nuptiis fuiſſent alligati, nullus tamen adhuc filios procrearat: affirmante Ioſepho Machabæam ſecdum auiam factam. Omnes autem vocantur Machabæi, vel à matre ſua, vel à primo fratrum, vel à fortitudine animi, quâ tyrannum ſuperarunt, Tempus denique quo paſſi ſunt ex hiſtoriæ contextu colligo fuiſſe anno octauo Regni Antiochi Epiphanis, paulo antequam aduerſus eum arma Mathathias capeſſeret. *Vnus autem ex illis, qui erat primus*, nempe Machabæus, *ſic ait: Quid quæris, & quid vis diſcere à nobis? parati ſumus mori, magis quam patrias Dei leges præuaricari. Iratus itaque Rex iuſſit, ſartagines, & ollas ane æ ſuccendi; quibus ſtatim ſuccenſis, iuſſit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam.* * Nullum illuſtrius præmium potuit piiſſimæ & conſtantiſſimæ linguæ parari, quam crudeliſſima illa amputatio: ob quam illa ſilente, cunctæ in laudem Martyris linguæ loquuntur.] *Et cute capitis abſtracta, ſummas quoque manus, & pedes ei præſcindi, cæteris eius fratribus, & matre inſpicientibus.* Vt diri martyrij terror eorum conſtantiam infirmaret.

Pro amputata vna lingua Martyris omnes linguæ de eius laudibus loquūtur.

Verſ. 5. 6. Et cum iam per omnia inutilis factus eſſet ſæculo, *iuſſit* Rex *ignem admoueri, & adhuc ſpirantem torreri in ſartagine: in qua cum diu cruciaretur, cæteri vna cum matre inuicem ſe hortabantur mori fortiter, dicentes: Dominus Deus aſpiciet veritatem, & conſolabitur in nobis, quemadmodum in proteſtatione cantici declarauit Moyſes: Et in ſeruis ſuis conſolabitur.* Deut. 32. 36. Inuicem ſe hortabantur Martyres inuictiſſimi ad conſtantiam, ne quis à Dei lege deflecteret. * Huiuſmodi namque adhortationibus conſtantia vnius alterius conſtantiam exacuit. Vnde etiam iis qui conſtanti animo pollent, vtiles admodum exiſtunt.] His inter alia Machabæi verbis vtebantur: Deus conſiderabit, expendetque quod eſt verum, & iuſtum: *& conſolabitur in nobis*, id eſt, ſubſidio & ſolatio nobis erit, quemadmodum Moyſes in cantico ſuo proteſtatus eſt, Deum facturum. * Tanta eſt Dei in ſuos pietas, vt quodammodo conſolationem accipiat, cum illos ſolatur. Vnde τὸ conſolabitur poteſt ad Deum ipſum, & Dei ſeruos terminari: In ſeruis ſuis conſolabitur vel ſe ipſum, vel ipſos ſeruos ſuos.]

Vtile admodum ſeſe fideles inuicē adhortari ad legis cuſtodiam.

Tanta Dei in ſeruos ſuos pietas, vt ipſe cōſolationē accipiat, cum illos ſolatur.

Verſ. 7. 8. 9. Mortuo itaque illo primo hoc modo, ſequentem deducebant ad illudendum: & cute capitis eius cum capillis abſtracta, interrogabant, ſi manducaret prius, quam toto corpore per membra ſingula puniretur. Ingenioſa enim tyranni crudelitas ſingulis membris ſpecialem adinuenerat torturam. *At ille reſpondit patria voce, dixit, &c. ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æterna vita reſurrectione ſuſcitabit*, ſeu in die

nouiſſi

nouiſſimo mortuum & attritum cadauer rediuiuum exurget æterna vita potiturum.

Verſ.10.11.12. Poſt hunc tertius illuditur,&c.

Spe reſurrectionis roboramur ad vitam pro Deo odio habendam.

* Reſurrectionis ſpes valde roborat nos, vt vitam propter Deum odio proſequamur, vti Christus Dominus fidelibus indixit: *Qui odio habet animam,* ſeu vitam *ſuam, in vitam æternam cuſtodit eam.*] *Ita* conſtantem ſe Martyr oſtendit, *vt Rex, & qui cum ipſo erant, mirarentur adoleſcentis animum, quod tanquam nihilum duceret cruciatus.*

Verſ.13.14. Et hoc ita defuncto, quartum vexabant ſimiliter torquentes. *Et cum iam eſſet ad mortem proximus,* ſeu cum iam iam halaret ſpiritum, *ſic ait: Potius eſt ab hominibus morti datos, ſpem expectare à Deo, iterum ab ipſo reſuſcitandos: tibi enim reſurrectio ad vitam non erit.* Morti datis, ſeu traditis ab hominibus, potius, ſeu ſatius nobis eſt, abiecto vitæ amore, mentis oculis obiicere corporis laniati reſurrectionem: & tuam diſſimilem omnino ſortem futuram. Tu enim qui nos das, ſeu addicis ſuppliciis exitialibus non reſurges ad vitam: nos verò dati à te neci ad vitam feliciſſimam reſurgemus.

Verſ.15.16.17. Et cum admouiſſent quintum, vexabant eum, &c. Humana vteris & corruptibili poteſtate ad nos torquendum; parumper expecta, & videbis qualiter Deus incorruptibilis & omnipotens te tartaro torquendum

Tyrannus Martyres torquens pluſquà illi torquetur.

poſt temporalem etiam torturam addicat. * Illam particulam: *Tu autem patienter ſuſtine,* adhuc expendo. An tyrannus patientia indigebat, cum Martyr pœnis cruciabatur? Certè dirioribus Antiochus doloribus afficiebatur inuictam Martyris conſtantiam annotans, quàm ipſe qui torturæ corpus offerebat.

Verſ.18.19. Poſt hunc ducebant ſextum, & is mori incipiens, ſic ait: Noli fruſtra errare, &c. Noli ô Rex in errorem induci, exiſtimans nos eſſe infelices, aut Deo exoſos, quod tam diris tormentis afficiamur: te autem, quia nihil aduerſi pateris, felicem eſſe, ac Numini charum. Nos enim in bonum noſtrum hæc tormenta patimur, ſane digna alioquin admiratione. Quia per illa Deo ſatisfacimus pro peccatis, quibus illum offendimus. Tibi autem tua ſcelera in hoc ſæculo manent impunita, ſed

Felix peccator, qui in hoc ſæculo punitur.

tanto dirius in futuro punienda. * Felicem te exiſtima, ô peccator, cum te Deus in præſenti laboribus dignatur atterere, nec patiens, dum peccas ad futurum ſæculum protrahit

Infelix peccatoris hic incolumitas.

ſupplicium.] Et infelicem admodum duc peccatorem, quem hîc ab omni cruciatu alienum aſpexeris. Præſens enim illa incolumitas æternæ infelicitatis eſt argumentum.]

Verſ.20.21.22.23. Supra modum autem mater mirabilis, &c. Mater Machabæorum verè Machabea, ſeu animi fortitudine, ac celſitudine præſtantiſſima, patria lingua dicebat: Vitam, qua propter legis obſeruationem ſpoliamini, non perditis, ſed traditis Deo cuſtodiendæ. Deus enim qui in vtero meo vos ſpiritu & vita donauit corruptibili, in die nouiſſimo redonabit dona æterna.

Verſ. 24.25.26. Antiochus autem contemni ſe arbitratus, &c. Antiochus autem iudicans ſe contemptibilem exponi, qui non potuerit adoleſcentum ſex conſtantiam infirmare exprobrationibus & tormentis, deſpecta ſeu reiecta ex-

R.P. Ant. de Eſc. & Mend. SS. in Scr. tom. VII. p. 2.

probrantis inutili voce, & rogantis ac lenientis aſſumpta, cum iuramento ſpondet ſe adoleſcenti ſeptimo adhuc ſuperſtiti futurum vere amicum, & ei *res neceſſarias præbiturum* Græcè, ſe, *ei crediturum negotia ſua,* id eſt, ſe illum habiturum inter primos officiales ſuos, ſi ad Gentilitios ritus ei transferibilibus erit. Itaque

Idem eſt officium Regia adminiſtrare ac abundare opibus.

ei res neceſſarias præbere, idem eſt, ac credere ei negotia, vel officialem ſuum eum conſtituere. Huiuſmodi enim Regni officiales & neceſſariis & ſuperfluis abundant.] *Sed ad hæc cum adoleſcens nequaquam inclinaretur, vocauit Rex matrem, & ſuadebat ei, vt adoleſcenti fieret in ſalutem,* id eſt, vt eum ad Regis voluntatem alliciens, à nece liberaret. *Cum autem multis eam verbis eſſet hortatus, promiſit ſuaſuram ſe filio ſuo.* Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria voce: Fili mi, miſerere mei, quæ te in vtero nouem menſibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem iſtam *perduxi.* Miſerere inquam, mei, nè fœda apoſtaſia miſeram tuam matrem excrucies. * Preme illud:

Filij à matre lactentur.

Et lac triennio dedi. Pro ſpeciali gratitudinis motiuo memorat, ſe illum lactaſſe, nec alienis vberibus tradidiſſe. Sapientum enim opinio

Cum lacte pueri ſolent nutricij mores bibere.

eſt, materna vbera & nati valetudini & motibus influxum exhibere.] Vndè conſtantia ac pietas Machabæorum maternæ pietatis & conſtantiæ præſtantiam ſapiebant.] Peto nate, vt aſpicias ad cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: ità fiet, vt non timeas carnificem iſtum, ſed dignus fratribus tuis effectus particeps, ſuſcipe mortem, vt in illa miſeratione cum *fratribus tuis te recipiam.* A te petij, vt mei miſerereris, te morti conſtanter offerendo, vt particeps fieres fratrum triumphi. Si hac miſeratione me donare volueris, te cum fratribus iam à me receptis etiam felix recipiam. * Mirabilis nam-

Quod Deo offerimus id verè recipimus.

que mater tunc verè putat ſe filios recipere, cum eos Deo in holocauſtum videt offerri.] *Cum hæc illa adhuc diceret, ait adoleſcens: Quem ſuſtinetis?* ſeu qualem me expectatis? Certè non alium, quàm quales reliquos fratres meos experti eſtis, me experiemini. Vndè *non obedio præcepto Regis, &c. Nam fratres mei modico nunc dolore ſuſtentato, ſub teſtamento æternæ vitæ effecti ſunt: tu verò iudicio Dei iuſtas ſuperbia tua pœnas exſolues.* Fratres mei modico nunc tolerato labore, *ſub teſtamento æternæ vitæ facti ſunt,* id eſt, fruuntur iam vita æterna & immortali ex pacto, & fœdere diuino fidelibus promiſſa, ſuoque tempore fruentur & gloria. *Ego autem ſicut & fratres mei animam & corpus meum trado pro patriis legibus. &c.*

Verſ.39.40.41.42. Tunc Rex accenſus ira in hunc ſuper omnes crudelius deſæuit, indignè ferens, ſe deriſum. Et hic itaque mundus, ſeu purus admodum *obiit,* nullum vel leue piaculum ex impatientia, ira, aut vindictæ deſiderio admittens, *per omnia in Domino confidens. Nouiſſimè autem poſt filios & mater conſumpta eſt.* * Non dixit;

Mater quaſi viuit, & moritur in filiis.

cæſa eſt, ſed *conſumpta.* Vita enim matris in ſeptem filiis quaſi diuiſa erat, & in ſingulis filiis parta quodammodo piæ fœminæ moriente, nouiſſime occumbente ſeptimo filio, & ipſa omnino conſumpta fuit.] *

Lethale vulnus eſt matri videre filij necem.

Profectò licet gladius tyranni illam non vulneraſſet, vt non ſemel, ſed septies dirè

Deiparæ martyriū ex Ieſu patientis & morientis aſpectione.

moreretur ſufficeret ſeptem filiorum vidiſſe martyrium.] * Vt hinc Virginis Deiparentis dirum admodum martyrium meditere, Chriſtum vtique dilectiſſimi filij crudeliſſimam mortem aſpectantis.] Machabæorum fratrum, & Machabææ matris plurima, ac perilluſtria encomia apud Serarium noſtrum exarata reperies. *Igitur de ſacrificiis, & de nimiis crudelitatibus ſatis dictum eſt.*

CAPVT VIII.

Iudas Machabæus grauiter Gentiles affligit. Nicanorem, Timotheum, & Bacchidem ſuperat. Supplicio Calliſthenem afficit. Nicanor turpem fugam arripiens, apud ſuos Dei potentiam peruulgat.

1. IVDAS verò Machabæus, & qui cum illo erant, introibant
latenter in caſtella: & conuocantes cognatos & amicos; &
eos qui permanſerunt in Iudaiſmo, aſſumentes eduxerunt
ad ſe ſex millia virorum. 2. Et inuocabant Dominum, vt
reſpiceret in populum, qui ab omnibus calcabatur: & miſe-
reretur templo, quod contaminabatur ab impiis: 3. miſe-
reretur etiam exterminio ciuitatis, quæ eſſet illicò compla-
nanda, & vocem ſanguinis ad ſe clamantis audiret: 4. Memoretur quoque ini-
quiſſimas mortes paruulorum innocentum, & blaſphemias nomini ſuo illatas, & in-
dignaretur ſuper his. 5. At Machabæus, congregata multitudine, intolerabilis
gentibus efficiebatur: ira enim Domini in miſericordiam conuerſa eſt. 6. Et ſu-
perueniens caſtellis & ciuitatibus improuiſus, ſuccendebat eas: & opportuna loca
occupans, non paucas hoſtium ſtrages dabat: 7. maximè autem noctibus ad hu-
iuſcemodi excurſus ferebatur, & fama virtutis eius vbique diffundebatur. 8. Vi-
dens autem Philippus paulatim virum ad profectum venire, ac frequentiùs res ei
cedere proſperè, ad Ptolemæum ducem Cœleſyriæ & Phœnicis ſcripſit, vt auxilium
ferret regis negotiis. 9. At ille velociter miſit Nicanorem Patrocli de primoribus
amicum, datis ei de permiſtis gentibus, armatis non minùs viginti millibus, vt vni-
uerſum Iudæorum genus deleret, adiuncto ei & Gorgia viro militari, & in bellicis
rebus experientiſſimo. 10. Conſtituit autem Nicanor, vt regi tributum, quod Ro-
manis erat dandum, duo millia talentorum, de captiuitate Iudæorum ſuppleret:
11. ſtatímque ad maritimas ciuitates miſit, conuocans ad coemptionem Iudaico-
rum mancipiorum, promittens ſe nonaginta mancipia talento diſtracturum, non re-
ſpiciens ad vindictam, quæ eum ab Omnipotente eſſet conſecutura. 12. Iudas au-
tem vbi comperit, indicauit his qui ſecum erant Iudæis, Nicanoris aduentum. 13. Ex
quibus quidam formidantes, & non credentes Dei iuſtitiæ, & in fugam vertebantur:
14. alij verò ſi quid ei ſupererat vendebant, ſimúlque Dominum deprecabantur,
vt eriperet eos ab impio Nicanore, qui eos, priuſquam cominus veniret, vendide-
rat, 15. & ſi non propter eos, propter teſtamentum tamen quod erat ad patres
eorum, & propter inuocationem ſancti & magnifici nominis eius ſuper ipſos.
16. Conuocatis autem Machabæus ſeptem millibus, qui cum ipſo erant, roga-
bat ne hoſtibus reconciliarentur, neque metuerent iniquè venientium aduerſum
ſe hoſtium multitudinem, ſed fortiter contenderent, 17. ante oculos habentes
contumeliam, quæ loco ſancto ab his iniuſtè eſſet illata, itémque & ludibrio ha-
bitæ ciuitatis iniuriam, adhuc etiam veterum inſtituta conuulſa. 18. Nam illi
quidem armis confidunt, ait, ſimul & audacia: nos autem in omnipotente Domi-
no, qui poteſt & venientes aduerſum nos, & vniuerſum mundum vno nutu dele-
re, confidimus. 19. Admonuit autem eos & de auxiliis Dei, quæ facta ſunt erga
parentes: & quòd ſub Sennacherib centum octogintaquinque millia perierunt:
20. & de prælio, quod eis aduerſus Galatas fuit in Babylonia, vt omnes, vbi ad
rem ventum eſt, Macedonibus ſociis hæſitantibus, ipſi ſex millia ſoli peremerunt
centum viginti millia, propter auxilium illis datum de cælo, & beneficia pro his
plurima conſecuti ſunt. 21. His verbis conſtantes effecti ſunt, & pro legibus &
patria mori parati. 22. Conſtituit itaque fratres ſuos duces vtrique ordini, Si-
monem,

monem, & Ioſephum, & Ionathan, ſubiectis vnicuique millenis & quingentis.
23. Ad hoc etiam ab Eſdra lecto illis ſancto libro, & dato ſigno adiutorij Dei, in
prima acie ipſe dux commiſit cum Nicanore. 24. Et facto ſibi adiutore Omnipo-
tente, interfecerunt ſuper nouem millia hominum: maiorem autem partem exer-
citus Nicanoris vulneribus debilem factam fugere compulerunt. 25. Pecuniis
verò eorum, qui ad emptionem ipſorum venerant, ſublatis, ipſos vſquequaque
perſecuti ſunt, 26. ſed reuerſi ſunt hora concluſi: nam erat ante ſabbatum: quam
ob cauſam non perſeuerauerunt inſequentes. 27. Arma autem ipſorum & ſpolia
congregantes ſabbatum agebant: benedicentes Dominum, qui liberauit eos in illo
die, miſericordiæ initium ſtillans in eos. 28. Poſt ſabbatum verò, debilibus, &
orphanis, & viduis diuiſerunt ſpolia: & reſidua ipſi cum ſuis habuere. 29. His ita-
que geſtis, & communiter ab omnibus facta obſecratione, miſericordem Domi-
num poſtulabant, vt in finem ſeruis ſuis reconciliaretur. 30. Et ex his, qui cum
Timotheo & Baccide erant contra ſe contendentes, ſuper viginti millia interfece-
runt, & munitiones excelſas obtinuerunt: & plures prædas diuiſerunt, æquam por-
tionem debilibus, pupillis, & viduis, ſed & ſenioribus facientes. 31. Et cùm ar-
ma eorum diligenter collegiſſent, omnia compoſuerunt in locis opportunis, reſidua
verò ſpolia Ieroſolymam detulerunt: 32. & Philarchen, qui cum Timotheo
erat, interfecerunt, virum ſceleſtum, qui in multis Iudæos afflixerat. 33. Et
cùm epinicia agerent Ieroſolymis, eum, qui ſacras ianuas incenderat; id eſt,
Calliſthenen, cùm in quoddam domicilium refugiſſet, incenderunt, digna ei mer-
cede pro impietatibus ſuis reddita. 34. Facinoroſiſſimus autem Nicanor, qui
mille negotiantes ad Iudæorum venditionem adduxerat, 35. humiliatus auxilio
Domini, ab his quos nullos exiſtimauerat, depoſita veſte gloriæ, per mediterra-
nea fugiens, ſolus venit Antiochiam, ſummam in felicitatem de interitu ſui exer-
citus conſecutus. 36. Et qui promiſerat Romanis ſe tributum reſtituere de
captiuitate Ieroſolymorum, prædicabat nunc protectorem Deum habere Iu-
dæos, & ob ipſum inuulnerabiles eſſe, eo quod ſequerentur leges ab ipſo conſti-
tutas.

COMMENTARII.

I. *Iudas Gentiles affligit, Timotheum, Nicanorem, & alios vincit.* Initiū expeditionis bellicæ ab oratione ducendum. Sit belli cauſa populi defenſio, vel Deo illatam iniuriam reſarcire.

VERS. 1.2.3.4 *Iudas verò Machabæus, &c. & miſeretur Templo, quod contaminabatur*, ſeu profanabatur, *ab impiis.* * Edocet, pius Iudas, initium bellicæ expeditionis à precibus, ducendum. * Oſtendit item, cauſam arripiendi arma, & inſtituendi bella debere eſſe vel populi defenſionem, vel ſtudium Deo, aut Eccleſiæ illatam iniuriam reſarciendi. Ideo Deum illi precantur, vt reſpiceret in attritam Iudæam, & Templo profanato miſereretur.] *Miſeretur etiam exterminio Ciuitatis, quæ eſſet illico complananda*, ſeu ſolo æquanda: *& vocem ſanguinis* tot ciuium cæſorum *ad ſe clamantem audiret, &c.* * Tanta enim eſt Dei patientia ad tolerandos peccatores, vt quodammodo neceſſarium ſit cum iuſtos enixe precari, vt iraſcatur.]

Tanta eſt Dei patientia ad tolerandum peccatores, vt quodammodo neceſſarium ſit cum precari, vt iraſcatur.

Verſ. 5.6.7. At Machabæus congregata multitudine, intolerabilis Gentibus efficiebatur, eos vndique intermiſſione diuexans; *ira enim Domini in miſericordiam conuerſa eſt.* Vnde imminui cœperunt flagella, quibus ſuum ante ſæuiebat in populum. Et hoc eſt, quod vltimus ſeptem fratrum cap. præcedenti verſ. 38 promiſerat, quod *in ſe fratribus ſuis.* hoc eſt, cum martyrio & morte ſua, ſuorumque fratrum *deſineret Omnipotentis ira* in Iudæos graſſari. Adeò enim validas vires exerit ſanguis pro religione effuſus, vt valeat Omnipotentis brachia contra impios intenta innumeros illigare.] *Et ſuperueniens caſtellis, & ciuitatibus improuiſus, ſuccendebat eas, &c.*

Martyrum ſanguis Dei brachia contra impios intenta illigat, & exarmat.

Verſ. 8, 9. 10. 11. Videns autem Philippus, paulatim virum ad profectum venire, &c. Philippus, qui ab Antiocho Ieroſolymis Præfectus erat (cap. 5. 22.) videns Iudam Machabæum paulatim proficere. * (Profectus *paulatim* ductus ſtabilis procul dubio eſt, nihil repentè adultum ſtabile exponitur.) & maiores vires acquirere in dies; opem implorat Ptolemei Ducis Cœleſyriæ: à quo Nicanorem Patrocli filium, itemque Gorgiam impetrat cum nationum promiſcuarum viginti millibus. Sed longè plura millia poſtmodum acceſſere. (1. Mach. 3. 38. & 41.) His copiis præfiſus Nicanor Tyriis Sidoniis, aliiſque maritimarum Vrbium mercatoribus in caſtra euocatis, promittit, ſe nonaginta Iudaica mancipia talento vno, vtique argenteo Attico, id eſt quingentis aureis ſcutis diſtracturum. Nempe vix quinque ſcuta cum dimidio pro ſingulis capitibus exegiſſet: cum paulo antè Hyrcanus quidam vnicum adoleſcentulum vno talento, & vnicam puellam vno talento coëmiſſet, auctore Ioſepho lib. 12. Antiq. cap. 4. Hæc quidem bilem excitarunt pleriſque Iudæis fortioribus.

Profectus paulatim ductus ſtabilis eſt.

Verſ. 12. 13. 14. 15. Iudas autem vbi comperit, indicans, &c. id eſt, iuſtam à Deo vindictam faciendam: *in fugam vertebantur: alij verò ſi quid ei ſupererat, vendebant, &c.* Certè animoſiores illi, quo expeditiores eſſent ad certamina, vendebant, ſi quid adhuc bonorum eis domi ſupererat; volebant enim toti vacare militiæ. * Spirituales pugnæ edocent agoni-

ſtas,

Ad ſpiritualem pugnam nuditas neceſſaria.

ſtas, nuditatem ad victoriam de inuiſibili hoſte proficere.] Vt autem Deum magis propitium redderent, ei obiiciunt pactum ab ipſo eum patribus initium: & quod populus eius peculiaris dicerentur.

Verſ.16.17.18.19.20. Conuocatis autem Machabaeus ſeptem millibus, &c. Porrò pro *ſeptem millibus*, in Græco eſt, *ſex millia.* Et ita requirere videtur verſ. 1. & 22. huius capitis. *Nam illi quidem armis confidunt, ait ſimul & audacia, &c.* In Babylonica facer exercitus conſtans ex ſex millibus (Græcè ex *octo millibus*) militum, prælium aduerſus Galatas inſtituit, & hoſtium centum viginti millia peremit; quo nomine Iudæi plurima beneficia conſecuti ſunt à Rege (exiſtimo hoc ſub Antiocho primo, cui cognomen *Soter*, contigiſſe.) Nam de hoc ſcribit Appianus in Syriacis, eum Galatas ex Europa in Aſiam irruentes eieciſſe. Quo vtique nomine conſecuti ſunt ingentes honores, & priuilegia, quæ tum ab Antiocho Sotere tum ab eius filio Antiocho Deo aſſecutos fuiſſe Ioſephus ſcribit lib.12. Antiq. cap.3.

Verſ.21.22.23.24.25.26. 27.28. His verbis conſtantes effecti ſunt, & pro legibus, & patria mori parati. Conſtituit itaque fratres ſuos Duces vtrique ordini, Simonem, & Ioſephum, & Ionatham ſubiectis vnicuique millenis, &c. Ioſephus frater Iudæ Serario idem eſt, ac Ioannes, (1. Mach. 2.2.) In Græco adiicitur etiam verſ. 23. Eleazarus quartus Iudæ frater; nam pro verbis his: *Ad hoc etiam ab Eſdra*, ex Græco quidam vertunt. *Adhuc etiam Eleazarum*, ſupple præfecit Iudas ſimili modo mille quingentis viris. Tum noua periodo inchoant verſiculum 23. Iudas Pontifex lecto ſociis ſuis ſancto libro Deuteronomij, quo Deus timentibus ſe victoriam promittit; & ſigno belli dato ſub teſſera militari, nempe *Auxilium ſuis Deus*, ipſe Dux Iudas in prima acie init cum Nicanore prælium, alterius partis ſupremo Duce: è cuius exercitu nouem millia cadunt, reliqui in fugam diſtrahuntur. *Pecuniis verè eorum, qui ad emptionem ipſorum venerant, ſublatis, ipſos vſquequaque perſecuti ſunt: ſed reuerſi ſunt hora concluſi, &c.* Porrò ne ad omnium internecionem Iudæi proſequerentur, præpediti fuerunt *hora*, ſeu crepuſculo veſpertino, Sabbati ingruente, quo concluſi propter feſti diei reuerentiam à perſequendis hoſtibus in ſua fuere caſtra reuerſi. * Vndè habes victorias non adſcribi militum multitudini, ſed Omnipotentis auxilio, ad quod aſſequendum neceſſaria eſt in exercitu diuinæ legis obſeruatio. Quomodò enim Deus ex legibus militibus opportunum exhibebit auxilium, ſi cum hoſte certantes, ſimul cum Deo hoſtiliter decertant.] *Arma autem ipſorum, & ſpolia congregantes, Sabbatum agebant: benedicentes Dominum, qui liberauit eos in iſte die miſericordia initium ſtillans in eos.* Tanta enim diuinæ miſericordiæ vis, vt magnum illud mirabilis illius miſericordiæ beneficium *ſtilla*, vocitetur.] * *Initium* autem miſericordiæ Deus ſtillauit; hoc enim primum beneficium alia innumera fuere ſecuta. Vnum namque beneficium collatum iuſtis plurima alia conferendi Deum efficiunt quodammodo debitorem.] *Poſt Sabbatum vero debilibus, & orphanis, & viduis diuiſerunt ſpolia, &c.* Si ſpolia egentibus & viduis diuiſerunt: quomodo reſiduis Duces, & milites potiuntur? Certè ex ſpoliis partem pauperibus diuiſerunt, partem ſibi reſeruarunt. At ſi *tò Diuiſerunt ſpolia* de omnibus ſpoliis hoſtibus ereptis libeat intelligere: reſidua ſpolia ſibi adſcripſere. Quod enim pauperibus datur, non amittitur, ſed verè retinetur.] O æterna memoria factum digniſſimum! O milites non milites, quos vtinam Chriſticolæ imitarentur.

Victoriæ non militum multitudini, ſed Dei auxilio adſcribuntur.

Ad hoc aſſequendum neceſſum eſt, milites eſſe legis obſeruatores.

Immenſa diuinæ miſericordiæ vis.

Vnum beneficium collatũ iuſto, plura alia conferendi Deũ faciunt debitorem.

Quod pauperibus datur, non amittitur, ſed retinetur.

Verſ. 29. 30. 31. 32. His itaque geſtis, &c. Rogant exinde Deum, vt ſeruis propitius eſſe pergat in finem, id eſt, perpetuò ad plenam vſque à iugo hoſtili liberationem. * Priuſquam prima victoria Hebræi à Domino donarentur, orauerunt, & fructum orationis triumphum aſſequuntur. Vt autem plenam ab hoſtili iugo liberationem obtineant, rurſus deprecantur. Vult enim Deus vt cuncta ab eo accipienda dona fructus ſint orationis.] *Et ex his, qui cum Timotheo, & Bacchide erant contra ſe contendentes ſuper viginti millia interfecerunt, &c.* Hoc quidem eſt aliud certamen Iudæ cum Timotheo, & Bacchide, quod paucis, & ſine annotatione certi temporis recenſetur. *Et Philarchen, qui cum Timotheo erat, interfecerunt, &c.*

Vult Deus, vt omnia ab eo accipienda beneficia fructus ſint orationis.

Verſ. 33. 34. 35. 36. Et cum epinicia agerent Ieroſolymis, id eſt, feſta, ac celebritates pro reportato triumpho, *eum, qui ſacras ianuas incenderat, &c.* * Qui incenderat itaque incenditur. Aſſolet enim Deus in ſupplicio inferendo modum, ſeu genus eius ab impiis edoceri.] *Facinoroſiſſimus autem Nicanor, qui mille negotiantes ad Iudæorum venditionem adduxerat, humiliatus auxilio Domini*, quo Hebræos donauerat, vt vincerent, *ab his, quos nullos exiſtimauerat, &c. Et qui promiſerat Romanis, ſe tributum reſtituere de captiuitate Ieroſolymorum*, ſeu de Hebræis Solymitanis, quos captiuos, ac tributarios cogitauit efficere. : *prædicabat nunc*, val inuitus, *protectorem Deum habere Iudæos, &c.* * Si Chriſtiani milites verè ſint diuinæ legis obſeruatores, pauci quidem ad ſuperandos hoſtiles exercitus erunt innumerabiles.]

Deus ab impiis edocetur ſupplicij inferendi eius genus.

Pauci Chriſtiani milites legis cuſtodes erunt hoſti velut innumerabiles.

CAPVT

CAPVT IX.

Antiochus impius, & blaſphemus à vermibus corroſus in Babylonia ex-
tinguitur.

1. EODEM tempore Antiochus inhoneſtè reuertebatur de
Perſide. 2. Intrauerat enim in eam, quæ dicitur Perſepo-
lis, & tentauit expoliare templum, & ciuitatem oppri-
mere: ſed multitudine ad arma concurrente, in fugam con-
uerſi ſunt: & ita contigit vt Antiochus poſt fugam turpiter
rediret. 3. Et cùm veniſſet circa Ecbatanam, recognouit
quæ erga Nicanorem & Timotheum geſta ſunt. 4. Elatus
autem in ira, arbitrabatur ſe, iniuriam illorum qui ſe fugauerant, poſſe in Iu-
dæos retorquere; ideóque iuſſit agitari currum ſuum, ſine intermiſſione agens iter,
cœleſti eum iudicio perurgente, eò quòd ita ſuperbè locutus eſt ſe venturum Ieto-
ſolymam, & congeriem ſepulchri Iudæorum eam facturum. 5. Sed qui vniuerſa
conſpicit Dominus Deus Iſraël, percuſſit eum inſanabili & inuiſibili plaga. Vt enim
finiuit hunc ipſum ſermonem, apprehendit eum dolor dirus viſcerum, & amara in-
ternorum tormenta: 6. & quidem ſatis iuſtè, quippe qui multis & nouis crucia-
tibus aliorum torſerat viſcera, licèt ille nullo modo à ſua malitia ceſſaret. 7. Super
hoc autem ſuperbia repletus, ignem ſpirans animo in Iudæos, & præcipiens acce-
lerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis
colliſione membra vexari. 8. Iſque qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris impe-
rare, ſupra humanum modum ſuperbia repletus, & montium altitudines in ſtatera
appendere, nunc humiliatus ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei
virtutem in ſemetipſo conteſtans: 9. ita vt de corpore impij vermes ſcaturi-
rent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius & fœtore
exercitus grauaretur. 10. & qui paulò antè ſidera cœli contingere ſe arbitrabatur,
eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. 11. Hinc igitur cœpit
ex graui ſuperbia deductus ad agnitionem ſui venire, diuina admonitus plaga, per
momenta ſingula doloribus ſuis augmenta capientibus. 12. & cùm nec ipſe
iam fœtorem ſuum ferre poſſet, ita ait: Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & Morta-
lem non paria Deo ſentire. 13. Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo
non eſſet miſericordiam conſecuturus. 14. Et ciuitatem, ad quam feſtinans
veniebat vt eam ad ſolum deduceret, ac ſepulchrum congeſtorum faceret, nunc
optat liberam reddere: 15. & Iudæos, quos nec ſepultura quidem ſe dignos habi-
turum, ſed auibus ac feris diripiendos traditurum, & cum paruulis exterminaturum
dixerat, æquales nunc Athenienſibus facturum pollicetur: 16. templum etiam
ſanctum, quod priùs expoliauerat, optimis donis ornaturum, & ſancta vaſa mul-
tiplicaturum, & pertinentes ad ſacrificia ſumptus de reditibus ſuis præſtaturum:
17. ſuper hæc, & Iudæum ſe futurum, & omnem locum terræ perambulatu-
rum, & prædicaturum Dei poteſtatem. 18. Sed non ceſſantibus doloribus (ſu-
peruenerat enim in eum iuſtum Dei iudicium) deſperans ſcripſit ad Iudæos in mo-
dum deprecationis epiſtolam hæc continentem: 19. OPTIMIS ciuibus Iu-
dæis plurimam ſalutem, & benè valere, & eſſe felices, rex & princeps Antio-
chus. 20. Si benè valetis, & filij veſtri, & ex ſententia vobis cuncta ſunt, maxi-
mas agimus gratias. 21. Et ego in infirmitate conſtitutus, veſtri autem memor be-
nignè, reuerſus de Perſidis locis, & infirmitate graui apprehenſus, neceſſarium
duxi pro communi vtilitate curam habere: 22. non deſperans memetipſum, ſed
ſpem multam habens effugiendi infirmitatem. 23. Reſpiciens autem quod &
pater meus, quibus temporibus in locis ſuperioribus ducebat exercitum, oſtendit
qui poſt ſe ſuſciperet principatum: 24. vt ſi quid contrarium accideret, aut diffici-
le nuntiaretur, ſcientes hi qui in regionibus erant, cui eſſet rerum ſumma derelicta,
non turbarentur. 25. Ad hæc conſiderans de proximo potentes quoſque & vicinos

tempori

temporibus inſidiantes, & euentum expectantes, deſignaui filium meum Antiochum regem, quem ſæpè recurrens in ſuperiora regna multis veſtrùm commendabam: & ſcripſi ad eum quæ ſubiecta ſunt. 26. Oro itaque vos & peto, memores beneficiorum publicè & priuatim, vt vnuſquiſque conſeruet fidem ad me & ad filium meum. 27. Confido enim, eum modeſtè & humanè acturum, & ſequentem propoſitum meum, & communem vobis fore. 28. Igitur homicida & blaſphemus peſſimè percuſſus, & vt ipſe alios tractauerat, peregrè in montibus miſerabili obitu vita functus eſt. 29. Transferebat autem corpus Philippus collactaneus eius, qui metuens filium Antiochi, ad Ptolemæum Philometorem in Ægyptum abijt.

COMMENTARII.

I.

Mors Antiochi fuſius, quàm Mach 6. perſtricta ſuit, narratur.

VERS. 1. 2. 3. 4. *Eodem tempore Antiochus inhoneſte reuertebatur de Perſide, &c.* Circa Ecbatanam Perſidis Vrbem nobiliſſimam audiit ex nuncijs & litteris Antiochus ſnotum fugam Lyſiæ (1. Mach. 6. 6.) Nicanoris, ac Timothei: & ita accenſus vindictam minatur.

Verſ. 5. 6. 7. Sed qui vniuerſa reſpicit Deus Iſraël, percuſſit eum inſanabili, & inuiſibili plaga. * Plaga inuiſibilis prorſus inſanabilis, quia Medici oculos, & mentem fugit cauſa languoris. Quod ſpeciatim in ſpiritus morbis experimur. Nam ſi æger inuiſibilem morbum non manifeſtat, ſine medicamine perit. Ideò Dauid. *Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea.*] *Vt enim finiuit* hunc ipſum ſermonem, (nempè, *ſe venturum Ieroſolymam, &c.*) *apprehendit eum dolor dirus viſcerum, & amara internorum tormenta.*

Plaga ſpiritus, quæ non exponitur ſpirituali Medico, omnino inſanabilis.

* Ad properam enim vindictam Deum admodùm excitat ſuperba impiorum locutio.] *Et quidem ſatis iuſte, quippè qui multis, & nouis cruciatibus aliorum torſerat viſcera, licet ille nullo modo à ſua malitia ceſſaret.* Nouus itaque torquendi modus à Deo quaſi adinuentus eſt, ad affligendum Antiochum eo quod ipſe *nouis cruciatibus* curauit Iudæorum viſcera contorquere. Deus enim modo malitiæ punitionis modum accommodat.] Inſanabilem illam plagam Doctores affirmant teterrimam melancholicam, & cholicam fuiſſe paſſionem. Et quidem melancholia hipocondriaca vincit (ſi expertis credendum) cuiuſuis ægritudinis diritatem.

Ad properã vindictã Deũ excitat ſuperba impij locutio.

Malitiæ modo Deus ſupplicij modũ accõmodat.

* Iuſtè fuit illi inflicta huiuſmodi melancholia, qui tyrannide dira ſideribus tantæ triſtitiæ dedidit occaſionem.] *Super hoc autem ſuperbia repletus, ignem ſpirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit, illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis colliſione, membra vexari.* Iubens Rex accelerari profectionis negotium, vt primo quoque tempore omnem ſuam in Iudæos iram poſſet effundere: dum auriga currum violentius rapit, excutitur Rex, terræ illiditur, & grauiſſimè læditur.

Melancholia punitur, qui alijs cauſa triſtitiæ fuit.

* Et quando, quæſo, properas ad malitiam non impingit?]

Properans ad malum, ſemper impingit.

Verſ. 8. 9. 10. Iſque, qui ſibi videbatur, etiam fluctibus maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbia repletus, & montium altitudines in ſtatera appendere: nunc humiliatus ad terram, in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſemetipſo conteſtans: ità vt de corpore impij vermes ſcaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius, & fœtore exercitus grauaretur: & qui paulo ante ſidera contingere ſe arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. E vulneribus, quæ lapſus ille contraxerat, vermes ſcaturiunt, & pediculi, carnes putrefactæ defluunt, tanta graueolentia, vt iam à proprijs famulis deportari non poſſet. Legi, grauiſſimos olim peccatores diuinitus hoc pediculari ſupplicio affectos fuiſſe, nempe Herodem Aſcalonitam, & Agrippam, Maximianum, Iulianum, Hunericum Vuandalorum Regem, & hæreticum Caluinum.

Verſ. 11. 12. 13. Hinc igitur cœpit ex graui ſuperbia deductus agnitionem ſui venire, diuina admonitus plaga, per momenta ſingula doloribus ſuis augmenta capientibus. Hoc morbo, hoc fœtore intolerabili tandem in prouinciam Babylonis deuehitur: vbi auctis notabiliter doloribus, cœpit è ſuperbiæ tenebris emergere, & ad ſuæ fragilitatis agnatæ venire cognitionem, videns ſe hominem eſſe miſerum, non Deum. * Et quidem ægritudines Dei beneficio nobis inflictæ nos cogunt erecta vanitatis ſupercilia deprimere.] *& cum nec ipſe iam fœtorem ſuum ferre poſſet, ita ait: Iuſtum eſt, ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire. Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Quia non verè, & ex animo, ſed fictè, & ſimulatè orabat, ac pœnitentiam agebat: hoc vnum quærens, vt à doloribus liberaretur, nihilo melius futurus, ſi conualuiſſet.

Ægritudines faciunt nos à ſuperbiæ excidere ſomniata celſitudine.

* Hinc quidem ſuſpectam habe pœnitentiam illius, qui vſque ad mortis articulum eum diſtulit; Sæpe enim illam ægritudinis dolores extrahunt, non dolor de peccatis.] * Signanter vero dicitur, *Orabat hic ſceleſtus Dominum.* Non iuſtus, ſed ſceleſtus orat, & ideò miſericordiam non aſſequitur. Efficax admodum eſt oratio peccatoris conuerſi iam ad Dominum, ſed non illius, qui manens adhuc ſceleſtus deprecatur.] Simile de Eſau dicit Paulus Hebr. 12. ſcilicet, *non inueniſſe pœnitentiæ locum, & ſi cum lacrymis inquiſiſſet eam, &c.* Pœnitentia enim talis non eſt de offenſo Deo, ſed de terrenis bonis amiſſis, ſeu de malis perpeſſis.

Suſpectã habe pœnitentiam, quam ægritudinis dolores.

Oratio illius, qui ſceleſtus manet, dum orat, inefficax eſt.

Verſ. 14. 15. 16. 17. Et Ciuitatem Ieroſolymam, *ad quam feſtinans veniebat, vt eam ad ſolum deduceret, ac ſepulchrum congeſtorum* cadauerum *faceret, nunc optat liberam reddere; & Iudæos, quos neque ſepultura quidem ſe dignos habiturum, ſed auibus ac feris diripiendos traditurum, & cum paruulis exterminaturum, dixerat: æquales nunc Athenienſibus factum pollicetur.* Pari animo (ficto quidem) Iudæis promittit, ſeipſos Athenienſibus facturum æquales, nempe vt proprijs legibus, proprijſque inſtitutis viuere ſinerentur. Quo nil felicius Iudæis accidere poſſe, Antiochus

chus ſciebat. *Templum etiam ſanctum; quod prius ſpoliauerat, optimis donis ornaturum, & ſancta vaſa multiplicaturum, & pertinentes ad ſacrificia ſumptus de redditibus ſuis præſtaturum: ſuper hæc, & Iudæum ſe futurum, & omnem locum terræ perambulaturum: & prædicaturum Dei poteſtatem.* Si ex animo Rex hæc Deo polliceretur, incunctanter ad Templum dona illa immitteret, ſeu ſaltem de eis diuitiis, quas à Templo abſtulerat, reſtitutionem illico ageret. Hinc illam promiſſionem ſuſpectam duxerim. * Sicut & diſpoſitionem iubentis in teſtamento ablata à ſe reſtitui poſt obitum, cum viuens adhuc poſſit ea reſtituere, nec curam eam dimittere heredibus.] * Qui nihil prius dant obliuioni, quam pro defuncti debitis in teſtamento expreſſis ſatisfacere.]

Suſpecta eſt reſtitutio facienda ſi iuſſa in teſtamento, cùm viuens adhuc poſſis eam facere.

Difficile heres reſtituit defuncti debitum.

Verſ. 18. 19. 20. 21. 22. Sed non ceſſantibus doloribus, (ſuperuenerat enim in eum iuſtum Dei iudicium) deſperans ſcripſit ad Iudæos in modum deprecationis epiſtolam hæc continentem: Optimis ciuibus Iudæis plurimam ſalutem, &c. Gratias agit Deo de Iudæorum felicitate, ſed fictè. Memorem ſe, ait, Iudæorum, & quidem *benignè*, ſeu beneuolo animo; ſed verbis haud reſpondet affectus.

Verſ. 23. 24. 25. 26. 27. Reſpiciens autem quod & pater meus, &c. Ad hæc conſiderans de proximo, potentes quoſque, & vicinos temporibus inſidiantes, & euentum expectantes, deſignaui filium meum Antiochum Regem, &c. Commendans ſeſe Iudæis ſæpè, ait filium ſuum Antiochum poſtea dictum Eupatorem: viciſſimque ſe iam commendare illi Iudæos ſubiecta, ſeu annexa his ad eum ſingulari epiſtola. Meminit verò beneficiorum publicè & priuatim in Iudæos ad ſe collatorum. Sed mendaciter omnia, cum conſtet, ipſum perpetuò horribilem Iudæis hoſtem extitiſſe. Confidere ſe ait filium ſuum Iudæis fore *communem*, ſeu comem, benignum, beneuolum: ſequentem vtique propoſitum patris. Si intelligat, filium parentis mores imitaturum benignos, & clementes, inſigniter mentitur: Si impios & crudeles, nimis verè loquitur, vt infra patebit. * At ſi confidit, filium benignum Iudæis fore, quia id ipſe illi quaſi teſtamento commendat, omninò de bono effectu deſperandum. Raro enim filij exequuntur, quæ à parentibus in teſtamento legata accipiunt.]

Raro filij exſequuntur, quæ eis à parentibus in teſtamento gerenda iubentur.

Verſ. 28. 29. Igitur homicida, & blaſphemus peſſimè percuſſus, & vt ipſe alios tractauerat, peregrè in montibus miſerabili obitu vita functus eſt, &c. * In montibus velut exul deperit, qui fecerat plurimos Iudæos à patria abductos in exilio deperire: ſupplicio ſceleri reſpondente.] Transferens Philippus Antiochiam cadauer metuebat Antiochi filium; cauſam metus Scriptura non exprimit. Crediderim timuiſſe Lyſiam in cuius poteſtate Antiochus puerulus morabatur.

Pœna peccato ſimilis.

CAPVT X.

Templum ex idololatriæ ſordibus Iudas repurgat. Antiocho Epiphani Antiochus Eupator ſuccedit. Ptolemæus Macer, quia fauet Iudæis, calumnijs apud Regem circumuentus, veneno ſe vita exuit. Vincuntur Gorgias & Idumæi iterùm à Iudæis. Puniuntur proditores. Timotheus, Chereas, & Appollonius occiduntur, Deo vindici laudes Iudæi modulantur.

1\. MACHABÆVS autem, & qui cùm eo erant, Domino ſe pro-
tegente, templum quidem, & ciuitatem recepit: 2. aras
autem, quas alienigenæ per plateas extruxerant, itemque
delubra demolitus eſt. 3. & purgato templo, aliud altare
fecerunt: & de ignitis lapidibus igne concepto ſacrificia
obtulerunt poſt biennium, & incenſum, & lucernas, &
panes propoſitionis poſuerunt. 4. Quibus geſtis, roga-
bant Dominum proſtrati in terram, ne ampliùs talibus malis inciderent: ſed & ſi
quando peccaſſent, vt ab ipſo mitiùs corriperentur, & non barbaris ac blaſphemis
hominibus traderentur. 5. Qua die autem templum ab alienigenis pollutum
fuerat, contigit eadem die purificationem fieri, vigeſima quinta menſis, qui fuit
Caſleu. 6. Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recor-
dantes quòd ante modicum temporis, diem ſolemnem tabernaculorum in monti-
bus & in ſpeluncis more beſtiarum egerant. 7. Propter quod thyrſos, & ramos
virides, & palmas præferebant ei, qui proſperauit mundari locum ſuum. 8. Et de-
creuerunt communi præcepto & decreto, vniuerſæ genti Iudæorum, omnibus
annis agere dies iſtos. 9. Et Antiochi quidem, qui appellatus eſt Nobilis, vi-
tæ exceſſus ita ſe habuit. 10. Nunc autem de Eupatore Antiochi impij filio, quæ
geſta ſunt narrabimus, breuiantes mala, quæ in bellis geſta ſunt. 11. Hic enim
ſuſcepto regno, conſtituit ſuper negotia regni Lyſiam quemdam Phœnicis & Sy-

riæ militiæ principem. 12. Nam Ptolemæus, qui dicebatur Macer, iuſti tenax erga Iudæos eſſe conſtituit, & præcipuè propter iniquitatem quæ facta erat in eos, & pacificè agere cum eis. 13. Sed ob hoc accuſatus ab amicis apud Eupatorem, cùm frequenter proditor audiret, eò quòd Cyprum creditam ſibi à Philometore deſeruiſſet, & ad Antiochum Nobilem tranſlatus etiam ab eo receſſiſſet, veneno vitam finiuit. 14. Gorgias autem, cùm eſſet dux locorum, aſſumptis aduenis frequenter Iudæos debellabat. 15. Iudæi verò, qui tenebant opportunas munitiones, fugatos ab Ieroſolymis ſuſcipiebant, & bellare tentabant. 16. Hi verò qui erant cum Machabæo, per orationes Dominum rogantes vt eſſet ſibi adiutor, impetum fecerunt in munitiones Idumæorum: 17. multaque vi inſiſtentes, loca obtinuerunt, occurrentes interemerunt, & omnes ſimul non minùs viginti millibus trucidauerunt. 18. Quidam autem, cum confugiſſent in duas turres valdè munitas, omnem apparatum ad repugnandum habentes, 19. Machabæus ad eorum expugnationem, relicto Simone, & Ioſepho, itémque Zachæo, eiſque qui cum ipſis erant ſatis multis, ipſe ad eas, quæ ampliùs perurgebant, pugnas conuerſus eſt. 20. Hi verò qui cum Simone erant, cupiditate ducti, à quibuſdam qui in turribus erant, ſuaſi ſunt pecunia: & ſeptuaginta millibus didrachmis acceptis, dimiſerunt quoſdam effugere. 21. Cùm autem Machabæo nuntiatum eſſet quod factum eſt, principibus populi congregatis, accuſauit, quod pecunia fratres vendidiſſent, aduerſariis eorum dimiſſis. 22. Hos igitur proditores factos interfecit, & confeſtim duas turres occupauit. 23. Armis autem ac manibus omnia proſperè agendo, in duabus munitionibus plus quàm viginti millia peremit. 24. At Timotheus, qui priùs à Iudæis fuerat ſuperatus, conuocato exercitu peregrinæ multitudinis: & congregato equitatu Aſiano, aduenit quaſi armis Iudæam capturus. 25. Machabæus autem, & qui cum ipſo erant, appropinquante illo, deprecabantur Dominum, caput terra aſpergentes, lumbóſque ciliciis præcincti, 26. ad altaris crepidinem prouoluti, vt ſibi propitius, inimicis autem eorum eſſet inimicus, & aduerſariis aduerſaretur, ſicut lex dicit. 27. Et ita poſt orationem, ſumptis armis, longiùs de ciuitate procedentes, & proximi hoſtibus effecti, reſederunt. 28. Primo autem ſolis ortu vtrique commiſerunt: iſti quidem victoriæ & proſperitatis ſponſorem cum virtute Dominum habentes: illi autem ducem belli animum habebant. 29. Sed, cum vehemens pugna eſſet, apparuerunt aduerſariis de cælo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Iudæis præſtantes: 30. ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis ſuis circumſeptum incolumem conſeruabant: in aduerſarios autem tela & fulmina iaciebant, ex quo & cæcitate confuſi, & repleti perturbatione cadebant. 31. Interfecti ſunt autem viginti millia quingenti, & equites ſexcenti. 32. Timotheus verò confugit in Gazaram præſidium munitum, cui præerat Chæreas. 33. Machabæus autem, & qui cum eo erant, lætantes obſederunt præſidium diebus quatuor. 34. At hi qui intus erant, loci infirmitate conſiſi, ſupra modum maledicebant, & ſermones nefandos iactabant. 35. Sed cum dies quinta illuceſceret, viginti iuuenes ex his qui cum Machabæo erant, accenſi animis propter blaſphemiam, viriliter acceſſerunt ad murum, & feroci animo incedentes aſcendebant: 36. ſed & alij ſimiliter aſcendentes, turres portáſque ſuccendere aggreſſi ſunt, atque ipſos maledicos viuos concremare. 37. Per continuum autem biduum præſidio vaſtato, Timotheum occultantem ſe, in quodam repertum loco peremerunt: & fratrem illius Chæream & Apollophanem occiderunt. 38. Quibus geſtis, in hymnis & confeſſionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Iſraël, & victoriam dedit illis.

COMMENTARII.

1\. *Iudas Templum ex idolatria ſordibus expurgat.*

VERS. 1. 2. 3. 4. *Machabæus autem, & qui cum eo erant, Domino ſe protegente: Templum quidem, & ciuitatem recepit, aras autem quas alienigenæ per plateas extruxerant* idolorum cultui, *itemque delubra demolitus eſt: & purgato Templo* Ieroſolymitano, *aliud altare fecerunt: & de ignitis lapidibus igne concepto ſacrificia obtulerunt poſt biennium, & incenſum, & lucernas, & panes propoſitionis poſuerunt.* Ignitos lapides voco ſilices, qui ignem in ſe continere videntur, quem ferro percuſſi reddunt. Non ignoro ab aliquibus affirmari, precibus ignẽ de cælo deuocatum lapides ibi fortè vicinos inflammaſſe: vt factum ſub Nehemia & alias vidimus. Verùm hæc Templi repurgatio, & noui dedicatio altaris etſi hîc poſt Antiochi ſupplicium narretur, certum tamen eſt, accidiſſe an-

te

ſe mortem illius; nam facta eſt anno Græcorum centeſimo quadrageſimo octauo (1. Mach. 4. 52.) cum Antiochus mortuus fuerit anno centeſimo quadrageſimo nono. (1. Mach. 6. 16.) Porrò biennium, cuius hîc fit mentio, inchoatur non à profanatione Templi, ſed à Iudæ principatus initio.

Humilis in Oratione habitus ei adiicit efficaciam.

Verſ. 5. 6. 7. 8. 9. Quibus geſtis, rogabant Dominum proſtrati in terram, &c. * Proſtrati in terram erant, vt votorum obtineant effectum. Humilis enim in oratione habitus ei adiicit efficaciam.] * Petunt autem ab ipſo Deo corripi delinquentes, & non ab hominibus barbaris, & blaſphemis. Etſi enim Deus ad inferendum ſupplicium diaboli miniſterio vteretur, vt ad Iobi probationem: mitius diabolus cum eis acturum, quàm iratos homines ſperabant.] * *Non, inquiunt, à blaſphemis hominibus.* Sancti enim Machabæi pro horribili ducebant ſupplicio Gentilium contra Deum blaſphemias audire.] * Hinc D. Ignatij mei erga Dei nomen efferò charitatem aſſerentis, ſi infeliciſſima ei Sors damnationis contingeret, ſe non tam flammis tartareis, quàm blaſphemiarum contra Deum auditione torquendum.]

Satius in manus diaboli, quam in man' hominum iratorum incidere.

Sanctos plus torquêt blaſphemię, quã dira tormenta.

D. Ignatij erga Deũ charitas mira in notatis.

Qua die autem Templum, ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri vigeſima quinta menſis, qui fuit Caſleu, Nouembri noſtro reſpondentis. *Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, &c. Propter quod thyrſos, & ramos virides, & palmas præferebant ei, qui proſperauit mundari locum ſuum.* Thyrſi virgulta ſunt, vel haſtæ frondibus ornatæ, quibus olim, vbi parta eſſet victoria, caſtrorum tabernacula veſtiebantur, Plutarcho teſte in Æmilio. * Vt Ducis Machabæi pietatem aduertas, qui thyrſis non iubet ſuum tabernaculum, aut palatium ornari, ſed Templum Deo ſoli adſcribens de ſuperatis hoſtibus victoriam.] *Et decreuerunt communi præcepto, & decreto vniuerſæ gentis Iudæorum, omnibus annis agere dies iſtos.* * Cum quis aliquo ſpeciali beneficio à Deo donatus ſit, non ei ſufficiat vnicam gratiarum actionem Numini præſentare: ſed annis ſingulis diem illam, qua accepit beneficium iterato gratitudinis ſacrificio colere.] Et Antiochi qui *appellatus eſt Nobilis*, ſeu Epiphanis (idem eſt prorſus) *vitæ exceſſus ita ſe habuit*, vti cap. præcedenti capoſui.

Duces partas victorias Deo non ſibi attribuant.

Qui ſpeciale à Deo beneficium accepit, diem illũ ſingulis annis, oblato ſacrificio gratiarum actionis, recolat.

2\. *Verſ. 10. 11. 12. 13. Nunc autem de Eupatore Antiochi impij filio, quæ geſta ſunt, narrabimus, breuiantes*, ſeu breuiter recenſentes *mala, quæ in bellis geſta ſunt. Hic enim ſuſcepto Regno, conſtituit ſuper negotia Regni Lyſiam quendam, Phœnicis & Syriæ militiæ Principem.* Lyſias hic quem Protegem Eupator conſtituit, de ſtirpe erat regia. (1. Mach. 3. 32.) *Nam Ptolemæus, qui dicebatur Macer, iuſti tenax erga Iudæos, eſſe conſtituit, & præcipuè propter iniquitatem, quæ facta erat in eos, & pacificè agere cum eis.* Ex particula cauſatiua *Nam* colligo Ptolemæum hunc anteceſſorem Lyſiæ fuiſſe in Protegis dignitate: & eundem ipſum qui cap. octauo Nicanorem, & Gorgiam aduerſus Iudæos miſerat: ſed iam melius inſtructus de illorum innocentia propter iniquitatem, ſeu iniuſtitiam ipſis factam tùm à ſe, tùm ab aliis, ſtatuit deinceps iuſtitiæ, & innocentiæ illorum patrocinari. Sed hoc ipſum apud amicos, & Regem peperit & exitium. *Sed ob hoc accuſatus ab amicis,* falſis vtique. * Veri enim amici quomodo amicum poterant accuſare cum vix vnquam in eo aduertant quod taxabile exiſtat.] *apud Eupatorem cum frequenter proditor audiret, &c.* Audiebat frequenter hoc vocabulum *proditor, proditor*, dicebatur enim, à Rege receſſiſſe, & ad Iudæos Regis hoſtes eſſe procliuiorem. Dicebatur itaque hoc, ſed falſo ab æmulis confictum, alioqui apud Eupatorem filium eius nullum habuiſſet locum. Macer igitur ex triſtitia macie affectus, vltrò ſe veneno peremit. * Nihil enim ſic virum nobilem afficit, quàm falſa famam pertinens accuſatio.]

Antiochus Eupator Antiocho Epiphani ſuccedit.

Ptolemæus Macer actus calumnijs, veneno ſibi vitã abrumpit.

Verus amicus nõ inuenit in amico, de quo eum accuſare valeat.

Nihil ſic virũ nobilem afficit, quam falſa ad famã attinens accuſatio.

3\. *Verſ. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Gorgias autem cum eſſet Dux locorum, &c.* Aduenæ vocantur exercitus copiæ militares, quæ ex Thracibus, Lydis, Galatis, & aliis exteris nationibus erant conductæ. Hæ verſ. 14. *exercitus peregrinæ multitudinis* appellantur. *Iudæi vero, qui tenebant opportunas munitiones, &c. Iudæi* autem, Græcè *Idumæi*. (& ſic legendum, patet ex verſu ſequenti) refectitios, & Apoſtatas Iudæos ſuis excipiebant arcibus, armiſque inſtruebant: & vna ſecum aduerſus Iudam Machabæum educebant. *Hi verò, qui erant cum Machabæo, per orationem Dominum rogantes, vt eſſet ſibi adiutor, impetum fecerunt in munitiones Idumæorum, &c.* * Illuſtriſſimus planè orationis effectus, quæ ad debellandos hoſtes copioſiſſimi exercitus excedit apparatum.] Porrò qui cædem fugerunt, in Græco fuiſſe *nouem millia* dicuntur. *Quidam autem cum confugiſſent, in duas turres valde munitas omnem apparatum ad repugnandum habentes: Machabæus ad eorum expugnationem relicto Simone, & Ioſepho*, id eſt, Ioanne fratribus ſuis, *itemque Zachæo, eiſque, qui cum ipſis erant, ſatis multis: ipſe ad eas, quæ amplius perurgebant, pugnas conuerſus eſt.*

Gorgias & Idumæi vincũtur. Puniũtur proditores.

Oratio fortior eſt copioſiſſimo exercitu ad debellandos hoſtes.

Verſ. 20. 21. 22. 23. Hi verò, qui cum Simone erant, cupiditate ducti, à quibuſdam, qui in turribus erant, ſuaſi ſunt pecunia: & ſeptuaginta millibus didrachmis acceptis, dimiſerunt quoſdam effugere. Porrò ſeptuaginta millia didrachmæ argenti Atticæ faciunt aurea ſcuta 5833. cum vna tertia. *Cum autem Machabæo nunciatum eſſet, quod factum eſt, Principibus populi congregatis accuſauit quod pecunia fratres vendidiſſent, aduerſariis eorum dimiſſis, &c.* Illa igitur ſcutorum ſumma dicit Iudas quoſdam Iudæos vendidiſſe, eo quod aduerſarios illorum iam in arctum coactos permiſiſſent effugere. * Salutem enim amicorum prodit, qui inimicos eorum benè facit.] * Meritò proditores interficiuntur, quia militum auaritia rarò eſſe non aſſolet victoriæ aſſequendæ impedimentum.] *Armis autem, ac manibus omnia proſperè agendo, in duabus munitionibus pluſquam viginti millia peremit.*

Amicorum ſalutem prodit, qui eorum inimicis benè facit.

Militum auaritia victoriæ impedimentum.

4\. *Verſ. 24. 25. 26. 27. 28. At Timotheus, qui prius à Iudæis fuerat ſuperatus, &c. inimicis autem eorum eſſet inimicus, & aduerſariis aduerſaretur, ſicut lex dicit.* Exod. 23. 22. vbi legimus: *Quod ſi audieris vocem eius, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.* * Cum autem Deus inimicis noſtris ſit quaſi amicus, & affligentibus nos ſuccurrit, ſignum proculdubio eſt, nos Dei vocem non audire, eiuſque præſcripta non obſeruare.] *Et ita poſt orationem ſumptis armis, longius de Ciuitate procedentes, & proximi hoſtibus effecti, reſiderunt, &c.* * En præclarum obtinendæ victoriæ inſtru-

Alia Iudæorum victoria.

Cum Deus inimicis noſtris ſit quaſi amicus, ſignum eſt, non eius præcepta violari.

mentum Deum per orationem & pœnitentiam inuocatum. Hoc geſſere Iudæi.] * E contrario exitiorum in bellis fons, & auctor certiſſimus is, quem hoſtes habebant, *dux belli animus*, Græcè, *θυμὸς*, id eſt, cupiditas, ira, ſuperbia.]

Inſtrumentum certiſſimum obtinendæ victoriæ oratio & pœnitentia.

Fons exitialis belli cupiditas, ira, ac ſuperbia militum.

Verſ. 29.30.31.32.33.34. *Sed cum vehemens pugna eſſet, apparuerunt aduerſariis de cælo viri quinque in equis, frenis aureis decori, &c.* Quinque itaque Angeli virorum ſpecie apparuere in equis tutantes vndique Iudæos: in hoſtes autèm tela omne genus, & fulmina iaculantes. Huiuſmodi Angelicis ſubſidiis plenæ ſunt hiſtoriæ. Conſtantino contra Licinium: Theodoſio contra Eugenium: Venceſlao contra Curienſem Principem: tot Hiſpanis, & Luſitanis contra Saracenos, Mauros, Indos: & pluribus aliis etiam noſtra ætate Ducibus Chriſtianis aduerſus Chriſtianæ fidei rebelles Turcas, Gentiles, hæreticos in ipſo ardore certaminis fuere Angeli militum forma è cælo ſubmiſſi. Qui quidem quotidie inuiſibiles fidelibus exercitibus adſtant auxiliatores.]

Angeli adſtant auxiliarij exercitibus Catholicis.

Verſ. 34.35.36.37.38. *At hi, qui intus erant, loci firmitate confiſi, &c. viriliter acceſſerunt ad murum: & feroci animo incedentes, aſcendebant. Sed & alij ſimiliter aſcendentes:* * Præſtans enim vel paucorum fortitudo in bello multos habet æmulatores.] *Turres, portaſque ſuccendere aggreſſi ſunt, ſunt, atque ipſos maledicos viuos concremare.* * Nec enim tam irritat ad vindictam vulnus acceptum, quam verbum inurbanum auditum.] *Per continuum autem biduum præſidio vaſtato, Timotheum occultante ſe, &c.* Itaque Timotheus, deletis copiis ſuis, ad maris littora prius confugit, (vti ex Gorionide accepi) vbi collectis è Paleſtina fuga ſociis, iterum cum Suda committit prælium, iterum vincitur, victus ſe includit non Gazæ, ſed Gazaree mænibus. Quâ quinta poſt die virtute iuuenum viginti Haſſamonæorum, expugnata, ibidem cum fratribus ſuis Chærea, & Apollophane *in loco*, Græcè, *in lacu* quodam fuit interemptus.

Præſtans vel paucorū fortitudo in bello multos habet æmulatores.

Nec tam irritat ad vindictam vulnus acceptū, quam verbū inurbanum auditum.

CAPVT XI.

Lyſiæ ingentes copias Iudas adiutus ab Angelo fundit. Lyſias pacem inter Antiochum Eupatorem & Iudæos procurat. Litteræ eorumdem, vti & Romanorum ad Iudæos apponuntur.

1. SED paruo pòſt tempore, Lyſias procurator regis, & propin-
quus, ac negotiorum præpoſitus, grauiter ferens de his quæ
acciderant, 2. congregatis octoginta millibus, & equitatu
vniuerſo, veniebant aduerſus Iudæos, exiſtimans ſe ciuitatem
quidem captam Gentibus habitaculum facturum, 3. tem-
plum verò in pecuniæ quæſtum, ſicut cetera delubra Gentium,
habiturum, & per ſingulos annos venale ſacerdotium: 4. nuſ-
quam recogitans Dei poteſtatem, ſed mente effrænatus, in multitudine peditum, &
in millibus equitum, & in octoginta elephantis confidebat. 5. Ingreſſus autem Iu-
dæam, & appropians Bethſuræ, quæ erat in anguſto loco, ab Ieroſolyma interuallo
quinque ſtadiorum, illud præſidium expugnabat. 6. Vt autem Machabæus, & qui
cum eo erant, cognouerunt expugnari præſidia, cum fletu & lacrymis rogabant Do-
minum, & omnis turba ſimul, vt bonum Angelum mitteret ad ſalutem Iſraël. 7. Et
ipſe primus Machabæus, ſumptis armis, cæteros adhortatus eſt ſimul ſecum pericu-
lum ſubire, & ferre auxilium fratribus ſuis. 8. Cumque pariter prompto animo
procederent, Ieroſolymis apparuit præcedens eos eques in veſte candida, armis au-
reis haſtam vibrans. 9. Tunc omnes ſimul benedixerunt miſericordem Domi-
num, & conualuerunt animis: non ſolùm homines, ſed & beſtias ferociſſimas, &
muros ferreos parati penetrare. 10. Ibant igitur prompti, de cælo habentes adiu-
torem, & miſerantem ſuper eos Dominum. 11. Leonum autem more impetu ir-
ruentes in hoſtes, proſtrauerunt ex eis vndecim millia peditum, & equitum mille
ſexcentos: 12. vniuerſos autem in fugam verterunt, plures autem ex eis vulnerati
nudi euaſerunt. Sed & ipſe Lyſias turpiter fugiens euaſit. 13. Et quia non Inſen-
ſatus erat, ſecum ipſe reputans, factam erga ſe diminutionem, & intelligens Inuictos
eſſe Hebræos, omnipotentis Dei auxilio innitentes, miſit ad eos: 14. promiſitque
conſenſurum omnibus quæ iuſta ſunt, & regem compulſurum amicum fieri. 15. An-
nuit autem Machabæus precibus Lyſiæ, in omnibus vtilitati conſulens: & quæcum-
que Machabæus ſcripſit Lyſiæ de Iudæis, ea rex conceſſit. 16. Nam erant ſcriptæ
Iudæis epiſtolæ à Lyſia quidem hunc modum continentes: LYSIAS populo Iu-
dæorum ſalutem. 17. Ioannes & Abſalom, qui miſſi fuerant à vobis, tradentes

ſcripta,

ſcripta, poſtulabant vt ea, quæ per illos ſignificabantur, implerem. 18. Quæ-
cumque igitur regi potuerunt perferri, expoſuit: & quæ rex permittebat, conceſſi
19. Si igitur in negotiis fidem conſeruaueritis, & deinceps bonorum vobis cauſa
eſſe tentabo. 20. De cæteris autem per ſingula verba mandaui, & iſtis: & his qui
à me miſſi ſunt, colloqui vobiſcum. 21. Bene valete. Anno centeſimo quadrageſi-
mo octauo, menſis Dioſcori die vigeſima & quarta. 22. Regis autem epiſtola iſta
continebat: REX Antiochus Lyſiæ fratri ſalutem. 23. Patre noſtro inter deos
tranſlato, nos volentes eos, qui ſunt in regno noſtro, ſine tumultu agere, & rebus
ſuis adhibere diligentiam, 24. audiuimus Iudæos non conſenſiſſe patri meo, vt
transferrentur ad ritum Græcorum, ſed tenere velle ſuum inſtitutum, ac propterea
poſtulare à nobis concedi ſibi legitima ſua. 25. Volentes igitur hanc quoque gen-
tem quietam eſſe, ſtatuentes iudicauimus, templum reſtitui illis, vt agerent ſecun-
dùm ſuorum maiorum conſuetudinem. 26. Bene igitur feceris, ſi miſeris ad eos, &
dexteram dederis: vt cognita noſtra voluntate, bono animo ſint, & vtilitatibus pro-
priis deſeruiant. 27. Ad Iudæos verò Regis epiſtola talis erat: REX Antiochus Se-
natui Iudæorum, & cæteris Iudæis ſalutem. 28. Si valetis, ſic eſtis vt volumus: ſed
& ipſi bene valemus. 29. Adiit nos Menelaüs, dicens velle vos deſcendere ad ve-
ſtros, qui ſunt apud nos. 30. His igitur, qui commeant vſque ad diem trigeſimum
menſis Xanthici, damus dextras ſecuritatis, 31. vt Iudæi vtantur cibis, & legi-
bus ſuis, ſicut & priùs: & nemo eorum vllo modo moleſtiam patiatur de his quæ
per ignorantiam geſta ſunt. 32. Miſimus autem & Menelaüm, qui vos alloqua-
tur. 33. Valete Anno centeſimo quadrageſimo octauo, Xanthici menſis quinta-
decima die. 34. Miſerunt autem etiam Romani epiſtolam, ita ſe habentem:
QVINTVS Memmius & Titus Manilius, legati Romanorum, populo Iudæo-
rum ſalutem. 35. De his, quæ Lyſias cognatus regis conceſſit vobis, & nos con-
ceſſimus. 36. De quibus autem ad regem iudicauit referendum, confeſtim aliquem
mittite, diligentius inter vos conferentes, vt decernamus, ſicut congruit vobis: nos
enim Antiochiam accedimus. 37. Ideóque feſtinate reſcribere, vt nos quoque
ſciamus cuius eſtis voluntatis. 38. Benè valete. Anno centeſimo quadrageſimo octa-
uo, quintadecima die menſis Xanthici.

COMMENTARII.

Iudæis ab Angelo adiutis Lyſiæ copiæ funduntur.

VERS. 1. 2. 3. 4. Sed paruo poſt tempore. Lyſias procurator Regis, &c. Comperta Gorgię & Timothæi clade, Lyſias vicarius Regis Antiochi Eupatoris iunioris, eiuſdemque conſanguineus, negotiorumque regiorum præfectus ingentes peditum, equitum, & elephantum nouas ſatagit copias conflare: certos ſe facturum Ieroſolymam Gentilium habitaculum, Templumque perpetuum ſuæ auaritię cenſum, venale vtique Sacerdotibus: haud mente recogitans Deum fortiſſimum eſſe Iudæorum protectorem, horribilemque iniuriæ ſacris illatæ vindicem.* Profectò qui ex Templo, ſeu ex Eccleſiaſtico ſtatu quæſtum facit, vel facere intendit Dei poteſtatem ad puniendum non recogitat. Etenim Deus ad Eccleſiæ ſuę iniurias vindicandas quaſi totam ſuam exerit *poteſtatem.*

Deus vt puniat eos, qui exemplo, ſeu ea Eccleſiaſticis quæſtum faciunt, quodammodo totam ſuam poteſtatem exerit.

Verſ. 5. 6. 7. Ingreſſus autem Iudæam, & appropians Bethſura, quæ erat in anguſto, Græcè, in munito, ac forti *loco ab Ieroſolyma interuallo quinque ſtadiorum, illud præſidium expugnabat,* ſeu oppugnabat, aut expugnare intendebat. *Vt autem Machabæus, & qui cum eo erant cognouerunt expugnari* ſeu oppugnari *præſidia, cum fletu, & lacrymis rogabant Dominum, & omnis turba ſimul, vt bonum Angelum mitteret ad ſalutem Iſraël* * Procul dubio quod poſtulant impetrabunt Oratio enim ſummam ex lacrymis contrahit efficaciam.] * Orabat Iudas, ſocij eius, & omnis turba ſimul. O quam efficax eſt apud Dominum communitatis deprecatio.] *Et ipſe primus Machabæus ſumptis armis, cæteros adhortatus eſt, &c.* Sumptis armis ſocios adhortatur, vt arma ſumerent. Exemplum enim Ducis, & Præſulis fortius eſt ad perſuadendum, quam quæcumque eloquens oratio; imò ipſum eſt eloquentiſſimum.]

Oratio ex lacrymis ſummam côtrahit efficaciam.

Communitatis Oratio exorat.

Exemplum Præſulis eloquentiſſimum eſt ad perſuadendum.

Verſ. 8. 9. 10. 11. 12. Cumque pariter prompto animo procederent, Ieroſolymis apparuit præcedens eos eques in veſte candida armis aureis haſtam vibrans. Angelus forma equitis Iudæis apparet armis inſtructus auxilium eis & victoriam ſolo aſpectu offerens. Exiſtimo fuiſſe Michaëlem vniuerſæ Eccleſiæ præpoſitum. Quem quidem Catholici exercitus Ducem, & commilitonem ſortiuntur.] *Tunc omnes ſimul benedixerunt miſericordem Dominum, &c. Ibant igitur prompti de cælo habentes adiutorem.* (* Non dixit: Habentes adiutores Angelorum exercitus, ſed *adiutorem.* Vnus enim Angelus ſufficit ad validiſſimas hoſtium acies bellandum.)] *Et miſerantem ſuper eos Dominum.** Non tam prompti pergunt ad certamina illi, qui peccatis obnoxij ſciunt Deum ſecum pergere non miſerantem, ſed iratum. Vndè temerè admodum exiſtens in ſcelere, cum hoſte confligis.] *Leonum autem more, &c. vniuerſos autem in fugam verterunt, plures autem ex eis vulnerati nudi euaſerunt*, id eſt, armis proiectis. * Veſtes enim militis arma ſunt, non profani, quęis,

Michaël Dux exercituum. Catholicorum.

Vel vnius Angeli potentia ineffabilis.

Temerè ad bellum procedit in crimine exiſtens.

Veſtes militis arma ſūt quęis dimiſſis, quaſi nudus exponitur.

queis vtuntur, ornatus. Vnde depoſitia armis, nudi exponuntur.] *Sed & ipſe Lyſias turpiter fugiens euaſit.*

2. *Lyſias paci inire inter Antiochum & Iudæos procurat.*

Verſ. 13. 14. 15. Et quia non inſenſatus erat ſecum ipſe reputans, factam erga ſe diminutionem &c. Clade illa commotus Lyſias quia expers mente non erat, ſed prudens Princeps, videns, factam eſſe tot millium cæde virium ſui exercitus imminutionem: ſimulque intelligens Hebræos, quamdiu cæleſti ope niterentur, eſſe prorſus inuincibiles: miſit ad eos legatos pro pace inter partes concilianda. Et quidem *inſenſatus* omninò eſt, qui non intelligit, exitialiter cum Catholico exercitu, cui Deus auxiliator adeſt, confligere Principem. Nam aduerſus illum Cœlum ipſum pugnat.] *Annuit autem Machabæus precibus Lyſiæ, in omnibus vtilitati conſulens: & quæcumque Machabæus ſcripſit Lyſiæ de Iudæis, ea rex conceſſit*, id eſt, omnes pacis conditiones à Iuda expoſitas ad Iudæorum commoda pertinentes Rex admiſit.

3. *Epiſtola Lyſiæ ad Iudæos.*

Verſ. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Nam erant ſcripta Iudæis epiſtola à Lyſia quidem hunc modum continentes: Lyſias populo Iudæorum ſalutem. &c. Si igitur in negotiis fidem ſeruaueritis, & deinceps bonorum vobis cauſa eſſe tentabo, &c. Si fidem itaque in negotiis tum fœderis huius, tum aliis poſtmodum cum Rege tractandis, ſeruaueritis: tentabo & ego deinceps cauſa bonorum vobis exiſtere; veſtria enim commodia, & vtilitatibus perpetuò ſtudebo. At de reliquis articulia à vobis mihi propoſitis ſigillatim reſpondi & *iſtis*, Ioanni, & Abſalomo legatis veſtris, & *his*, qui vna cum iſtis à me ad vos mittuntur. Ipſi ore tenus omnia vobis exponunt. * Illud quæſo expendas: *Quæcumque Regi potuerunt perferri, expoſui.* Ergo non omnia expoſui Regi. Antiqua quidem videtur eſſe hæc Miniſtrorum conſuetudo non aperiendi cuncta negotia Regibus, ſed non quia omnia *perferri* non poſſint: ſed quia nolunt plura ad eorum notitiam venire.] *Benè valete. Anno centeſimo quadrageſimo octauo, &c.* Anno 148. Græcorum datæ dicuntur tam hæ literæ quas Lyſias, quam ſequentes, quas Rex ipſe Antiochus Eupator ad Iudæos immiſit. Menſis verò Dioſcori noſtro Iunio reſpondet.

Antiqua videtur eſſe Miniſtrorũ conſuetudo non aperiendi cuncta negotia Regibus.

4. *Epiſtola Antiochi ad Lyſiam.*

Verſ. 22. 23. 24. 25. 26. Regis autem epiſtola iſta continebat: Rex Antiochus Lyſiæ fratri ſalutem. Patre noſtro inter deos tranſlato, nos volentes eos, qui ſunt in Regno noſtro, ſine tumultu agere, &c. Vſitata erat illo tempore adulatio, vt mortui Principes inter Deos recepti dicerentur. Exiſtimo autem illa phraſi ſignificari quod Hiſpanicè de quocũque diem ſuũ obeunte dicimus: *Fulano ya eſta con Dios. Volentes igitur hanc quoque gentem quietam eſſe, &c.* Dicit Rex Iudæos à ſe poſtulare concedi eis ſuam legitimam, hoc eſt, liberum eis permitti ſuæ religionis exercitium. * Quomodo autem decernit reſtitui illis Templum, cum conſtet, iam pridem Iudæos habere illud in ſua poteſtate, & victores non pendere à victorum arbitrio? Profectò quia quod pacificè ſine oppugnatione non habemus, quaſi eo carere nos exiſtimamus.

Quod pacificè non habemus eo nos carere exiſtimamus.

5. *Epiſtola Antiochi ad Iudæos.*

Verſ. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. Ad Iudæos verò Regis epiſtola talis erat, &c. Adiit nos Menelaus dicens, velle vos deſcendere ad veſtros, &c. A Menelao audiui nonnullos veſtrûm expetere nos adire ſimul cum legatis, vt veſtram cauſam de libertate, & conſeruatione rituum apud me dicerent. Qui igitur hac cauſa *commeant*, ſeu iam ſunt itineri præcincti, habent à me dexteram ſecuritatis, Hiſpane dixerim, *Paſaporte, vel paſo ſeguro.* vſque ad menſis Xanthici, ſeu Aprilis diem trigeſimam habeant ſcilicet quindecim dierum ſpatium; nam epiſtola data eſt die decima quinta illius menſis: his quindecim diebus ſecure poterunt iter agere. Porrò illis verbis, *Quæ per ignorantiam geſta ſunt*, videtur Rex obliuionem inducere eorum quæ hactenus vtrinque hoſtiliter geſta fuerant, quæ quaſi per ignorantiam commiſſa excuſata cenſerentur. Et quidem tanta ſunt bellorum incommoda, vt ignorans admodum Princeps ſit, qui ſine maxima neceſſitate aliis bellum indicit.]

Ignorans videtur eſſe qui ſine maxima neceſſitate bellum indicit.

6. *Ad Iudæos Romanorum epiſtola.*

Verſ. 34. 35. 36. 37. 38. Miſerunt autem etiam Romani epiſtolam ita ſe habentem, &c. Erant hi legati Romanorum in Aſiam à ſenatu Populoque Romano immiſſi, ad res illarum prouinciarum componendas, & cum Iudæorum eſſent amici, eis offerunt apud Regem Antiochum illorum commoda procurare.

CAPVT XII.

Ex Ducibus Antiochi, & Ioppitis, & Iamnienſibus Iudæos infeſtantibus, Iudas ſumit vindictam. Arabes debellat, Vrbem Caſpin expugnat, aliaque præclara gerit. Pro defunctis in bello ſuis ſacrificia Deo offerri ſatagit.

1. HIs factis pactionibus, Lyſias pergebat ad regem, Iudæi au-
tem agriculturæ operam dabant.
2. Sed hi qui reſederant,
Timotheus, & Appollonius Gennæi filius, ſed & Hierony-
mus, & Demophon ſuper hos, & Nicanor Cypriarches,
non ſinebant eos in ſilentio agere, & quietè.
3. Ioppitæ
verò tale quoddam flagitium perpetrarunt: rogauerunt Iu-
dæos, cum quibus habitabant, aſcendere ſcaphas, quas
parauerant, cum vxoribus & filiis, quaſi nullis inimicitiis inter eos ſubiacentibus.

tibus. 4. Secundùm commune itaque decretum ciuitatis, & ipſis acquieſcen-
tibus, paciſque cauſa nihil ſuſpectum habentibus: cùm in altum proceſſiſſent, ſub-
merſerunt non minùs ducentos. 5. Quam crudelitatem Iudas in ſuæ gentis ho-
mines factam vt cognouit, præcepit viris, qui erant cum ipſo: & inuocato iuſto iu-
dice Deo, 6. venit aduerſus interfectores fratrum, & portum quidem noctu ſuc-
cendit, ſcaphas exuſſit, eos autem, qui ab igne refugerant, gladio peremit.
7. Et cùm hæc ita egiſſet, diſceſſit quaſi iterùm reuerſurus, & vniuerſos Ioppitas
eradicaturus. 8. Sed cùm cognouiſſet & eos, qui erant Iamniæ, velle pari modo
facere habitantibus ſecum Iudæis. 9. Iamnitis quoque nocte ſuperuenit, & por-
tum cum nauibus ſuccendit: ita vt lumen ignis appareret Ieroſolymis à ſtadiis du-
centis quadraginta. 10. Inde cùm iam abiiſſent nouem ſtadiis, & iter facerent ad
Timotheum, commiſerunt cum eo Arabes, quinque millia viri, & equites quingen-
ti. 11. Cùmque pugna valida fieret, & auxilio Dei proſperè ceſſiſſet, reſidui Ara-
bes victi, petebant à Iuda dextram ſibi dari, promittentes ſe paſcua daturos, & in ce-
teris profuturos. 12. Iudas autem, arbitratus verè in multis eos vtiles, promiſit
pacem: dextriſque acceptis, diſceſſere ad tabernacula ſua. 13. Aggreſſus eſt au-
tem & ciuitatem quamdam firmam, pontibus muriſque circumſeptam, quæ à tur-
bis habitabatur Gentium promiſcuarum, cui nomen Caſphin. 14. Hi verò qui
intus erant confidentes in ſtabilitate murorum, & apparatu alimoniarum, remiſ-
ſius agebant, maledictis laceſſentes Iudam, & blaſphemantes, ac loquentes quæ
fas non eſt. 15. Machabæus autem, inuocato magno mundi Principe, qui ſine
arietibus & machinis temporibus Ieſu præcipitauit Iericho, irruit ferociter muris:
16. & capta ciuitate per Domini voluntatem, innumerabiles cædes fecit, ita vt
adiacens ſtagnum ſtadiorum duorum latitudinis, ſanguine interfectorum fluere
videretur. 17. Inde diſceſſerunt ſtadia ſeptingenta quinquaginta, & venerunt
in Characa ad eos, qui dicuntur Tubianæi, Iudæos: 18. & Timotheum quidem
in illis locis non comprehenderunt, nulloque negotio perfecto regreſſus eſt, reli-
cto in quodam loco firmiſſimo præſidio. 19. Doſitheus autem & Soſipater, qui
erant duces cum Machabæo, peremerunt à Timotheo relictos in præſidio, de-
cem millia viros. 20. At Machabæus, ordinatis circum ſe ſex millibus, & con-
ſtitutis per cohortes, aduerſus Timotheum proceſſit, habentem ſecum cen-
tum viginti millia peditum, equitúmque duo millia quingentos. 21. Cogni-
to autem Iudæ aduentu, Timotheus præmiſit mulieres, & filios & reliquum
apparatum, in præſidium, quod Carnion dicitur: erat enim inexpugnabile, &
acceſſu difficile propter locorum anguſtias. 22. Cùmque cohors Iudæ prima
apparuiſſet, timor hoſtibus incuſſus eſt, ex præſentia Dei, qui vniuerſa conſpicit, &
in fugam verſi ſunt alius ab alio, ita vt magis à ſuis deiicerentur, & gladiorum ſuo-
rum ictibus debilitarentur. 23. Iudas autem vehementer inſtabat puniens pro-
fanos, & proſtrauit ex eis triginta millia virorum. 24. Ipſe verò Timotheus inci-
dit in partes Doſithei & Soſipatris: & multis precibus poſtulabat vt viuus dimitte-
retur, eò quòd multorum ex Iudæis parentes haberet, ac fratres, quos morte eius
decipi eueniret. 25. Et cùm fidem dediſſet reſtituturum ſe eos ſecundùm conſti-
tutum, illæſum eum dimiſerunt propter fratrum ſalutem. 26. Iudas autem egre-
ſſus eſt ad Carnion, interfectis viginti quinque millibus. 27. Poſt horum fugam,
& necem, mouit exercitum ad Ephron ciuitatem munitam, in qua multitudo di-
uerſarum gentium habitabat: & robuſti iuuenes pro muris conſiſtentes fortiter
repugnabant: in hac autem machinæ multæ, & telorum erat apparatus. 28. Sed,
cùm Omnipotentem inuocaſſent, qui poteſtate ſua vires hoſtium confringit, cepe-
runt ciuitatem: & ex eis qui intus erant, viginti quinque millia proſtrauerunt.
29. Inde ad ciuitatem Scytharum abierunt, quæ ab Ieroſolymis ſexcentis ſtadiis
aberat. 30. Conteſtantibus autem his, qui apud Scythopolitas erant, Iudæis,
quod benignè ab eis haberentur, etiam temporibus infelicitatis quod modeſtè ſe-
cum egerint: 31. gratias agentes eis, & exhortati etiam de cætero erga genus
ſuum benignos eſſe, venerunt Ieroſolymam die ſolemni ſeptimanarum inſtante.
32. Et poſt Pentecoſten abierunt contra Gorgiam præpoſitum Idumææ. 33. Exiuit
autem cum peditibus tribus millibus, & equitibus quadringentis. 34. Quibus con-
greſſis, contigit paucos ruere Iudæorum. 35. Doſitheus verò quidam de Bace-
noris eques, vir fortis, Gorgiam tenebat: & cùm vellet illum capere viuum, eques
quidam

quidem de Thracibus irruit in eum, humerúmque eius amputauit: atque ita Gor-
gias effugit in Mareſa. 36. At illis, qui cum Eſdrin erant, diutiùs pugnantibus
& fatigatis, inuocauit Iudas Dominum adiutorem & ducem belli fieri: 37. in-
cipiens voce patria, & cum hymnis clamorem extollens, fugam Gorgiæ militibus
incuſſit. 38. Iudas autem collecto exercitu venit in ciuitatem Odollam; & cùm
ſeptima dies ſuperueniret, ſecundùm conſuetudinem purificati, in eodem lo-
co ſabbatum egerunt. 39. Et ſequenti die venit cum ſuis Iudas, vt corpora
proſtratorum tolleret, & cum parentibus poneret in ſepulchris paternis. 40. In-
uenerunt autem ſub tunicis interfectorum de donarijs idolorum, quæ apud Iam-
niam fuerunt, à quibus lex prohibet Iudæos: omnibus ergo manifeſtum factum eſt,
ob hanc cauſam eos corruiſſe. 41. Omnes itaque benedixerunt iuſtum iudicium
Domini, qui occulta fecerat manifeſta. 42. Atque ita ad preces conuerſi, rogaue-
runt, vt id quod factum erat delictum obliuioni traderetur. At verò fortiſſimus Iudas
hortabatur populum conſeruare ſe ſine peccato, ſub oculis videntes quæ facta ſunt
pro peccatis eorum qui proſtrati ſunt. 43. Et facta collatione, duodecim millia
drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, be-
nè & religiosè de reſurrectione cogitans: (44. niſi enim eos, qui ceciderant, re-
ſurrecturos ſperaret: ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis) &
quia conſiderabat quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam habe-
rent repoſitam gratiam. 45. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exo-
rare, vt à peccatis ſoluantur.

COMMENTARII.

1\. *Iudas vindicta ſumit ex ductoribus Antiochi, ex Idumienſibus, ex Ioppitis Iudæos infeſtantibus.*

VERS. 1.2.3.4. *His factis pactionibus, Lyſias pergebat ad Regem. Iudæi autem agriculturæ operam dabant, &c.* Octo menſibus Iudæi (vt ex Gorione accepi) quiete fuere potiti. Interea Iudas Machabæus in quoſdam perduelles Iudæos animaduertit. Iudæi & Macedonæ in pluribus Iudææ Vrbibus maxime ad littus maris, ſimul habitabant, & negotia exercebant. Iudæi igitur firmam poſt illud fœdus cum Antiocho Eupatore initum fore pacem arbitrati, paſſim agriculturæ vacabant. At importunitas Ducum Eupatoris (qui duces ſunt alij prorſus à ſupradictis, ſic quidem nominati ſed iam occiſis) illorum quietem perturbauit. Nam duces illi, qui iuxta Iudæam reſederant cum copiis ſuis, ſeu præſidiis militaribus hoſtiliter ergà Iudæos ſe gerebant. *Ioppitæ verò tale quoddam flagitium perpetrarunt. Rogauerunt Iudæos, cum quibus habitabant, aſcendere ſcaphas, quas parauerant, cum vxoribus, & filiis* (recreationis gratia) *quaſi nullis inimicitijs inter eos ſubiacentibus.* Occaſione itaque cohabitationis & commercij Ioppenſes perfidè abuſi, ducentos Iudæos ſubmerſerunt. * Reconciliato imprudenter fidit quis inimico.]

Imprudenter quis reconciliato fidit inimico.

Verſ. 5.6.7.8.9. Quam crudelitatem Iudas in ſuæ gentis homines factam vt cognouit, &c. ſcaphas exuſſit. eos autem, qui ab igne refugerant, gladio peremit. Quid ſcaphæ deliquerant? Profectò omnia peccati inſtrumenta Iudas edocet eſſe comminuenda] *Et cum hæc ità egiſſet, diſceſſit. quaſi iterùm reuerſurus, &c. & portum cum nauibus ſuccendit: ita vt lumen ignis appareret Ieroſolymis à ſtadiis ducentis quadraginta,* ſeu decem ferè leucis * Hinc collige, non oportere, vt inter Chriſticolas permittantur infideles habitare; ex odio enim vel antypathia religionis eiuſmodi proditiones ſolent fidelibus apparare.]

Omnia peccati inſtrumenta comminuenda ſunt.

Periculosè infideles inter Chriſticolas admittuntur habitaculo.

Verſ. 10.11.12. Inde cum iam abiiſſent nouem ſtadiis, & iter facerent ad Timotheum, commiſerunt cum eo (Iuda ſcilicet, *Arabes* bellum, *quinque millia viri, & equites quingenti: cumque pugna valida fieret, & auxilio Dei, proſperè* Iudæ certamen *ceſſiſſet*, pluribus interemptis: *reſidui è* cæde *Arabes victi petebant à Iuda dexteram ſibi dari: promittentes, ſe paſcua daturos* Iudæis, *& ceteris in ceteris profuturos, Iudas autem arbitratus verè in multis eos vtiles, promiſit pacem: dextriſque acceptis,* ſeu fœdere inito, *diſceſſere ad tabernacula ſua.*

Verſ. 13.14.15.16. Aggreſſus eſt autem & Ciuitatem quandam firmam, potentibus muris circumſeptam, quæ à turbis habitabatur Gentium promiſcuarum, cui nomen Caſphim, &c. Caſphim in Tribu Dan collocat Adrichomius prope Iamniam: ſed videtur longè vlterius ad Meridiem verſus Arabiam conſtituenda, vt ex hoc loco colligo *Machabæus autem inuocato magno mundi Principe, qui ſine arietibus, & machinis temporibus Ieſu* naue *præcipitauit Iericho, &c. irruit ferociter muris,* id eſt, in muros *& capta Ciuitate per Domini voluntatem, innumerabiles cædes fecit, &c.*

2\. *Plura alia facinora Iudæ exponit.*

Verſ. 17.18.19.20.21.22.23.24.25. Inde diſceſſerunt ſtadia ſeptingenta quinquaginta, quæ quidem 93. milliaria, & ſex inſuper ſtadia efficiunt; vnum enim milliare octo ſtadia complectitur: *& venerunt in Characa ad eos, qui dicuntur Tubianæi, Iudæos.* Locus hic Characa nuſquam alibi in Scriptura memoratur: videturque eſſe arte, vel natura munitus, quaſi vallo, nam χάραξ Græcis *vallum* ſignificat. Porrò 1. Machab 5.13. mentio facta eſt *Tubin*, vndè Tubianæi dicti videntur. *& Timotheum quidem in illis locis non comprehenderunt*, ſeu non inuenerunt: *nulloque negotio perfecto* Timotheus, qui in loco abdito fortaſſe latitabat, *regreſſus eſt, relicto in quodam loco firmiſſimo præſidio, &c.* (hunc locum Adrichomius trans Iordanem collocat) *erat enim inexpugnabile & acceſſu difficile propter locorum anguſtias, &c. vt magis à ſuis deſererentur, & gladiorum ſuorum ictibus debilitarentur,* ſeu in-

tuſi

terficerentur. Deus itaque vbique eſt præſens, ſed inibi ſpeciali effectu ſuam præſentiam expoſuit illum timorem hoſtibus incutiendo. *Iudas autem vehementer inſtabat puniens profanos,* ſeu Gentiles: *& proſtrauit ex eis triginta millia virorum. Ipſe verò Timotheus incidit in partes Doſithei, & Soſipatri,* ſeu in eorum milites: *& multis precibus poſtulabat, vt viuus dimitteretur, eo quod multorum ex Iudæis parentes haberet, ac fratres, quos morte eius decipi eueniret,* id eſt, quia multi Iudæorum parentes ac fratres captiuos retineret, quos in mortis eius vindictam ſui duces interficerent, vel ſaltem *deciperentur,* ſeu ſe deceptos à ſpe libertatis, quam habuerant, inuenirent. *Et cum fidem dediſſet reſtituturum ſe eos ſecundum conſtitutum,* promiſſionem, vel pactum, *illæſum cum dimiſerunt, propter fratrum ſalutem.* * Charitatis namque benignitas vel hoſti teterrimo parcit, eiuſque promiſſioni, fallaci plerumque ſe credit ob dubiam fratrum, ſeu proximorum libertatem, vel commoditatem.]

Charitas benigna eſt vel hoſti, ob dubiam proximi commoditatem.

Verſ. 26.27.28. Iudas autem egreſſus eſt ad Carnion, interfectis viginti quinque millibus, præter eos ſcilicet, qui in acie ceciderant. *Poſt horum fugam & necem* (inibi factam) *mouit exercitum ad Ephron Ciuitatem munitam, in qua multitudo diuerſarum Gentium habitabat: & robuſti iuuenes pro muris conſiſtentes* (ſeu ad murorum protectionem adſtantes) *fortiter repugnabant; in hac autem machinæ multæ, & telorum erat apparatus.* In Ephron Ciuitatem anno centeſimo quadrageſimo octauo Græcorum incolis omnibus a Iuda exhauſtam (1. Mach. 5. 46.), paulatim promiſcua confluxerat multitudo è variis Gentibus. Hæ iterum ſe iam Iudæ opponunt, ſed eodem ſucceſſu, *Sed cum Omnipotentem inuocaſſent, &c.* * Quid mirum, tam feliciter rem tam difficilem perfeciſſe, Omnipotenti inuocato, ſi oratio feruens ad impoſſibiles confidenter audet effectus?]

Feruens oratio ad impoſſibiles audet effectus.

Verſ. 29.30.31. Inde ad Ciuitatem Scytharum abierunt, &c. Hæc Ciuitas Scytharum Scythopolis eſt, quam 1. *Mach* 5. 52. Sacer textus Bethan appellat. Nomen habuit hæc Ciuitas à Scythia reſtauratoribus, & habitatoribus: ſita fuit in Tribu Manaſſe cis Iordanem. * Scythopolis itaque incolæ à Iuda incolumitate donantur eò, quòd erga Iudæos conciues benignos ſe oſtendiſſent. Pietas enim & comitas erga exteros hoſpites nunquam ſuo munere caret. Vnde vulgare illud: *Haz bien, y no cates à quien.*] Feſto autem Pentecoſtes inſtante, Iudas ſe ad Ieroſolymam contulit. Vocat id ſolemne *Septimanarum* ſacer textus alludens ad locum Leuitici cap. 23. 18. vbi legimus: *Numerabitis ab altero die Sabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies.* Feſtum ergo celebrarunt.

Pietas & comitas erga hoſpites nūquā ſuo munere caret.

Verſ. 32.33.34.35.36.37. Et poſt Pentecoſtem abierunt contra Gorgiam præpoſitum Idumææ, &c. Gorgias itaque Idumææ præpoſitus exit obuiam Iudæis, pene capitur à Doſitheo de Bacenoris filiis, vel proſapia. Eſt idem hic Doſithæus cum illo, cuius meminit verſ. 19. è primatiis Iudæ ducibus *At illis, qui cum Eſdin* (nomen proprium cuiuſdam Iudæi ducis) *erant diutius pugnantibus, & fatigatis, inuocauit Iudas Dominum adiutorem, &c.* * Si initio illius certaminis Iudas Deum precatus fuiſſet, nec effugiſſet Gorgias, nec illi pauci de Iudæis ruiſſent, nec Doſithæi humerus fortè fuiſſet amputatus. Temere aggreditur pugnam, qui non prius precibus profuſis à Deo poſtulat adiutorium.]

Temerè certamen properat, qui precibus fuſis a Deo nō prius poſtulat auxilium.

Verſ. 38.39.40. Iudas autem collecto exercitu, venit in Ciuitatem Odollam, &c. Odolla Ciuitas erat vicina loco illi, vbi pugna fuerat commiſſa, in Tribu Iudæ ſita. Superueniente ergo Sabbato, purificantur Iudæi à Sanguinis profuſione, & cadauerum contactu, vt Sabbati ſolemnia gererent. *In ſequenti die venit cum ſuis Iudas, &c.* Feria prima hebdomadæ (nos Dominicam diem iam vocamus) paucorum corum, qui in pugna contra Gorgiam ceciderant, (erant horum quidam ex fortiſſimis Haſmonæis) ſepulturæ mandant. * Vix vllum tàm pium, & ſolemne munus in bello, quàm humandi ſuos.] *Inuenerunt autem ſub tunicis interfectorum, &c.* Profectò ſub cadauerum tunicis latentem mortis illorum cauſam deprehenderunt, nempè impura illa è fanis Iamnienſibus furta, de quibus ſuprà Verſ. 9. Quæ lege diuina Deut. 7. 5. & Exo. 34. 13. Iudæis vetantur, iubente Deo, vt etiam bello capta idola, & omnis idololatrica ſupellex comburatur, nec in vllos domeſticos conuertatur vſus. * Impietatis enim reliquiæ non poſſunt non poſſidenti impietatem influere. Vnde exitialia tibi fore non dubites ea, quæ ex amaſio, vel amaſia pignora ſeruas.] * Iuſtè illi fuere interempti, qui in ipſo belli ardore delinquere non timuere, quando Dei auxilio magis indigebant.] *Omnes itaque benedixerunt iuſtum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifeſta.* * Agnatum eſt ſceleri, ſpeciatim furti, manifeſtari ad delinquentis improperium.]

Dux pius curat humari occiſorum in bello cadauera.

Amaſij, vel amaſiæ pignora exitialia poſſidenti.

Taxantur, qui in bello delinquere audent.

Agnatum peccato manifeſtari.

Verſ. 41.42.43.44.45.46. Atque ita ad preces conuerſi rogauerunt, vt id, quod factum erat, delictum obliuioni traderetur. At verò fortiſſimus Iudas hortabatur populum conſeruare ſe ſine peccato, ſub oculis videntes, quæ facta ſunt pro peccatis eorum, qui proſtrati ſunt. * Paucorum namque ſupplicium oculis obiectum omnium debet eſſe cautio.] Deum itaque rogant Iudæi, vt obliuioni tradatur delictum. Græcè, *vt perfectè deleatur.* Supponebant enim illorum peccatum ſaltem in pleriſque ſolùm veniale fuiſſe ratione vel exiguæ quantitatis, vel finis: vel ſi lethale fuiſſet, pœnituiſſe illos ante mortis articulum. Verſ. enim 45. dicitur de iis *cum pietate* dormitionem accepiſſe. * De nullo fideli eſt præſumendum, indiſpoſitum mori.] *Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, &c.* Duodecim millia drachmæ argenti, quas è collatitia pecunia miſit Iudas Ieroſolymam, vt ex iis ſacrificia ibidem Domino pro defunctorum expiando peccato offerrentur, ſi Atticæ fuerint, mille aurea ſcuta faciunt: ſi Hebræa duo millia ſcutorum: ſi Romana centum & viginti. * Pecuniam illam collatitiam fuiſſe textus ſacer aduertit, ſcilicet à ducibus & militibus collata ad ſuffragium defunctorum. Vnde eleemoſyna à fidelibus erogata ad ſacrificia vel Miſſas pro animabus in purgatorio occluſis

3.

Iudas ſacrificia pro animabus interfectorum offerri ſatagit.

Supplicium aliorum, nobis debet eſſe cautio.

De nullo fideli præſumendum eſt, indiſpoſitum mori.

Pium admodum eſt, eleemoſynam à fidelibus collигі ad animarum purgatorij ſuffragium.

offerenda, magnam accipiunt commendationem.] *Et quia conſiderabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant*, in bello pro religione ſuſcepto, *optimam haberent repoſitam gratiam. Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* Adeò ſunt coniuncti articuli de animæ immortalitate, & corporum reſurrectione, vt alterutro poſito, vel ſublato, ponatur alterum, vel auferatur. Phariſæi affirmabant vtrumque, Sadducæi vtrumque negabant. Chriſtus ex animæ immortalitate probat reſurrectionem. Et Paulus 1. *Cor.* 15. mortales eſſe arguit animas, ſi non ſit reſurrectio. Nam ſi animam efflat, cum ſit naturaliter forma corporis, neceſſe eſt, ei iterum vniri. Ait autem textus, Iudam conſideraſſe, ſuos milites in bello interemptos optimam habere *repoſitam gratiam.* * Quia piè credendum, eos, qui in bello iuſto moriuntur, pro religione ſuſcepto, ſuorum peccatorum pœnitere, ſpeciali eo munere à Domini munificentia donatos, quia neci ſe ob fidei protectionem exponunt.] Clariſſimum hinc habes ſcripturæ teſtimonium pro defunctorum ſuffragiis. * En factum, & exemplum nobiliſſimum Pontificis, & Eccleſiæ illius temporis à ſpiritu ſancto non modo narratum, ſed & laudatum. Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare. Salubris quidem & oranti, & ei, pro quo oratio offertur: hic enim à peccatis & pœnia ſoluitur, ille autem & augmento gratiæ, & præmio donatur.]

* Piè credendum, eos, qui pro religione militantes occumbunt, ſuorum criminum pœnitere.
* Spiritus ſanctus laudat eos, qui ſuccurrunt defunctis in purgatorio exiſtentibus.

CAPVT XIII.

Aduerſus Iudæos Antiochus & Lyſias bellum reſumunt. Menelaus pſeudo-pontifex ab Antiocho præcipitio datur. Iudas noctu ex Antiochi exercitu plures occidit. Bethſura ab Antiocho capitur: ſed à Iuda victus pacem precatur, & impetrat.

1. ANNO centeſimo quadrageſimo nono, cognouit Iudas Antiochum Eupatorem venire cum multitudine aduerſus Iudæam, 2. & cum eo Lyſiam procuratorem & præpoſitum negotiorum, ſecum habentem peditum centum decem millia, & equitum quinque millia, & elephantos viginti duos, currus cum falcibus trecentos. 3. Commiſcuit autem ſe illis & Menelaus: & cum multa fallacia deprecabatur Antiochum, non pro patriæ ſalute, ſed ſperans ſe conſtitui in principatum. 4. Sed Rex regum ſuſcitauit animos Antiochi in peccatorem: & ſuggerente Lyſia hunc eſſe cauſam omnium malorum, iuſſit (vt eis eſt conſuetudo) apprehenſum in eodem loco necari. 5. Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggeſtum vndique habens cineris: hæc proſpectum habebat in præceps. 6. Inde in cinerem deici iuſſit ſacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum. 7. Et tali lege præuaricatorem legis contigit mori, nec terræ dari Menelaum. 8. Et quidem ſatis iuſtè: nam quia multa erga aram Dei delicta commiſit, cuius ignis & cinis erat ſanctus, ipſe in cineris morte damnatus eſt. 9. Sed rex mente effrænatus veniebat, nequiorem ſe patre ſuo Iudæis oſtenſurus. 10. Quibus Iudas cognitis, præcepit populo vt die ac nocte Dominum inuocarent, quò, ſicut ſemper, & nunc adiuuaret eos: 11. quippe qui lege, & patria, ſanctóque templo priuari vererentur: ac populum, qui nuper paululùm reſpiraſſet, ne ſineret blaſphemis rurſus nationibus ſubdi. 12. Omnibus itaque ſimul id facientibus, & petentibus à Domino miſericordiam, cum fletu & ieiuniis, per triduum continuum proſtratis, hortatus eſt eos Iudas vt ſe præpararent. 13. Ipſe verò cum ſenioribus cogitauit, priùs quàm rex admoueret exercitum ad Iudæam, & obtineret ciuitatem, exire, & Domini iudicio committere exitum rei. 14. Dans itaque poteſtatem omnium Deo mundi creatori, & exhortatus ſuos vt fortiter dimicarent, & vſque ad mortem pro legibus, templo, ciuitate, patria, & ciuibus ſtarent, circa Modin exercitum conſtituit. 15. Et dato ſigno ſuis Dei victoriæ, iuuenibus fortiſſimis electis, nocte aggreſſus aulam regiam, in caſtris interfecit viros quatuor millia, & maximum elephantorum cum his qui ſuperpoſiti fuerant: 16. ſummóque metu ac perturbatione hoſtium caſtra replentes, rebus proſperè geſtis, abierunt. 17. Hoc autem factum eſt die illuceſcente, adiuuante eum Domini protectione. 18. Sed

rex,

rex, accepto guſtu audaciæ Iudæorum, arte difficultatem locorum tentabat:
19. & Bethſuræ, quæ erat Iudæorum præſidium munitum caſtra admouebat: ſed
fugabatur, impingebat, minorabatur. 20. His autem, qui intus erant, Iudas ne-
ceſſaria mittebat. 21. Enuntiauit autem myſteria hoſtibus Rhodochus quidam de
Iudaico exercitu, qui requiſitus comprehenſus eſt, & concluſus. 22. Iterum rex
ſermonem habuit ad eos qui erant in Bethſuris: dextram dedit: accepit: abiit.
23. commiſit cum Iuda: ſuperatus eſt. Vt autem cognouit rebellaſſe Philippum
Antiochiæ, qui relictus erat ſuper negotia, mente conſternatus, Iudæos deprecans,
ſubditúſque eius, iurat de omnibus quibus iuſtum viſum eſt: & reconciliatus obtu-
lit ſacrificium, honorauit templum, & munera poſuit. 24. Machabæum amplexa-
tus eſt, & fecit eum à Ptolemaide vſque ad Gerrones ducem & principem. 25. Vt
autem venit Ptolemaidam, grauiter ferebant Ptolemenſes amicitiæ conuentionem,
indignantes ne fortè fœdus irrumperent. 26. Tunc aſcendit Lyſias tribunal, &
expoſuit rationem, & populum ſedauit, regreſſuſque eſt Antiochiam: & hoc modo
regis profectio & reditus proceſſit.

COMMENTARII.

1. *Antiochus & Lyſias bellum aduerſus Iudæam reſumunt.*

VERS. 1. 2. 3. *Anno centeſimo quadrageſimo nono Regni Græcorum, cognouit Iudas, Antiochum Eupatorem venire cum multitudine aduerſus Iudæam: & cum eo Lyſiam procuratorem, & præpoſitum negotiorum, ſecum habentem peditum centum decem millia, & equitum quinque millia, & elephantes viginti duos, currus cum falcibus trecentos.* Pro centum decem millibus peditum, quinque millibus equitum, & elephantis viginti duobus, habemus 1. *Mach.* 6. vbi hæc eadem Antiochi expeditio deſcribitur, *peditum centum millia, equitum viginti millia, elephantos triginta duos.* Nimirum variis diebus varius erat numerus, pro vt aliquæ copiæ vel de nouo accederent, vel aliò, vt fit, ablegarentur. *Commiſcuit autem ſe illis & Menelaus: & cum multa fallacia deprecabatur Antiochum non pro patriæ ſalute, ſed ſperans ſe conſtitui in Principatum.* Pſeudo-pontifex hic iam pridem fuerat ab Antiocho Epiphane conſtitutus in Pontificatu (2. Mach. 4. 23.) ſed à nouo Rege eum ſibi ſtabiliri depoſcebat. * *Non pro patria,* inquit, *ſalute.* Nam qui ambit Principatum, non ſubditorum ſed propriis commodis procul dubio ſatagit ſtudere.]

Qui ambit Præſulatum, propriis cōmodis, non ſaluti ſubditorum ſtudet.

2. *Menelaus Pſeudo-pontifex præcipitatur.*

Verſ. 4. 5. 6. 7. 8. *Sed Rex Regum ſuſcitauit animos Antiochi in peccatorem: & ſuggerente Lyſia, hunc eſſe cauſam omnium malorum, &c.* Suggerente Lyſia Menelaum eſſe cauſam turbationum in Syria, præcepit Rex in eadem illa Syriæ regione, in qua tunc Rex degebat, apprehenſum interimi, vt Syris eſt conſuetum, id eſt, mortis genere, & ſupplicio, quo ſolent iſtic proditores plecti. *Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum aggeſtum vndique habens cineris: hæc proſpectum habebat in præceps: inde in cinerem deijci iuſſit ſacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum. Et tali lege prævaricatorem legis contigit mori, nec terra dari Menelaum, &c.* Periit itaque Menelaus hoc genere mortis: Ex altiſſima turri, quæ ſubtus cinerem è ſacrificiis vicini fortaſſe delubri colligi ſolitum in cumulos vndique aggeſtum habebat, in præceps deiicitur. * Sic profanis cineribus immerſus eſt, qui ſacros diuini altaris cineres ſacrilegiis ſuis ſæpius contaminarat, ſupplicio crimini reſpondente.]

R. P. Ant. de Eſe & Mend. SS. in Ser. tom. VII. p. 2.

Supplicium criminis modo morem gerit.

Verſ. 9. 10. 11. 12. 13. *Sed Rex mente effrænatus veniebat nequiorem ſe patri ſuo Iudæis oſtenſurus. Quibus Iudas cognitis præcepit populo, vt die ac nocte Dominum inuocarent, &c.* Rex Antiochus pergit in Iudæam procurrere. * At Iudas iubens omnes ſimul orare victoriam ferè impoſſibilem facilem reddidit. Omnia enim poteſt oratio.]

Oratio omnia poteſt.

3. *Iudas noctu ex Regis exercitu plures occidit.*

Verſ. 14. 15. 16. 17. *Dans itaque poteſtatem omnium Deo, mundi creatori, &c.* Aduentantem Antiochum Iudas præuertit, & noctu in caſtra ipſius clam illapſus *dans poteſtatem Deo,* id eſt, committens ſe, ſuos, & ſua omnia nutui, ac beneplacito diuino, dato ſuis ſigno, claſſico *victoria Dei,* ſternit, cædit hoſtium quatuor millia. Qui non propriis viribus fidit, ſed Deo ſoli potentiam attribuit, facit, certam eſſe victoriam, Dei enim potentiam in obligatione vincendi, quodammodo induxit.] *Hoc autem factum eſt, die illuceſcente, adiuuante eum Domini protectione.*

Qui non ſibi, ſed Deo potentiam attribuit, facit certam eſſe victoriam.

4. *Antiochus pacem precatur à Iudæis & impetrat.*

Verſ. 18. 19. 20. 21. 22. *Sed Rex, accepto guſtu audaciæ Iudæorum, arte difficultatem locorum tentabat, &c.* Hoc audaciæ & fortitudinis Iudæorum ſpecimine amara guſtato, Rex non iam vi, ſed arte tentauit difficiliora Iudææ loca ſibi vindicare, puta proditione. Sed Rhodochus quidam Iudæus, qui prodere tentabat Bethſuram reſerans hoſtibus Iudæorum arcana, opportune detectus & captus, pœnas dedit. Dein blanditiis, amplis promiſſis, & muneribus, iterum Rex ſermonem habuit, egitque cum iis, qui erant in Bethſura, & ex animi ſententia ſucceſſit, vſi enim beneuolentia Regis præſidiarij, fame iam pene enecti (ſecretum etenim, quod Rhodochus hoſtibus reſerarat, crediderim fuiſſe viam, & modum, quo Iudas præſidiarios milites de neceſſariis prouideret) honeſtis conditionibus ſeſe, ac locum illi dediderunt. Igitur dextera illis data, & accepta, Rex inde pergit aduerſus Iudam, ſed inito prælio, ſuperatur.

Verſ. 23. 24. 25. 26. *Vt autem cognouit rebellaſſe Philippum Antiochiæ, &c.* Sub id tempus

certior factus eſt Antiochus Philippum ſe abſente rebellaſſe Antiochiæ, Regnumque Syriacom affectare. Vnde ſuaſu Lyſiæ, deprecatut Iudæos, vt pacem admittant. *Subditus eis*, id eſt, obediens, obſequens, in omnibus, quæ poſtulabant. Inſuper Iudam ipſum Regioni illi Syriacæ à Ptolemaide vſque ad Gertenos ptæpoſuit. *Vt autem venit Ptolemaidam grauiter ferebant Ptolemenſes amicitia conuentionem, &c.* Quo comperto Ptolemenſes veriti, ne forte Iudas regionum illarum ſeu poſſeſſione, ſeu adminiſtratione accepta, fœdus recens cum Rege initum mox tumperet, & ſe, viciniaſque tegiones aduerſus Regem tebellare cogeret, expoſtulant cum Rege & Lyſia ſuper hoc Iudæis conceſſo tam amplo imperio. Sed Lyſias conſcenſo tribunali, rationem facti expoſuit, docens è re non minus ipſorum, qoàm Regis eſſe, cum amicis tam fortibus, tam fidis fœdere iungi, pacemque colere.

CAPVT XIV.

Mortuis Antiocho Eupatore, & Lyſia, ſucceſſor Demetrius Nicanorem cum copiis ingentibus aduerſus Iudæos immittit: ſed pacem cum illis init. Ægrè id ferens Demetrius, iubet Nicanori, vt ad ſe Iudam vinctum emittat, qui ſe tutum ſubduxit in locum. Nicanor eius loco Raziam ad mortem abripi præcipit, ſed is ſibi manus violentas inferre maluit, quàm hoſtibus ludibrio fieri.

1. SED poſt triennij rempus, cognouit Iudas, & qui cum eo erant, Demerrium Seleuci, eum multitudine valida, & nauibus, per portum Tripolis aſcendiſſe ad loca opportuna, 2. & tenuiſſe regiones aduerſus Antiochum, & ducem eius Lyſiam. 3. Alcimus autem qnidam, qui ſummus ſacerdos fuerat, ſed voluntariè coinquinatus eſt temporibus commiſtionis, conſiderans nullo modo ſibi eſſe ſalutem, neque acceſſum ad altare, 4. venir ad regem Demerrium, eenteſimo quinquageſimo anno, offerens ei coronam auream, & palmam, ſuper hæc & thallos, qui templi eſſe videbantur. Et ipſa quidem die ſiluit, 5. Tempus autem opporrunum dementiæ ſuæ nactus, conuocatus à Demetrio ad conſilium, & interrogatus quibus rebus & conſiliis Iudæi niterentur, 6. reſpondit: Ipſi qui dicuntur Aſſidæi Iudæorum, quibus præeſt Iudas Machabæus, bella nutriunt, & ſeditiones mouent, nec patiuntur regnum eſſe quietum. 7. nam & ego defraudatus parentum gloria (dico autem ſummo ſacerdotio) huc veni: 8. primò quidem vtilitatibus regis fidem ſeruans, ſecundò autem etiam ciuibus conſulens: nam illorum prauitate vniuerſum genus noſtrum non minimè vexatur. 9. Sed oro his ſingulis, ô rex cognitis, & regioni, & generi, ſecundùm humanitatem, tuam peruulgatam omnibus, proſpice. 10. nam quamdiu ſupereſt Iudas, impoſſibile eſt, pacem eſſe negotiis. 11. Talibus autem ad hoc dictis, & cæteri amici, hoſtiliter ſe habentes aduerſus Iudam, inflammauerunt Demetrium. 12. Qui ſtatim Nicanorem præpoſitum elephantorum ducem miſit in Iudæam: 13. datis mandatis, vt ipſum quidem Iudam caperet; eos verò, qui cum illo erant, diſpergeret, & conſtitueret Alcimum maximi templi ſummum ſacerdotem. 14. Tunc geores, quæ de Iudæa fugerant Iudam, gregarim ſe Nicanori miſcebant; miſerias & clades Iudæorum, proſperitates rerum ſuarum exiſtimantes. 15. Audito itaque Iudæi Nicanoris aduentu, & conuentu nationum, conſperſi terra rogabant eum, qui populum ſuum conſtituit, vt in æternum cuſtodiret, quique ſuam portionem ſignis euidentibus protegit. 16. Imperante autem duce, ſtatim inde mouerunt, conuenerúntque ad caſtellum Deſſau. 17. Simon verò frater Iudæ commiſerat eum Nicanore: ſed conterritus eſt repentino aduentu aduerſariorum. 18. Nicanor tamen, audiens virtutem comitum Iudæ, & animi magnitudinem, quam pro patriæ certaminibus habebant, ſanguine iudicium facere metuebat. 19. Quam ob rem præmiſit Poſidonium, & Theodorium, & Matthiam vt darent dextras atque acciperent. 20. Et cùm diu de his conſilium ageretur,

&

& ipſe dux ad multitudinem retuliſſet, omnium vna fuit ſententia amicitiis
annuere. 21. Itaque diem conſtituerunt, qua ſecretò inter ſe agerent: & ſin-
gulis ſellæ prolatæ ſunt, & poſitæ. 22. Præcepit autem Iudas armatos eſſe lo-
cis opportunis, ne fortè ab hoſtibus repentè mali aliquid oriretur: & congruum
colloquium fecerunt. 23. Morabatur autem Nicanor Ieroſolymis, nihilque iniquè
agebat: gregéſque turbarum, quæ congregatæ fuerant, dimiſit. 24. Habebat autem
Iudam ſemper charum ex animo, & erat viro inclinatus. 25. Rogauitque eum
ducere vxorem, filióſque procreare. Nuptias fecit: quietè egit, communitérque
viuebant. 26. Alcimus autem, videns charitatem illorum ad inuicem, & conuen-
tiones, venit ad Demetrium, & dicebat, Nicanorem rebus alienis aſſentire, Iu-
dámque regni inſidiatorem ſibi deſtinaſſe. 27. Itaque rex exaſperatus, & peſſi-
mis huius criminationibus irritatus, ſcripſit Nicanori, dicens, grauiter quidem ſe
ferre de amicitiæ conuentione, iubere tamen Machabæum citiùs vinctum mitte-
re Antiochiam. 28. Quibus cognitis, Nicanor conſternabatur, & grauiter fere-
bat, ſi ea, quæ conuenerant, irrita faceret, nihil læſus à viro: 29. ſed, quia re-
gi reſiſtere non poterat, opportunitatem obſeruabat, qua præceptum perficeret.
30. At Machabæus, videns ſecum auſterius agere Nicanorem, & conſuetum
occurſum ferociùs exhibentem, intelligens non ex bono eſſe auſteritatem iſtam,
paucis ſuorum congregatis, occultauit ſe à Nicanore. 31. Quod cum ille co-
gnouit fortiter ſe à viro præuentum, venit ad maximum & ſanctiſſimum tem-
plum: & ſacerdotibus ſolitas hoſtias offerentibus, iuſſit ſibi tradi virum. 32. Qui-
bus cum iuramento dicentibus neſcire ſe vbi eſſet qui quærebatur, extendens
manum ad templum, 33. iurauit, dicens: Niſi Iudam mihi vinctum tradideritis,
iſtud Dei fanum in planitiem deducam, & altare effodiam, & templum hoc Li-
bero patri conſecrabo. 34. Et his dictis, abiit. Sacerdotes autem protendentes
manus in cælum, inuocabant eum, qui ſemper propugnator eſſet gentis ipſo-
rum, hæc dicentes: 35. Tu Domine vniuerſorum, qui nullius indiges, voluiſti
templum habitationis tuæ fieri in nobis. 36. Et nunc ſancte ſanctorum omnium
Domine, conſerua in æternum impollutam domum iſtam, quæ nuper mundata
eſt. 37. Razias autem quidam de ſenioribus ab Ieroſolymis delatus eſt Nicanori,
vir amator ciuitatis, & benè audiens: qui pro affectu pater Iudæorum appellaba-
tur. 38. Hic multis temporibus continentiæ propoſitum tenuit in Iudaiſmo, cor-
púſque & animam tradere contentus pro perſeuerentia. 39. Volens autem Ni-
canor manifeſtare odium, quod habebat in Iudæos, miſit milites quingentos, vt
eum comprehenderent. 40. Putabat enim, ſi illum decepiſſet, ſe cladem Iudæis
maximam illaturum. 41. Turbis autem irruere in domum eius, & ianuam di-
ſrumpere, atque ignem admouere cupientibus, cum iam comprehenderetur, gla-
dio ſe petiit: 42. eligens nobiliter mori potius, quàm ſubditus fieri peccatori-
bus, & contra natales ſuos indignis iniuriis agi. 43. Sed, cùm per feſtinatio-
nem non certo ictu plagam dediſſet, & turbæ intra oſtia irrumperent, recur-
rens audacter ad murum, præcipitauit ſemetipſum viriliter in turbas: 44. qui-
bus velociter locum dantibus caſui eius, venit per mediam ceruicem: 45. &
cum adhuc ſpiraret, accenſus animo, ſurrexit: & cum ſanguis eius magno flu-
xu deflueret, & grauiſſimis vulneribus eſſet ſaucius, curſu turbam pertran-
ſiit: 46. & ſtans ſupra quamdam petram præruptam, & iam exanguis effe-
ctus, complexus inteſtina ſua, vtriſque manibus proiecit ſuper turbas, inuo-
cans dominatorem vitæ ac ſpiritus, vt hæc illis iterùm redderet: atque ita vita
defunctus eſt.

COMMENTARII.

1. *Demetrius Nicanorē ad Iudæos debellandos mittit, ſed is cum illis pacem init.*

VERS. 1. 2. 3. 4. *Sed poſt triennij tempus cognouit Iudas, & qui cum eo erant, Demetrium Seleuci cum multitudine valida, & nauibus per portum Tripolis aſcendiſſe ad loca opportuna, &c.* Tertio anno ab Antiochi Epiphanis morte, quem Auctor libri obiiſſe vult anno centeſimo quadrageſimo octauo Regni Græcorum: Demetrius Seleuci filius aduerſus Antiochum Eupatorem, & ducem eius Lyſiam per portum Tripolis cum ingentibus copiis pugnaturus irrupit. De initiis huius Demetrij vide lib. 1. c. 7. *Alcimus autē quidam, &c.* Alcimus, qui hîc dicitur fuiſſe magnus Sacerdos, nuper ab Antiocho Eupatore poſt Menelai necem, ad eam euectus dignitatem: quia voluntariè coinquinatus fuit, ſeu ſpontè

à vera religione deflexit, & profanis Gentilium ritibus ſeſe contaminauit tempore *commiſtionis*, ſeu cum Gentiles Iudæis permiſcerentur: deſperabat non modo de acceſſu ad altare, & functionibus pontificiis, ſed & ſalute aut vita ſua, ſi in Iudæam, vbi Iudas æmulus eius Princeps aderat, ſe conferret. Ergo opem Regis Demetrij imploraturus, offert ei coronam auream, qua regiam illi dignitatem gratulabatur: & palmam auream, qua adprecabatur victoriam: & thallos, id eſt, ramos, ſeu ſurculos oleaginos ex auro, queis pacem depoſcebat. Sed de alieno ſacrilegus ille liberalis erat, nam clinodia hæc omnia videbantur, ſeu certò ſciebantur eſſe Templi, è quo ipſe furto ſubduxerat. * Nunquam non videbis apoſtatam ſeu à fide, ſeu à regulari inſtituto inquietum, & conſcientiæ ſtimulis agitatum.] *Et ipſis quidem die ſiluit*. Nec de querelis, quas aduerſus Iudam Machabæum corde fouebat, aliquid tunc expoſuit, tempus captans opportunius.

Vita apoſtatæ à fide, vel à regulari inſtituto admodum inquieta.

Verſ. 5.6.7.8 9. Tempus autem opportunum dementia ſua nactus, conuocatus à Demetrio ad conſilium, & interrogatus, quibus rebus, & conſiliis Iudæi niterentur, reſpondit: Ipſi, qui dicuntur Aſſidei Iudæorum, quibus præeſt Iudas Machabæus, bella nutriunt, &c. * Cautè noluit Iudæ immediatæ culpam turbationum Regni tribuere. Sed Aſſidæis, quibus præerat Iudas. Præſuli enim ſubditorum tribuuntur exceſſus.] *Aſſidæi*, (vti alibi annotaui) a radice חסיד *chaſid*, id eſt, *miſericors*, *ſanctus*. Idem enim eſt miſericordem ſanctum eſſe. Vnde in iudicio ſolum Iudex Chriſtus de miſericordia ſanctorum memoriam aget; dum enim eos miſericordes fuiſſe affirmat, ſanctos extitiſſe profitetur.] Sancti erant Aſſidæi tum profeſſione religionis, & fidei, tùm præſtantia morum. Porro à Doctoribus iam *Eſſeni*, iam *Rechabitæ* vocitantur, qui ſpecialibus inſtitutis non minus quam nomine à reliquo populo erant diſtincti, ferè vt nunc religioſi. Horum Præpoſitus Generalis iam erat Iudas, antea ſolum *Decimus*, ſeu *dechadarchus*, id eſt, ex *decemuiris* vnus, qui cum Præpoſito Generali omnia eius Ordinis adminiſtrabant. Speciatim hi caſtitatis fulgebant virtute; vxorem enim vel nunquam, vel admodum ſerò ducebant. His ergò religioſis viris culpam imputat Alcimus inquietudinis Regni. * Prima enim impiorum iacula ad religioſorum pectora diriguntur, à quorum ſanctitate eorum ſcelera condemnantur.] *Nam & ego* (pergit ille) *defraudatus parentum gloria* (dico *autem ſummo Sacerdotio*) *huc veni, primo quidem vtilitatibus Regis fidem ſeruans, ſecundò autem etiam ciuibus conſulens: nam illorum prauitate vniuerſum genus noſtrum non minimè*, ſeu non modicum *vexatur*. * O quot calumniæ excitantur, quot iniuriæ fiunt falſo illo prætextu, quod *vtilitatibus Regis* fides ſeruatur!] *Sed &c, his ſingulis ò Rex, cognitis, &c.*

Præſuli crimina ſubditorum tribuuntur.

Impiorum agnata contra religioſos inimicitia.

Multæ fiunt iniuriæ falſo prætextu, quod vtilitatibus Regis fides ſeruatur.

Verſ. 11.12.13.14. Talibus autem ab hoc dictis, &c. Tunc Gentes, quæ de Iudæa fugerant Iudam, gregatim ſe Nicanori miſcebant: miſerias, & clades Iudæorum, proſperitates rerum ſuarum exiſtimantes. Putantes ſcilicet, tanta eos proſperitate frui, quanta aduerſitate Iudæi premerentur. Hos fugientes Iudam ex ipſis Iudæis ſceleſtibus fuiſſe exiſtimo, quos quidem legis violatores pius Præſul corripiebat. Scio autem ab aliis particulam. Tunc *Gentes* Gentilibus per Iudæam diſperſis accommodari. * Si autem primæ expoſitioni adhæreas, magna eſt equidem commendatio Præſulis, querulos habere ſubditos legum violatores.]

Commendatio eſt Præſulis querulos habere ſubditos peccatores.

Verſ. 15.16.17.18. Audito itaque Iudæi Nicanoris aduentu, &c. Audientes Iudæi Nicanorem copioſiſſimis copiis cinctum aduentare, Deum precantur, vt Iudæam propriam illius hæreditatem nunc cuſtodiret, quomodo euidentiſſimis miraculis ſæpe protegerat. Et animum ex oratione reſumentes Iuda ſacri exercitus duce imperante, ad caſtellum Deſſau ſe recepit exercitus. Loco caſtelli *Deſſau* habes 1.Mach.7.31. *Capharſa lama*. Sed variis diebus caſtra varia occupare loca ſolent. *Simon vero frater Iudæ commiſerat cum Nicanore; ſed conterritus* eſt repentino aduentu aduerſariorum. Nicanor autem audiens virtutem comitum Iudæ, & animi magnitudinem, quam pro patriæ certaminibus habebant, *ſanguine iudicium facere metuebat*, id eſt, refugit ferro decernere, & cum hoſte confligere qui mori, quam fugere mallet.

Verſ. 19.20.21.22.23.24.25. Quam ob rem præmiſit Poſidonium, & Theodoſium, & Matthiam, vt darent dexteras, & acciperent, &c. * Melior enim eſt pax ante conflictum, quàm poſt certamina certa victoria. Vndè prudenter ſe conſiliarij illi geſſerunt.] *Itaque diem conſtituerunt, quo ſecreto inter ſe agerent, &c.* * Nihil magis neceſſarium eſt duci, quam prudentia ac prouidentia ad fortuitus ſucceſſus præoccupandum; nec enim facilè, ac leuiter hoſti fidendum.] *Morabatur autem Nicanor Ieroſolymis, nihilque inique agebat: gregeſque turbarum, quæ congregata fuerant, dimiſit. Habebat autem Iudam ſemper charum ex animo, & erat viro inclinatus*. Forte legendum, *Non ex animo*, qui pro particula, *Ex animo*, Græcè eſt, ἐν προσώπῳ, id eſt, *in facie*, ſeu *vultu tenus*. Eodemque modo *erat viro inclinatus*, id eſt, propenſum ſe, & beneuolum erga Iudam gerebat. * Raro aut nunquam videris homines variarum religionum aſſeclas veram inter ſe fouere amicitiam. Vnde ne vnquam hæretico Catholicus fidas.] *Rogauitque eum ducere vxorem filioſque procreare. Nuptias fecit, quiete egit, communiterque viuebant*, id eſt, familiariter, & comiter Nicanor & Iudas Ieroſolymis morabantur. Rogauit itaque Nicanor Iudam, vt vxorem duceret, filios vt procrearet tanti parentis æmulatores. Hoc præ ſe ferebat Gentilis, ſed re ipſa intendebat, his nuptiis Iudam à bellandi ſtudio diſtrahere. Ex his nuptiis accepiſſe. Sed huius nulla in Scriptura, nec alibi mentio. Fortè præpropera morte ſublatus fuit, etiam ante parentem, qui proximo anno è viuis exceſſit. * Quod ſi ſuperſtes fuit, ei accidit, quod ducum filiis ſolet accidere, nempe vitam inopem agere poſt parentum obitum. Facile enim à Principibus mortuorum facinora obliuioni traduntur.]

Melior eſt pax ante pugnam, quam poſt eam, vel certa victoria.

Neceſſaria eſt duci prouidentia ad fortuitus ſucceſſus præoccupandum.

Variarum religionũ aſſeclæ raro veram fouẽt amicitiam.

Militum filij poſt patris obitum plerumq; vitam inopem & obſcuram agunt.

Verſ. 26.27.28.29. Alcimus autem videns charitatem illorum ad inuicem, &c. Amicitia ho- 2.

Demetrius iubet Nicanor

rum

li, vt Iudam vinctum ad ſe remittat, quo ſe à periculo ſubripit.

rum duorum Principum diſplicuit Alcimo: Nicanorem hoc nomine, proditionis apud Regem accuſat. *Itaque Rex exaſperatus, & peſſimis huius criminationibus iratus, ſcripſit Nicanori, dicens, &c.* Rex Nicanori ſcribit, non ſibi pacta cum Iudæis conuenta: iubetque Iudam Machabæum Antiochiam vinctum ad ſe immitti. Imprudens Rex, ſi credidit veram eſſe Nicanoris & Iudæ amicitiam. Nam cum amicus ſit alter ego, quonammodo poterit quis ſeipſum proditoriè tradere?] *Quibus cognitis Nicanor conſternabatur, &c.* * Hoc quidem verum fuiſſe eius erga Iudam amorem Nicanor argumentum expoſuit. Verus enim amans de amati incommodis affligitur, & conſternatur.] *Sed quia Regi reſiſtere non poterat, &c.* * Si hoc egit Nicanor fidelitatis, & obedientiæ affectu, ſe illuſtrem admodum oſtendit, qui Regis præceptum potenti cordis affectui præpoſuit.]

Amicus alter ego.

Amans affligitur de amati incommodis.

Illuſtre obedientiæ argumentum eſt, præceptum Præſolis potenti cordis affectui præponere.

Verſ. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. At Machabæus, videns ſecum auſterius agere Nicanorem, &c. Facilè aduertit Iudas ex Nicanoris facie animum à ſe alienatum, aliquidque mali meditari: Vnde cum nonnullis ſuorum ſeſe occultare ſtuduit. * Cordis affectus, maximè proditorius rarò non prorumpit ad faciem.] *Quod cum ille cognouit fortiter ſe a viro præuentum, &c.* Vt autem Nicanor dignouit ſe à Iuda præuentum *fortiter*, aſtutia, ſeu militari ſtratagemate. (* Non ſemper fuga infirmitatis eſt, ſæpè eſt fortitudinis documentum; Maximè ſi ab animæ hoſtibus mundo, aut carne recedere cures.)] *minatur* Sacerdotibus ſe Dei Templum funditus exciſurum, & ſacratutum Baccho. * Si funditus euertitur, quomodo Baccho conſecratur? Certè quia Templum eiuſmodi immunditia violari; idem eſt ac euerti.] *Sacerdotes autem protendentes manus in cælum, inuocabant eum, &c.* Erit enim ipſi Templo quodammodo in opprobrium, quod *nuper* mundatum, tam cito rurſum contaminatum fuerit. * Pudere quidem debet homines Templum Dei heri factos per pœnitentiam mundum, hodie rurſum priſtina immunditia fœdari.] Arguit enim maximam animi leuitatem.]

Cordis affectus rarò nō prorūpit ad faciem.

Fugere ab hoſte animę non eſt infirmitas, ſed fortitudo.

Violari immunditia Tēplum, idem eſt, ac euerti.

Citò vitiis fœdari, qui *nuper* per pœnitentiā mūdatus fuit, eſt quidem infamia.

3\. *Verſ. 37. 38. 39. 40. 41. 42. Razias autem quidam de ſenioribus ab Ieroſolymis delatus eſt Nicanori, &c.* Iram, quam Nicanor effundere non potuit in Iudam, profudit in Raziam è præcipuis Senatoribus vnum Ieroſolymitanis, qui pro pio in commune bonum affectu pater Iudæorum appellabatur. *Hic multis temporibus continentiæ propoſitum tenuit in Iudaiſmo, &c.* Hic in vera Dei religione conſtanter ſeſe continuit purum, integrumque ab omnibus Gentilium impietatibus. Ex Aſſidæorum numero fuiſſe a Doctoribus accepi. *Volens autem Nicanor manifeſtare odium, quod habebat in Iudæos, miſit milites quingentos, vt eum comprehenderent: putabat enim, ſi illum decepiſſet, ſeu cepiſſet, ſe cladem Iudæis maximam illaturum. Turbis autem irruere in domum eius, & ianuam diſrumpere, atque ignem admouere cupientibus, cum iam comprehenderetur, gladio ſe petiit, &c.* Petiit quidem ſe gladio, ſed non penitus interemit.

Totam Nicanor iram conuertit in Raziam, qui ſibi mortem intulit, ne ludibrio hoſtium daretur.

Verſ. 43. 44. 45. 46. Sed cum per feſtinationem non certo ictu plagam dediſſet, & turbæ intra oſtia irrumperent, recurrens audacter ad murum, præcipitauit ſemetipſum viriliter in turbas, &c. Profectò Razias cum præ feſtinatione non ſat certo ac directo ad cor ictu vulnus ſibi inflixiſſet, ex alto muro præcipitem ſe in medias turbas egit. Sed ne ſic quidem extinctus. Nam turbis locum dantibus, decidit in terram *per mediam ceruicem*, Græcè, *per medium ventrem.* Non inquam decidit prono capite in terram, ſed in latus, aut in ventrem, mediam ceruicem terræ allidendo. Vndè ſpirans adhuc, imò ſat adhuc robuſtus corpore ſaucio quidem, ſed robuſtiſſimo ſpiritu informato: curſu turbam prærumpens, & in præruptam petram aſcendens, inteſtina ſua vna & altera manu è viſceribus educta in medias turbas proiecit; Deum inuocans, vt hæc iterum ſibi in nouiſſimo iudicij die redderet. Ex qua Dei inuocatione è conſtanti fide, ſpe, ac charitate promanante allicior, vt mihi perſuadeam, Rixiam hoc in actu non deliquiſſe, ſed ea ſpeciali Dei inſtinctu ſibi vim attuliſſe, vt de Samſone expreſſi. Suadet hoc pia Raziæ vita tot virtutibus ornata: ſuadet pia hoc in facinore intentio, *ne ſubditus fieret peccatoribus*, & forſan vel blanditiis, vel tormentis, aliquid ex ore illius eliceretur, quod vel honori diuino, vel populi commodis officere videretur: ſuadet pia moribundi oratio, & ſpiritus diuinas in manus commendatio: ſuadet denique ſacri Scriptoris, ſeu Spiritus ſancti eximia laus, qua factum hoc Raziæ proſequitur, dum illas particulas aceruat, *Nobiliter*, *Audacter*, *Viriliter*, Profectò falſum eſſet, *viriliter*, *nobiliterque* egiſſe, niſi ſpiritus ſancti inſtinctu id egiſſet. * Cum prorſus abiecti animi puſillique ſit, ſeipſum occidere.]

Puſilli, & abiecti animi eſt, ſeipſum occidere.

CAPVT XV.

Nicanor pugnaturus cum Iudæis nouis inſtructus copijs proficiſcitur. Iudas ab Onia & Ieremia in ſomnis animatus Nicanorem vincit, interimit, eiuſque caput & manus è Templi regione ſuſpendit.

1. NICANOR autem, vt comperit Iudam eſſe in locis Samariæ,
cogitauit cum omni impetu die ſabbati committere bellum.
2. Iudæis verò, qui illum per neceſſitatem ſequebantur,
dicentibus: Ne ita ferociter & barbarè feceris, ſed hono-
rem tribue diei ſanctificationis, & honora eum, qui vniuer-
ſa conſpicit: 3. ille infelix interrogauit, ſi eſt potens in
cælo, qui imperauit agi diem ſabbatorum. 4. Et reſpon-
dentibus illis, Eſt Dominus viuus ipſe in cælo potens, qui iuſſit agi ſeptimam
diem. 5. At ille ait. Et ego potens ſum ſuper terram, qui impero ſumi arma, &
negotia regis impleri. Tamen non obtinuit vt conſilium perficeret. 6. Et Nica-
nor quidem cum ſumma ſuperbia erectus, cogitauerat commune trophæum ſta-
tuere de Iuda. 7. Machabæus autem ſemper confidebat cum omni ſpe auxilium
ſibi à Deo affuturum. 8. & hortabatur ſuos ne formidarent ad aduentum na-
tionum, ſed in mente haberent adiutoria ſibi facta de cælo, & nunc ſperarent
ab Omnipotente ſibi affuturam victoriam. 9. Et allocutus eos de lege & pro-
phetis, admonens etiam certamina quæ fecerant priùs, promptiores conſtituit
eos. 10. & ita animis eorum erectis, ſimul oſtendebat Gentium fallaciam, &
iuramentorum præuaricationem. 11. Singulos autem illorum armauit, non cly-
pei & haſtæ munitione, ſed ſermonibus optimis, & exhortationibus, expoſito
digno fide ſomnio, per quod vniuerſos lætificauit. 12. Erat autem huiuſ-
modi viſus: Oniam, qui fuerat ſummus ſacerdos, virum bonum & benignum,
verecundum viſu, modeſtum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in
virtutibus exercitatus ſit, manus protendentem, orare pro omni populo Iudæo-
rum: 13. Poſt hoc apparuiſſe & alium virum, ætate & gloria mirabilem, &
magni decoris habitudine circa illum: 14. Reſpondentem verò Oniam dixiſſe:
Hic eſt fratrum amor, & populi Iſraël: hic eſt, qui multum orat pro populo,
& vniuerſa ſancta ciuitate, Ieremias propheta Dei. 15. Extendiſſe autem Iere-
miam dextram, & dediſſe Iudæ gladium aureum, dicentem: 16. Accipe ſan-
ctum gladium munus à Deo, in quo deiicies aduerſarios populi mei Iſraël.
17. Exhortati itaque Iudæ ſermonibus bonis valdè, de quibus extolli poſſet im-
petus, & animi iuuenum confortari, ſtatuerunt dimicare & confligere fortiter,
vt virtus de negotiis iudicaret; eò quòd ciuitas ſancta & templum periclitarentur.
18. Erat enim pro vxoribus, & filiis, itémque pro fratribus, & cognatis, mi-
nor ſolicitudo: maximus verò & primus pro ſanctitate timor erat templi. 19. ſed
& eos qui in ciuitate erant, non minima ſollicitudo habebat pro his qui con-
greſſuri erant. 20. Et, cùm iam omnes ſperarent iudicium futurum, hoſtéſque
adeſſent, atque exercitus eſſet ordinatus, beſtiæ equitéſque opportuno in loco
compoſiti, 21. conſiderans Machabæus aduentum multitudinis, & apparatum
varium armorum, & ferocitatem beſtiarum, extendens manus in cælum, prodi-
gia facientem Dominum inuocauit, qui non ſecundùm armorum potentiam,
ſed prout ipſi placet, dat dignis victoriam. 22. Dixit autem inuocans hoc mo-
do: Tu Domine, qui miſiſti Angelum tuum ſub Ezechia rege Iuda, & interfe-
ciſti de caſtris Sennacherib centum octogintaquinque millia: 23. & nunc domi-
nator cælorum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timore & tremore magni-
tudinis brachij tui, 24. vt metuant qui cum blaſphemia veniunt aduerſus ſanctum
populum tuum. Et hic quidem ita perorauit. 25. Nicanor autem, & qui cum ip-
ſo erant, cum tubis & canticis admouebant. 26. & qui cum eo erant, inuoca-

to Deo, per orationes congreſſi ſunt : manu quidem pugnantes, ſed Dominum cordibus orantes, proſtrauerunt non minus triginta quinque millia, præſentia Dei magnificè delectati. 28. Cúmque ceſſaſſent, & cum gaudio redirent, cognouerunt Nicanorem ruiſſe cum armis ſuis. 29. Facto itaque clamore, & perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Dominum benedicebant. 30. Præcepit autem Iudas, qui per omnia corpore & animo mori pro ciuibus paratus erat, caput Nicanoris, & manum cum humero abſciſſam, Ieroſolymam perferri. 31. Quo cùm peruenisset, conuocatis contribulibus, & ſacerdotibus ad altare, accerſiit & eos qui in arce erant. 32. Et oſtenſo capite Nicanoris, & manu nefaria, quam extendens contra domum ſanctam omnipotentis Dei, magnificè gloriatus eſt : 33. Linguam etiam impij Nicanoris præciſam iuſſit particulatim auibus dari : manum autem dementis contra templum ſuſpendi. 34. Omnes igitur cæli benedixerunt Dominum, dicentes : Benedictus, qui locum ſuum incontaminatum ſeruauit. 36. Suſpendit autem Nicanoris caput in ſumma arce, vt euidens eſſet & manifeſtum ſignum auxilij Dei. 36. Itaque omnes communi conſilio decreuerunt nullo modo diem iſtum abſque celebritate præterire : 37. habere autem celebritatem tertiadecima die menſis Adar, quod dicitur voce Syriaca, pridie Mardochæi diei. 38. Igitur his erga Nicanorem geſtis, & ex illis temporibus ab Hebræis ciuitate poſſeſſa, ego quoque in his faciam finem ſermonis. 39. Et ſi quidem benè, & vt hiſtoriæ competit, hoc & ipſe velim : ſin autem minus dignè, concedendum eſt mihi. 40. Sicut enim vinum ſemper bibere, aut ſemper aquam, contrarium eſt : alternis autem vti, delectabile : ita legentibus, ſi ſemper exactus ſit ſermo, non erit gratus. Hic ergo erit conſummatus.

COMMENTARII.

1.
Nicanor nouus copijs inſtructus contra Iudæos proficiſcitur.

VERS. 1. 2. 3. *Nicanor autem vt comperit Iudam, eſſe in locis Samariæ, cogitauit cum omni impetu die Sabbati committere bellum.* Vt Iudam iuxta Regis præſcriptum, Nicanor viuum capere poſſet, iubet ſuis, die Sabbati prælium committere, quod ſperaret, Iudæos ob feſti ſanctitatem non repugnaturos. Vbi pietas Iudæorum, & Nicanoris imbecillitas annotatur. *Iudæis verò, qui illum per neceſſitatem ſequebantur dicentibus. Ne ità ferociter, & barbarè feceris, ſed honorem tribue diei ſanctificationis, & honora eum, qui vniuerſa conſpicit : ille infelix interrogauit, ſi eſt potens in cælo, qui imperauit agi diem Sabbatorum.* Porrò Iudæi, qui per vim coacti fuere illum ſequi, & contra fratres dimicare, Ne, quæſumus, aiunt, ita immanem te geras, cogens nos die ſancto arma ſumere : & ne ita tyrannicè & ignobiliter obruas fratres noſtros eo tempore, quo ipſi per leges ſuas putant, ſibi non licere vim vi repellere. Infelix autem iuſtè appellatur, qui inſigni ſuperbia ſe Deo videtur exæquare, eiuſque imperium in homines eripere.

Verſ. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Et reſpondentibus illis. Eſt Dominus viuus ipſe in cælo potens, qui iuſſit agi ſeptimam diem. At ille ait : Et ego potens ſum ſuper terram, qui impero ſumi arma, & negotia Regis impleri. Tamen non obtinuit, vt conſilium perficeret. Vt videret ſe in terra nihil poſſe contra Dominantis in cælo, & terra voluntatem. * Adeo præpropera eſt humiliatio ſuperbiæ.] Non inquam id obtinuit, quia Iudæi fortiter recuſarunt, ſe die feſto contra fratres ſuos arma ſumpturos. *Et Nicanor quidem cum ſumma ſuperbia erectus, cogitauerat commune trophæum ſtatuere de Iuda*, id eſt, omnes debellare vno Iuda comprehenſo. * Et quidem in vno fortiſſimo duce tota magni exercitus fortitudo infirmatur.] *Machabæus autem ſemper confidebat cum omni ſpe auxilium ſibi a Deo affuturum : & hortabatur ſuos, ne formidarent ad aduentum nationum, ſed in mente haberent adiutoria ſibi facta de cælo : & nunc ſperarent ab Omnipotente ſibi affuturam victoriam. Et allocutus eos de lege & Prophetis, admonens etiam certamina, quæ fecerant prius, promptiores conſtituit eos : & ità animis eorum erectis, ſimul oſtendebat Gentium fallaciam, & iuramentorum præuaricationem.* Iudas itaque, vti fortem decebat ducem, ſuos adhortatur ad fortiter ſe gerendos : loquitur quæ *de lege, ac Prophetis*, ſcilicet depromptis inde egregiis præliorum, ac victoriarum exemplis : ſimulque diuinis de certo auxilio ſibi cælitus ſubmittendo promiſſionibus. * Hanc quidem promiſſionum Dei certitudinem comparans cum fallaci Gentilium etiam iuramento roborata promiſſione. Quod barbari impiiſque eſt.]

Præpropera eſt admodũ humiliatio ſuperbiæ.

Victo Duce fortiſſimo, tota exercitus fortitudo infirmatur.

Barbari, & impij eſt, promiſſionẽ iuramento firmatã non implere.

Verſ. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Singulos autem illorum armauit non clypei, & haſtæ munitione, ſed ſermonibus optimis, exhortationibus, expoſito digno fide ſomnio per quod vniuerſos lætificauit. Erat autem huiuſcemodi viſus : Oniam, qui fuerat ſummus Sacerdos, virum bonum, & benignum, verecundum viſu, modeſtum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus ſit : manum protendentem, orare pro omni populo Iudæorum. Ad militum fidem, & ſpem excitandam, expoſuit eis Iudas ſomnio digno admodum fide, per quod illos exhilarauit, animoſque adiecit. Vidit ergo ſummum Pontificem Oniam nuper è viuis proditoriè ſublatum (cap. 4. 34.)

2.
Refert ſibi apparuiſſe ſibi in ſomnio Oniam & Ieremiam, eum ad bellum accendentes.

è lim

è limbo patrum protendentem ad Deum manus, orantemque pro Iudæorum populo. *Poſt hoc apparuiſſe & alium virum ætate & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine, circa illum: Reſpondentem verò Oniam dixiſſe, Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael: hic eſt, qui multum orat pro populo, & vniuerſa ſancta Ciuitate, Ieremias Propheta Dei.* Oniam Iudas ob recentem viri memoriam facile dignouit, ſed ſocium eius, qui longe ſplendidiore forma ſimul apparebat, agnoſcere non potuit. Sed cum Onias detexit, inquiens, eum eſſe Prophetam Ieremiam Iudæorum amatorem, qui pro vniuerſo populo nunquam non Dominum deprecatur. *Extendiſſe autem Ieremiam dexteram, & dediſſe Iudæ gladium aureum, dicentem, Accipe ſanctum gladium munus à Deo, in quo deiicies aduerſarios populi mei Iſrael.* Tunc Ieremias, dextera verſus Iudam protenſa, ei in manus gladium deauratum tradidit, hac addita monitione: Accipe benedictum à Deo gladium miſſum tibi ex ſingulari affectu munus: quo gladio aduerſarios Iſraëlis profligabis. * Ex hac certa viſione certiſſimè colligo ſanctos iam vita functos noſſe, quæ aguntur in terris, & noſtri curam gerere, pro nobis orare, & cum Deo placitum fuerit, etiam nobis opitulari: ac proinde meritò à nobis inuocari, & honorari.] Nec poteſt Caluinus, aut alij ſanctorum hoſtes hoc telum declinare, niſi libros hos reiiciendo, quos tamen conſtat ab vniuerſa Dei Eccleſia iam inde ab illius exordio pro Canonicis fuiſſe receptos.

Certa eſt pro nobis ſanctorū in cœlis interceſſio.

3. *Verſ. 17.18.19.20.21. Exhortati itaque Iudæ ſermonibus bonis valdè, de quibus extolli poſſet impetus, & animi iuuenum confortari: ſtatuerunt dimicare, & confligere fortiter, vt virtus de negotiis iudicaret; eo quod Ciuitas ſancta, & Templum periclitarentur. Erat enim pro vxoribus, & filiis, itemque pro fratribus, & cognatis minor ſollicitudo: maximus vero, & primus pro ſanctitate timor erat templi.* Quaſi Templi immunitate, & ſanctitate ciuium tota populi felicitas, ac ſecuritas niteretur.] * Prudentiſſimè Iudæi quaſi obliti vxorum, filiorum, ac fratrum, ſolius Templi & ſacrorum defenſioni ſtudent. Dum enim homo de honore Dei defendendo eſt ſolicitus, Deus adſtat omnia quæ ad ipſum attinent defenſurus.] *Sed & eos, qui in Ciuitate erant, non minima ſollicitudo habebat pro his, qui congreſſuri erant.* Timebant enim, ne pauci cum eſſent, ab innumerabili hoſtis exercitu ſuperarentur. *Et cum iam omnes ſperarent iudicium futurum*, ſeu cum iam prælium immineret, quo Dei iudicium de cauſa ducis vtriuſque parte fieret, *hoſteſque adeſſent, atque exercitus eſſet ordinatus, beſtiæ, equiteſque opportuno in loco compoſiti: conſiderans Machabæus aduentum multitudinis, & apparatum varium armorum, & ferocitatem beſtiarum*, ſeu elephantorum: *extendens manus in cælum, prodigia facientem Dominum inuocauit: qui non ſecundum armorum potentiam, ſed prout ipſi placet, dat dignis victoriam.* Dignis inquam, id eſt, eis, qui in eo confidunt, & eius præſcripta executioni mandant. * Vnde Reges, & duces bella facturi magis debent eſſe ſoliciti de exercitus dignitate, quam de multitudine. Paucis enim dignis dabit victoriam de innumerabilibus copiis indignis adipiſci.]

Nicanorem Iudas vincit, eiuſque caput & manum è regione Templi ſuſpendi iubet.

Tota populi felicitas ex immunitate Templi, ſeu Eccleſiæ pendet.

Dum homo Dei cauſam agit, Deus hominis cauſam protegendam ſuſcepit.

Victoriæ à Deo plerum que dantur non tā multis, quā paucis, qui ex iuſtitia ſunt digni.

Verſ. 22.23.24.25.26.27. Dixit autem inuocans hoc modo: Tu Domine, qui miſiſti Angelum tuum ſub Ezechia Rege Iuda, interfeciſti de caſtris Sennacherib centum octoginta quinque millia: & nunc Dominator cælorum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timore, & tremore magnitudinis brachij tui; vt metuant qui cum Blaſphemia veniunt aduerſus ſanctum populum tuum. Et hic quidem ita perorauit. Qui Iſraëliticum exercitum protegiſti olim Angelo immiſſo cæleſti, nunc idem cælorum Dominator Angelum immitte, qui tremorem hoſtibus blaſphemis incutiat. *Nicanor autem, & qui cum ipſo erant cum tubis, & canticis admouebant. Iudas verò, & qui cum eo erant, inuocato Deo, per orationes congreſſi ſunt; manu quidem pugnantes, ſed Dominum cordibus orantes, proſtrauerunt non minus triginta quinque millia, præſentia Dei magnifice delectati.* Nicanor & eius copiæ militaribus vociferationibus procedebant, accedebant. Iudas verò & ſui orationibus: dum manibus decertant, cordibus exorant. * Et orationi victoria cedit.]

Victoria orationi cedit.

Verſ. 28.29.30.31.32.33. Cúmque ceſſaſſent, & cum gaudio redirent, cognouerunt, Nicanorem ruiſſe cum armis ſuis. Ex Gorionide lib. 3. cap. 22. accepi Iudam, cognita morte Raziæ, ſuccenſum furore Nicanorem prouocaſſe in campum apertum: ibique poſt infelicem pugnam, cum fugam pararet Nicanor, ab ipſomet Iuda in duas fuiſſe partes diſſectum. Aſt tanti Auctoris venia, ei hiſtoriæ periodo non applaudo. * Nec enim credó Nicanorem ſingulare id certamen admiſiſſe. Nam qui ſuperbe plura loquitur, pauca agit viriliter.] Reperiunt igitur Nicanoris cadauer in armis velut in feretro aut ſtygio lecto, *Facto itaque clamore, & perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Dominum benedicebant: Præcepit autem Iudas, qui per omnia corpore, & animo mori pro ciuibus paratus erat, caput Nicanoris, & manum cum humero abſciſſam, Ieroſolymam perferri. Quo cum perueniſſet, conuocatis contribulibus, & Sacerdotibus ad altare, accerſit & eos, qui in arce erant* præſidiarios Syriacos, *Et oſtenſo capite Nicanoris, & manu nefaria quam extendens contra domum ſanctam omnipotentis Dei, magnifice gloriatus eſt. Linguam etiam impij Nicanoris præciſam iuſſit particulatim auibus dari: manum autem dementis contra Templum ſuſpendi.* Iuſto equidem Dei iudicio in caput, manum, & linguam blaſphemi Nicanoris ſæuitur. Et in perpetuam memoriam tantæ victoriæ manus & caput de muro è Templi regione ſuſpenditur. Iuſto, inquam Dei iudicio punitur in capite ſuperbus Nicanor, in manu crudelis, in lingua blaſphemus. Hic cæleſti Iudice iuuante, membra per quæ deliquit impius, dirioribus in tartaro pœnis afficienda.]

Loquax miles, plerumque imbellis.

Dirioribus pœnis afficiūtur membra, quæ ſeruierunt iniquitati.

Verſ. 34.35.36.37. Omnes igitur tali benedixerunt Dominum, dicentes: Benedictus qui locum ſuum incontaminatum ſeruauit, id eſt, Benedixerunt Dominum cæli. Græcè, cælum verſus extulerunt vocem grati animi indicem. * Aptè autem dicitur, *cæli benedixerunt Dominum*,

minum ; homines enim actionis gratiarum hymnum proferentes chorum agunt cum Angelis.] *Suſpendit autem Nicanoris caput in ſumma arce, vt euidens eſſet, & manifeſtum ſignum auxilij Dei. Itaque omnes communi conſilio decreuerunt, nullo modo diem iſtum abſque celebritate præterire : habere autem celebritatem tertia decima die menſis Adar, quod dicitur voce Syriaca: pridie Mardochei diei.* Placuit in tam illuſtris victoriæ memoriam diem feſtum indici tertia decima die menſis, qui lingua Syriaca dicitur *Adar*, & ferè noſtro Februario reſpondet. Hæc autem tertia decima dies Adar erat pridie diei Mardochæi, quæ conſequentibus duabus diebus 14. & 15. Adar celebrabatur (*Eſt.* 9. 27.) Ieiunium verò Eſther, quod Iudæi in ſuo Calendario habent illa ipſa 13. die Adar, veriſſimilius eſt, tunc à Synagoga antiquatum tunc, vel in præcedentem diem, aut in aliud tempus tranſlatum; quia triumphali huiuſmodi feſto ieiunium non congruebat.

Homines hymnũ gratiarum actionis proferẽtes, chorum agunt cum Angelis.

Verſ. 38. 39. 40. *Igitur his erga Nicanorem geſtis, & ex illis temporibus ab Hebrais ciuitate poſſeſſa, ego quoque in his faciam finem ſermonis. Et ſiquidem benè, & vt hiſtoria competit, hoc & ipſe velim; ſin autem minus dignè, concedendum eſt mihi.* Hoius Libri Auctor ſibi petit ignoſci non errata, quæ probè ſciebat nulla operi ſuo ineſſe, ſeu rem ſpectes, ſeu rei circumſtantias : ſed ſtylum minus fortè politum, minus terſum, ſeu *minus dignum*, quam & hiſtoriæ grauitas, & diuini verbi maieſtas, & delicatæ legentium aures & palata depoſcere videbantur. *Sicut enim vinum ſemper bibere, aut ſemper aquam, contrarium eſt; alterius autem vti delectabile : ita legentibus, ſi ſemper exactus ſit ſermo, non erit gratus.* Sicut gratius conuiuis accidit ſi vino & aqua alternis, vel vino aqua diluto detur vti, quam ſi ſemper merum haurire cogantur : ſic gratius accidit legentibus, ſi ſtylum reperiant exiliorem, neque ſemper ampla conſtructione detineantur. * Nec quidquam ſuauius mortalibus quàm quod apta varietate conditur.] *Hic ergo erit conſummatus.* Græcè, *conſummatio*, ſeu finis huius libri. Erit & hic, ſed poſt reliqua libri primi conſummatio, & finis antiqui Teſtamenti, ſuccedente nouo, ſeu Chriſto Ieſu ſcopo, fine, complemento legis, Prophetarum, totiuſque veteris Teſtamenti. Nouum ergo Deo auſpice exponendum aggredior, de minus digno ſtylo, potiori, quam ille, cauſâ, veniam precaturus.

Varietas apta in libris grata hominibus.

VETERIS TESTAMENTI,

FINIS.

DEIPARÆ DOMINÆ.

DE Ieremia *cap. vltim.* Secundi huius Machabæorum libro dicitur : Hic eſt, *qui multum orat pro populo, & pro Ciuitate iſta.* Si populus Hebræorum nactus fuit Prophetam Ieremiam, qui multum pro Hebræorum antiquo populo precabatur : noua Chriſtianorum Eccleſia felicius nacta eſt Prophetiſſam Mariam, quæ non ſingularis eſt precatrix, ſed ipſa domus orationis eſt. Audi Richardum Laurent. lib. 10. de laud. Mariæ. *Maria domus orationis eſt actiuè, & paſſiuè. De qua dicit Dominus* Iſaiæ 36. *Domus mea, id eſt, Maria domus orationis vocabitur cunctis populis quibus dicit Eccleſia : Omnis homo omni hora ipſam ora. Actiuè quidem, quia aſſiduè orat pro populo Chriſtiano, & maximè pro amicis ſuis, exemplo Ieremiæ, de quo dicitur* 2. Mach. vltim. *Hic eſt, qui multum orat pro populo, & pro Ciuitate iſta. Item* Eccli. 50. *In magna domo (hoc eſt in Maria) auctus eſt ſonus ſuauitatis plenus. Quia orationes eius ſunt aromatica Filio, & toti Trinitati. Paſſiuè autem, quia iugiter à nobis eſt exoranda.* Hæc ille

Deipara domus eſt orationis actiuè & paſſiuè.

Laus Deo, Virgini, Ioſepho, Ignatio, Antonio.

INDEX

INDEX VNICVS.

MORALES CONCEPTVS ad Concionatores.

Prior numerus paginam : Poſterior columnam deſignat.

A

Abſtractio.

NIMIA à propinquis abſtractio reprehenditur. 204.1

Abundantia.

Ex Deo propitio frugum prouenit abundantia. 47.2

Meſſis ac vindemiæ Euangelicæ abundantia ex Franciſco Xauerio. 59.2

Omnium rerum abundantia ſequitur eos, qui Dei gloriæ promouendæ ſtudent. 161.2

Confert ad frugum abundantiam, Templa ſtudio pietatis inire. 138.2

Acceptare.

Qui acceptat perſonam, vnum deſpicit, vt alium præponat. 143.1

Accretio.

Noua diuitiarum accretio ſolet ſuperbiam generare. 102.1

Acquirere : Acquiſito.

Quod rapinâ acquiritur, diu poſſideri non poteſt. 208.1

Facilis eſt hominibus omnium bonorum acquiſitio: ſi orent, recipient. 129.1

Iniquè acquiſita inutilia ſunt, & licitè acquiſita perdunt. 120.1

Actio.

Nulla actio peccati poteſt verè eſſe ad delicias, ſiquidem cum æterni ſupplicij reatu colligatur. 17.2

Vel hoſtibus diſplicent proditoriæ actiones. 233.1

Viriles actiones primæuæ inſtitutioni reſpondent. 160.2

Actiones contra legem iteratæ faciunt hominem exlegem. 157.1

Vide verbo *Gratiarum actio.*

Adhortari.

Vtile admodum ſeſe fideles inuicem adhortari ad legis cuſtodiam. 238.2

Adulatio.

Crudelis eſt adulatio aulicorum. 170.1

Aulici adulatores Regum ſcelera nomine virtutum condecorare geſtiunt. 178.2

Ædes.

Profanæ diuitum ædes corruere aſſolent facilius, quàm humilia pauperum habitacula. 46.2

Ægritudo.

Initiis ægritudinis ſpiritualis obſtandum. 81.2

Suſpectam habe pœnitentiam, quæ inter ægritudinis fit dolores. 244.2

Ægritudines faciunt nos à ſuperbiæ excidere ſomniata celſitudine. 244.2

Qui vult in ægritudine ſolatores habere, illos in valetudine officiis ſibi conciliare curet. 90.2

Æmulari.

Principum mores ſubditi æmulantur. 10.2

Ærarium.

Prius ærarium aperiendum ad ſtipendia militum, quàm cogendus exercitus. 165.1

Affectus.

Cordis affectus raro non prorumpit ad faciem. 259.1

Afficere.

Nihil ſic virum nobilem afficit, quàm falſa ad famam attinens accuſatio. 247.2

Afflictio : Affligi.

Afflictionibus affici, documentum eſt mox venturi leuaminis. 77.2

Afflictio à Deo immiſſa, proximæ felicitatis ſolet eſſe documentum. 113.2

Afflictio quæ tranſit, vix afflictio poteſt vocitari. ad initium voluminis in Antilogia.

Corporis afflictiones efficaciam orationi præſtant. 166.2

Deus noſtris incommodis quodammodo affligitur. 122.1

Sæpe à proximo quis ſine cauſa affligitur, qui peccando cauſam Deo dedit, vt illam permitteret afflictionem. 178.2

Agere.

Speciatim id agit, qui decimas, & primitias non ſoluit Eccleſiæ. 145.2

Agitare.

Cum Deus peccatorem laboribus agitat, ſe patrem flagellantem oſtendit. 20.2

Vide verbo *Labor.*

Agricola.

Crudeles ſunt in miſeros agricolas tributorum exactores. 74.2

Coguntur agricolæ humi cubare ob exactorum tributi auaram crudelitatem. 43.2

Vide verbo *Tributum.*

Altare.

Exiguum altare, vbi adeſt Chriſtus in Euchariſtia, Templum Salomonicum longè ſuperat. 309.2

In illo ipſo inſtanti, in quo nonnulli aſſerebant, contaminatum fuiſſe Mariæ altare, explicat Pontifex celebrari debere feſtum immaculatæ conceptionis. 171.1
Vide verbo *Templum.*

Amans.

In omnibus tragœdijs impedici amantes primam partem agunt. *Hacen el papel primero.* 221.2
Amans affligitur de amatis incommodis. 259.1

Amicitia : Amicus.

Amicitia cum infidelibus fideli populo numquam non exitialis. 215.1
Nec eſt vera, nec perſiſtens amicitia quæ fundatur ſolum in commodo. 214.1
Non bene firmatur amicitia, niſi iniuriæ inuicem ab amicis acceptæ remittantur. 208.1
Apoſtatæ amicitia ſemper tibi ſuſpecta. 182.2
Non facilè te alterius amicum præſtes, proba prius illum an ſit aptus. 184.2
Amicus in amici abſentia eſt velut alter ille: nec expectat rogari, vt illi ſuccurrat. 196.1
Non eſt verus amicus, qui ad illicita te ſtudet allicere. 236.2
Verus amicus non inuenit in amico de quo eum accuſare valeat. 247.2
Amicus alter ego. 259.1

Angelus.

Angeli adſtant auxiliarij exercitibus Catholicis. 248.1
Angeli Sacerdotum coadiutores, & miniſtri libenter fiunt. 116.2
Angeli cuſtodes ſunt oculi Dei, ne ergo audeas coram illis delinquere. 118.2
Angelus cuſtus hominis, quem cuſtodit triſti aut læto induitur colore. 113.1
Angelum cuſtodem conſiliarium adi ad ea, quæ ad ſpiritum attinent, ne adſit error. 113.1

Animus.

Crudelis animi eſt, cum afflicto non affligi. 62.1

Appellare.

Se Magnum appellare, vel Gentili Regi non decet. 195.1

Argumentum.

Illuſtre obedientiæ argumentum eſt, præceptum Præſulis potentis cordis affectui præponere. 259.1

Aſpectus.

Chriſti ſuffixi aſpectus à noſtro corde elicit contritionem. 134.2

Aſſecla.

Variarum Religionum aſſeclæ raro veram fouent amicitiam. 258.2

Auaritia : Auarus.

Militum auaritia victoriæ impedimentum. 247.2
Sacerdoti auaritia omnium vitiorum eſt fons. 141.1
Diuitiis vt idolis ſeruit auarus. 26.1
In mediis diuitiis ſemper auarus indiget. 56.2

Auctor.

Auctores criminis alicuius præpropere, ac diriter à Deo puniuntur. 29.1

Auxilium.

Principibus Catholicis valde eſt noxium ad bella auxilium ab infidelibus perquirere. 25.1
Amici auxilium non debet coëmi, ſed gratuitò dari. 188.2
Infidelium auxilia non proſunt Catholicis. 215.1
Deo auxilium ferente, milites infirmi Dauidem, fortes Angelum imitantur. 134.2

B

Barbarus.

Barbari, & impij eſt promiſſionem iuramento firmatam non implere. 261.2

Beatus.

Beati inferiores gloria, de aliorum ſuperiori felicitate gaudent. 39.2

Bellum.

Diu bella producuntur, quia milites corde pleno non pugnant. *Pelean por cumplimiento.* 185.2
E populi peccatis bella exitialia prodeunt. 81.2
Ineptè agricolæ ad bella abducuntur, diſciplinæ militaris prima rudimenta ignorantes. 77.1
Non prodeſt ad Bellum feliciter gerendum argentum & aurum, ſi peccata ſubditorum non tollantur. 127.1
Laudabilia bella pro fide tutanda. 206.2
Temere ad bellum procedit in crimine exiſtens. 149.2
Dirius bellum infligitur à ciuibus infenſis, quam ex externis hoſtibus. 138.2
Cum bellum eſt iuſtum, Deus cum Rege pugnaturo pugnaturus ſimul pergit ad campum. 61.1
Bellum per Antonomaſiam *Malum* appellatur. 155.2
Domeſticorum bellum crudelius illo, quod ab externis hoſtibus infertur. 233.2

Beneficium.

Beneficium acceptum nos efficit velut donatoris tributarios. 194.2
Ex vno beneficio collato Deus quaſi debitor ad aliud conferendum ſe accingit. 183.1
Qui ſpeciale à Deo beneficium accepit, diem illum ſingulis annis, oblato ſacrificio gratiarum actionis, recolat. 147.1
Poſt beneficium acceptum, prima tua actio ſit, gratias Deo referre. 66.2
Beneficium à Deo acceptum actio gratiarum debet comitari. 130.2
Poſt beneficium à te Domino acceptum iudicium inſtat. 45.1
Dei magnum eſt beneficium, peccatorem laboribus continere, ne ad iniqua procedat. 5.1
Poſt beneficium mox actio gratiarum inſtat. 175.2
Beneficia à Deo peccatori collata, eum quaſi cogunt ad conuerſionem. 130.1
Beneficio cæleſti accepto, mox ad actionem gratiarum nobilis ſe accingit. 170.1
Vnum beneficium à Deo accepiſſe eſt, quaſi alterius accipiendi argumentum. 223.2
Beneficia ingenuum hominem ad rectitudinem adducunt fortius quam flagella. 24.1
Si eadem vis habere ſolatores, ſtans cura te beneficum cunctis exhibere. 91.2
Vide verbo *Gratiarum actio.*

Benignitas.

Benignitas facit Principem cunctis ſubditis eſſe dilectum. 178.2

Blaſphemia.

Sanctos plus torquent Blaſphemiæ quam dira tormenta. 247.1
Aguatum eſt blaſphemis immaturè mori. 183.1

Bonum.

Non ſolum bona pauperum, ſed ipſi pauperes ab exactione poſſidentur. 56.2

Bona iniquè acquiſita faciunt bona poſſeſſa iuſtè omninò diſperdi. 95.1

Quod iniquè acquiritur non ſolùm deperditur, ſed perdit omnia alia bona iuſtè poſſeſſa. 82.1

C

Calamitas.

Prauis conſiliariis calamitates Regni tribuuntur. 15.1

Præcipua Regni calamitas eſt, quando ex nimia tributaria exactione cultus ſacer minuitur. 32.5

Calamitates populi, prauis Gubernatoribus tribuuntur. 129.2

Summa hîc ciuium calamitas, nimia tributorum exactio. 128.1

Calumnia: Calumniator.

Calumnia affectus inſurge contra calumniam, non contra calumniatorem. 259.5

Calumniatores ſunt Reipublicæ peſtis. 195.2

Captum.

Supra captum ſtudia, & opera non inſtituas. 41.1

Caro.

Caro laſciua & gulæ addicta ollæ feruenti apparatur. 47.1

Caſtitas.

Etiam vi mandata filiæ caſtitas parentum inſanis humiliatio eſt. 82.2

Sacerdotio agnata debet eſſe caſtitas. 162.1

Certamen.

Temerè certamen properat, qui precibus fuſis à Deo non priùs poſtulat auxilium. 253.2

Charitas.

Charitas benigna eſt vel hoſti, ob dubiam proximi commoditatem. 253.1

D. Ignatij erga Deum charitas mira innuitur. 247.1

Fidelium charitas etiam ad inimicos extenditur. 183.1

Charitas ingenioſa admodum ad proximum liberandum à quocumque incommodo. 65.2

Quam apiè Chriſtus *Oriens* appellatur, Sol vtique & germen. 516.2

Egregia charitatis actio vel in Gentili, Deum allicit, vt illum ad rectitudinis viam adducat. 65.2

Chriſtus.

Chriſtus in paſſione lapis vulneribus plenus, quem noſtræ lacrymæ comitantur. 117.1

Chriſtus in paſſione ſordidis veſtibus indutus de diabolo, ac mundo triumphat. 116.1

Chriſtus Cruci affixus mortem, & diabolum in fugam adiecit. 97.1

Chriſtus viliſſimo pretio ad necem traditus. 43.2

Ciuis: Ciuitas.

Non ſunt ex ciuibus exigenda tributa ad Regis delicias, ſed ad communem vtilitatem. 231.1

Ciuitas plena fœminis, ſi vir non adſit, vacua eſt omninò, & iam non ciuitas. 175.2

Cohibere.

Qui iracundiam ſcit cohibere, & inimico parcit, ſe quaſi Deum oſtentat. 24.2

Prauos affectus cohibe, ſi vis ad prauos affectus non prodire. 169.2

Commendatio.

Commendatio eſt Præſulis querulos habere ſubditos peccatores. 558.2

Quæ ad virtutis commendationem ſcribuntur, facile obliuione obliterantur. 151.2

Communis.

Amicorum omnia ſunt communia. 204.1

Communitas.

Vt communitas relaxata ad priſtinum feruorem redeat, expungantur tepidi, feruentes ſufficiantur. 208.2

Compotatio.

Abſonum Sacerdoti compotationis vitium. 47.1

Concionator.

Non eſt proximorum amicus, Concionator, qui inſtantiam ſupplicij peccatoribus non præclamat. 45.2

Dei pietatis in peccatores ſignum eſt Concionatores ad eos immittere. 26.2

Verus Concionator dolore afficitur prædicationis de exiguo fructu. 83.5

Concionator inutilia proferens, vt aures demulceat, auditoribus fit laqueus ruinæ. 20.1

Chriſtum imitatur Concionator, qui ſolum curat docere iuſtitiam auditores. 36.2

Concionator, qui veritatem Principi prodit, rebellare contra eum ab impiis dicitur. 54.2

Verus Concionator eſt, qui nulla argumenta ingerit in concione quæ ad peccatorum conuerſionem non pertineant. 112.2

Concionator ſic commendet Dei miſericordiam erga peccatores, vt iuſtitiæ ſeueriſſimæ non obliuiſcantur. 76.2

Fructus ex prædicatione Euangelica Concionator non ſibi ſed ſoli Deo attribuat. 79.2

Concionator vera annunciet & ſine timore proferat. 76.1

Confeſſarius.

Confeſſarij nimium faciles ad abſoluendum non tam diluunt quam alunt peccata. 9.2

Confirmare.

Qui nutantem in fide, aut in virtute confirmat, eum quaſi de nouo ad fidem aut ad virtutem adducit. 204.2

Concordia.

Confert vel ad fructum agri percipiendum ciuium concordia. 125.1

Confeſſio.

Peccatum quod in Confeſſione abſconditur, ſæpe in ſupplicium cunctis reuelatur. ad initium voluminis in Antilogia.

Confligere.

Qui cum inuiſibili nocturno hoſte confligit, ſemper vigilet timens ſubitam irruptionem. 169.1

Conſilium.

Prudens conſilium Ducum fortius eſt quàm copiæ, ad victoriam. 185.1

Vbi conſilium viget, euentus proſperantur. 185.2

Ex euentu Conſilia, ſeu intentiones hominum metienda non ſunt. 189.1

Conſpectus.

Iniquiſſimum ſe præbet, qui in conſpectu cadaueris audet delinquere. 43.1

Conſtare.

Ratò conſtat de bellicarum rerum veritate. 152.2

Conſuetudo.

Ne praua conſuetudo emergat, nullæ illius retinendæ reliquiæ. 208.2
Antiqua videtur eſſe Miniſtrorum conſuetudo non aperiendi cuncta negotia Regibus. 259.1
Vide verbo *Mores.*

Conuerſio.

Non eſt conuerſio ad Deum differendum. 57.1

Corpus.

Aptè delinquentium diſſecta corpora in aliorum terrorem ſuſpenduntur in viis. 183.2

Corripere.

Dei amantis eſt ſuos corripere cum delinquunt. 236.1

Corrumpi.

Iudicium corrumpitur auaritia. 231.2

Credere.

Piè credendum, eos qui pro Religione militantes occumbunt, ſuorum criminum pœnitere. 254.2
Non facilè credas, alium falsò iurare. 182.2

Cribrum.

Cribum tribulationis puriorum reddis iuſtorum triticum. 59.1

Crimen.

Præſuli crimina ſubditorum tribuuntur. 258.1
Ob ciuium crimina, paulatim Vrbes & Regna deficiunt & delentur. 12.2
Ob ſingulare vnius ciuis crimen, Deus communitatem totam ſæpe percutit. 52.2

Cruciare.

Inopia cruciatur, qui decimas Eccleſiæ non ſoluit. 145.2

Crudelis : Crudelitas.

Crudeles inuiſi ſunt admodum benigniſſimo Deo. 41.1
Crudelis et ſtupidus eſt qui de communi ſuæ patriæ clade non dolet. 72.1
Exactoris tributorum crudelitas in agricolas taxatur. 104.1
Quam dira ſoleat eſſe in pauperes auari crudelitas. 98.1

Crux.

Etſi Chriſtum cruci addixiſti, eum ad veniam impetrandam aſpice ſecurus. 134.2

Cura.

Vnica militis cura debet eſſe ſtrenuè pugnare. 167.2
Illi, quorum curas impia ſectati veſtigia, vt eos tibi allicias, poſtea diriores tibi hoſtes exſurgunt. 230.1

D

Dæmon.

Crudeliſſimi in damnatos ſunt Dæmones vti Dei æternum iurati inimici. 41.2

Damnatio.

Quàm merita damnatio his, qui poſt Deum patientem delinquere audent. 38.1

Dare.

Multi paruum aliquid aliis dant, vt ab eis omnia eripiant. 151.1

Debitor.

Quotidiè imò per momenta ſingula Deo ſumus vitæ debitores, quia illam conſeruat. 152.2

Deferre.

Deo omnium creatori & datori optima quæque ſunt deferenda. 140.2

Deiectio : Deiectus.

Superbiam nunquam non deiectio ſequitur. 52.2
Nullus ſic à fortuna deiectus qui euehi ruſum ſperare non poſſit. 84.1
Ne deiectum irrideas, ne tu deiectus aliquando ab illo euecto iam irridearis. 84.1
Ex laboribus deiectus, aliquando felicior aſſurgit. 72.2

Deipara.

Redempta Deipara, priuſquam captiuitate peccati premeretur. 169.1
Deipara domus eſt orationis actiuè & paſſiuè. 263.2
Deipara peregrinantium in hoc ſæculo piiſſimum receptaculum. 235.2
Deipara ſecurum eſt peccatorum perfugium. 58.1
Vide verbo *Maria.*

Delictum.

Permittit Deus peccatores replicare delicta, vt vnum peccatum alterius ſit pœna, horribilis planè. 10.1
Exaggeratur delictum vxoris, quæ dilecta à marito alium admittit amatorem. 7.1
Ob populi delicta Deus permittit Eccleſiaſticam violari immunitatem. 234.1
Grauiſſimum delictum, audere Reges Eccleſiaſtica munia ſubire. 40.2
Aggrauatur delictum poſt beneficia à Deo accepta. 20.2
Grauiſſime delinquit qui Religioſum ad voti, aut legis ſui inſtituti pellicit violationem. 44.1

Demens.

Demens eſt, qui blandia verbis inimici fidit. 157.1
Demens eſt vitæ amaſius, qui, vt viuat, ſubire eligit opprobrium. 185.1

Denudatio.

Vberum denudatio & monilium è collo ad eadem appenſo ſigna libidinis. 4.2

Deſcendere.

Dei ad Mariam deſcenſus fuit noſter: per eam aſcenſus ad Deum. 31.2

Deſolatio.

Deſolatio eos ſequitur qui Templa violant. 157.2

Deſperare.

Nullus deſperet de felicitate perdita recuperanda, ſi ad Deum accurrat. 125.2

Deſpicere.

Qui vxorem deſpicit, partem ſui, imo ſe totum deſpicit. 143.2
Deſpici ſacrum miniſterium videtur ex Sacerdotum ad quæſtum ſtudio. 14.2

Deus.

Cum Deus ad peccatorem pœnitentem amicus redit, ſimul bellator ad eius protectionem oſtenditur. 115.2
Vult Deus vt omnia ab eo accipienda beneficia fructua ſint orationis. 242.2
Tunc Deus maximè oſtenditur glorioſus, cum ſuos protegit. 115.1
Etiam in tartaro Deus ſuæ miſericordiæ recordatur, 96.2
Labores nobis Deus immittit, vt ad ſe alliciat qui ſolus poteſt nos ab eis liberare. 48.1

Deus

Deus ab impiis edocetur ſupplicij inferendi eis genus. 242.2
Malitiæ modo Deus ſupplicij modum accommodat. 244.1
Peccatori Deus ſæpè bona temporalia auget, vt gratus ab iniquitate recedat. 26.2
Magno ſupplicio Deus veros Concionatores è viuis abſtrahit. 112.2
Cum Deus vult Regnum aliquod euertere, aufert à Magiſtratibus prudentiam. 62.2
Deus ad pœnitentis animum redit bonis ſtipatus. 36.2
Deus non ſuos deſerit cum affligi permittit. 236.1
Magno ſupplicio Deus veros Concionatores à peccatrice ciuitate retrahit. 74.1
Memor Deus præteritæ hominum Iuſtitiæ eos delinquentes admonet ſæpè, vt à periculo damnationis recedant. 12.2
Deus ſupplicium quaſi à peccatore edoctus, peccati qualitati accommodat. 233.2
Supplicio Deus frænum iniicit peccatori ne præceps ruat. 237.2
Deus vel gentilium & infidelium eſt curator. 43.1
Deus ſimili pœna ſolet delicta vindicare. 231.1
Tanta Dei pietas vt Ieroſolimam Deicidam quaſi matrem Chriſtianorum fecerit. 78.1
Ob alia crimina permittit Deus, vt peccator alias iniuſtè diuexetur. 12.2
Solet Deus ad legitimam prolem ineptos reddere coniuges illicitæ Veneri addictos. 20.2
Deus comes eſt eorum, qui ſaluti proximorum incumbunt. 24.2
Deus cum iuſtis deambulat ſemper cuſtos, & protector. 97.1
Vt Deus peccatoris preces exaudiat, ex cordis compuncti clamor procedat affectu. 17.2
Deus ſuorum prouidet egeſtati. 151.1
Cum Deus inimicis noſtris ſit quaſi amicus, ſignum, eſt, nos eius præcepta violare. 247.2
Aptat Deus ſupplicium ad normam ſceleris. 62.1
Dei proprium eſt, miſereri ſemper & parcere. 84.2

Diabolus.

Diabolus diligit fratrum diuiſionem. 28.2
Diabolus ſuos protegit eos occiſioni dando. 175.1

Diadema.

Auguſtius diadema eſt meruiſſe illud, quàm geſtare. 185.2

Dies.

Dies repurgationis animi noſtri Templi frequenti Dei gratiarum actione celebremus. 220.2
Quàm crudelis fuit Deiparæ dies in quo Ieſu vnigeniti mortem deplorauit. 56.2
Dies iudicij ſanguinem, quem iniuſtè malitia polluit, emundabit. 39.2

Dignitas.

Omnes mundi dignitates ventus ſunt ex vento parente qui ſolet poſſidenti tempeſtates excitare. 18.1

Diligere.

Quos Deus diligit, corripit. 45.1

Dimicare.

Fortiter cum animæ hoſtibus dimica, quia pro anima res eſt. 205.2

Diues: Diuitiæ.

Actum eſt de Republica cum in iudicio pluris æſtimatur ratio diuitis, eo quod diues ſit. 98.1
Diuites in abundantia pauperum minimè recordantur egeſtatis. 58.2
Diuites effrænati, ac guloſi apparantur mactationi. 47.1
Diuitiæ à peccatore quaſi tyrannicè poſſidentur. 5.1
Diuitiæ nihilo meliores ſunt quam denſum lutum. 94.2
Diuitiæ male partæ raptori, & hæredibus ſunt in laqueum quo ſtrangulantur. 94.2
Idololatriæ ſimiles ſunt, qui à Deo per ſcelera abſtracti à diuitiis putant omnem habere protectionem. 95.2

Diuexare.

Ob vnum peccatorem multi ſocij diuexantur. 64.2

Diuiſio.

Diuiſio inter fratres exitialis eſt. 28.2

Documentum.

Magnæ inimicitiæ eſt documentum, cum quis curat coniugum pacem perturbare. 199.2

Dolere.

Nullus vicem ſuperbi dolet. 102.2

Domeſticus.

Domeſtici diriores aſſolent eſſe inimici. 84.1

Dominatio.

Quid prodeſt tibi totius mundi dominatio, ſi poſt eam inſtat lecti, & lethi decubitus. 155.2

Domus.

Domus ædificata bonis pauperum illicò corruet. 76.2

Donare: Donum.

Laudabile eſt in templo, in Capella, aut vaſi ſacro nomina donantium inſcribi. 122.2
Quaſi ſolùm donamur vita, vt Deum ſuo in Templo colamus. 160.1
Qui fidelium donaria ad pia opera Templo data vi eripit, dorſum præparet ad flagellum. 227.1
Dona animos hominum erga offerentem arripiunt. 195.2
Non facilè ab alio dona gubernatoribus accipienda. 214.2
Cum ab alio donum defertur, vel ſignatæ ſigillo regio promiſſiones deſpiciuntur. 194.2

Dux.

Illuſtris Dux non curat è bello dìteſcere, ſed militum ſuorum commodo ſtudet. 196.2
Ducibus pugnantibus ſtrenue, ac feliciter, quodlibet præmium quantumcumque magnum debetur. 197.2
Victo Duce fortiſſimo, tota exercitus fortitudo infirmatur. 261.2
Imbelles Duces, ac milites, mulieres à Domino vocitantur. 90.2
Dux pius curat humari occiſorum in bello cadauera. 253.2
Dux fortis non lingua, ſed manu decertat. 196.2
Fortis Dux cum victoria potitur, magis ſollicitus eſt, ad exercitum roborandum. 203.1
Duces partas victorias Deo non ſibi attribuant. 247.1

Fortium Ducum eſt terga vertere hoſti, cum certum eſt periculum, & de felici ſucceſſu dubitatur. 179.2

E

Ebrietas.

INdecens admodum eſt, & Sacerdotem & Principem ebrietati tentanti iudicium indulgere. 217.1
Ebrietas & luxuria cum ſtultitia colligantur. 236.1

Eccleſia: Eccleſiaſticus.

Qui Eccleſiam à tributo liberam non vult eſſe, videtur ſentire, illam non eſſe ſanctam. 214.1
Eccleſiaſtici debent pauperibus erogare congrui proprij victus reſiduum. 226.1

Effectus: Efficacia.

Auaritiæ peccati effectus omnium rerum deſolatio. 33.2
Efficacia paſſionis & reſurrectionis Chriſti ad peccatorum corda emollienda. 104.2

Eleemoſyna.

Eleemoſyna Dei vindicem impetum in eos qui eam accipit, exorante retardat. 8.2
Pium admodum eſt, eleemoſynam à fidelibus colligi ad animarum purgatorij ſuffragium. 253.2
Eleemoſyna eſt proba pro delictis ſatisfactio. 81.2
Maxima eleemoſynæ vis ad Dei iram infringendam. 13.2
Immenſurabiles eleemoſynæ aut Templo, aut egenis factæ prouentus. 115.2

Euchariſtia.

Euchariſtiam recepturus, pridie curet animum aliquo pio opere preparare ad digniorem ſumptionem. 195.1
In Euchariſtia omnium cœleſtium bonorum redundantia fruimur. 36.2
Euchariſtia frumentum electorum, & vinum germinans virgines. 128.2
Sumens Euchariſtiam, verè *tritico viuit.* 30.1

Euertere.

Deus euertit domos, quæ ex ſanguine pauperum extruuntur. 140.1

Exactio.

Nimia tributorum exactione ciues properant ad interitum. 131.1
Nimia tributorum exactio facit, non ſolùm ciues, ſed & ipſum Principem inopia premi. 166.1
Tributi exactio dirior eſt morte. 185.1
Tributorum exactio agricolarum vineas, meſſeſque deperdit. 50.2
Nimia tributorum exactio ciuium eſt iugulum. 157.1
Vide verbo *Tributum.*

Exceſſus.

Prudentiæ exceſſus facit iuuenem vel ſenibus eſſe ſuperiorem. 162.2
Ex Principum incuria exceſſus ſubditorum promanant. 196.2

Excidium.

Magno ſubiacent excidio, qui Eccleſiæ anathemate percutiuntur. 174.1

Excuſatio.

Excuſatio iuuenum eſt ſenum libido. 236.2

Exemplum.

Ad Regis exemplum totum Regnum componitur. 64.1
Exemplum Præſulis eloquentiſſimum eſt ad perſuadendum. 249.2
Præſulis præeuntis exemplum facilia ardua quæque ſubditis reddit. 216.2
Fortiſſimum eſt prauum parentum exemplum vt attrahat filios ad eorum imitationem. 10.2
Exempla, quæ à Ieſuitis de more narrantur quadrageſimæ tempore, valde conferunt ad peccatorum conuerſionem. 68.1
Potens eſt Principum exemplum ad inferiores adducendum in ſcelera. 157.2
Prauum exemplum fortiſſimum eſt ad alios in eandem pietatem adducendos. 160.2
Prauum exemplum potentiſſimum eſt ad imitatores alliciendum. 165.1
Prauum Principis exemplum ſubditos ad eandem adducit impietatem. 27.1

Exercitium.

Spiritualia exercitia haud facilè relinquenda. 157.1

Exercitus.

Difficilè & ſerò efformatur exercitus, cum non adſunt milites ex inſtituto ad bella parati. 216.1
Vulgus exercitus militum fortium, nec addit numerum nec imminuit. 151.1
Strenuorum militum exercitus ſyderum militiæ ſit æmulator. 99.1

Exire.

Qui è ſocietate Ieſu exeunt, ſæpè vitiis in ſæculo inficiuntur. 156.1

Exitium.

Exitium Reipublicæ, eſt iudiciaria officia venalia exponi. 83.2
Extremum exitium Vrbi paratur cum Concionatores Dei monitu, aut inſtinctu tacent nec ſcelera corripiunt. 50.1
Regnorum exitium parat, qui curat bonis Eccleſiæ, aut pauperum belli ſumptibus prouidere. 53.1
Exitiale eſt Regibus, Eccleſiæ opibus male partis, hoc eſt per vim vti. 226.1
Exitiale eſt militibus, haud præmiſſis precibus dimicare. 134.1

Expilatio: Expilator.

Ex opibus pauperum expilatione acquiſitis, nullus fructus. 50.1
Rarò videris dira à morte eximi, ſacrarum opum expilatores. 231.2

Exſatiare.

Qui primatum auaritiam exſatiat, omnia pro votis conſequitur. 231.2

Exuere.

Rerum mundialium nos affectu exuamus vt nudi cum nudo decertemus. 189.2

F

Facinus.

EGregium facinus eſt, iniurianti parcere, etiam cum vindictam gerere potes. 161.1

Facilitas

Facilitas.
Valdè reddit amabilem hominem facilitas dandi quod ab eo petitur. 184.1
Falx.
Aptè falx diuinæ iræ ad iuratores tendit. 119.2
Familia.
Sæpè ob heri peccata tota familia vexatur incommodis. 33.2
Famulus.
Famuli dominorum bonos, vel prauos mores imitantur. 22.2
Felicitas.
Felicitas prælij ex Deo exurato magis quàm ex robore militum dimanat. 166.2
Ex fidis conſiliariis tota Regni felicitas pendet. 78.1
Suprema Principis felicitas eſt pace frui, quia ſimul omnium potitur abundantia. 21.1
Tota populi felicitas ex immunitate Templi, ſeu Eccleſiæ pendet. 262.1
Femina.
Feminæ impudicæ nihil acerbius, quàm ab amaſio deſeri. 72.1
Feminæ laſciuæ damnationis macello ſaginantur. 47.1
Femina impudica nullius eſſe pretij iudicatur. 7.2
A feminæ non coniugis tuæ ſocietate omninò recede. 107.2
Nihil nequius femina praua. 110.1
Feſtum.
Cum externè Diuorum feſta celebrantur, internus adſit deuotionis affectus. 14.1
Fidelis.
Fideles afficere debet turbatione quidquid fidei puritati contradicere videatur. 27.1
Fidelis gaudium nullum admittit, cum videt ſacra contemni. 166.1
Fides.
Talem zelum fides vera pectoribus imbibit, vt vel parentes filiis infectis hæreſi non parcant. 135.2
Filius.
Eſſe filius ſancti parentis, confert ad Dei miſericordiam obtinendam. 220.1
Militum filij poſt patris obitum plerumque vitam inopem & obſcuram agunt. 238.2
Filij matris ſæpè mores imitantur. 2.1
Filij à matre lactentur. 239.2
Rarò filij exequuntur quæ eis à parentibus in teſtamento gerenda iubentur. 255.2
Firmamentum.
Regni firmamentum eſt vera fides, ac ſincerus veri Dei cultus. 1 5.1
Flagellari.
Permittit Deus ſuos flagellari, ſed tandem flagellum igni tradit. 36.1
Flamma.
Flamma inferni corpora incendit ſed mortalitatis cineres non relinquit. 147.1
Luxuriæ flam ma iguis æterni memoria extinguitur. 221.2
Flere.
Omnes flere deberent in obitu iuſti. 231.2
Fœdari.
Ob peccata paren tis vel mariti, permittit aliquando Deus filiam fornicatione, ſponſam adulterio fœdari. 10.1
Fons.
Chriſti paſſione patefcit fons hominibus diluendis, ac potandis. 136.1
Fons exitialis belli cupiditas, ira, ac ſuperbia militum. 248.1
Fortitudo.
Præſtans vel paucorum fortitudo in bello multos habet æmulatores. 248.2
Fraternitas.
Fidelium fraternitas eſt, pro fratribus abſentibus orare. 210.1
Frequentare.
Frequentare domum vbi viget libido ſolet homines ad libidinem pellicere. 19.2
Fructus.
Peccatorum amari fructus. 23.2
Fugere.
Fugere dum neceſſitas vrget, non minoris virtutis eſt, quam pugnare. 188.2
Qui è loco, vbi captiuus fuit animus, non fugit, nouam trahet captiuitatem. 115.1
Fugere ab hoſte animæ non eſt infirmitas, ſed fortitudo. 259.1
Fugere exercitum turpius eſt, & ditius quam occidi. 175.2
Fulgor.
Iuuat ad bene operandum temporalis fulgor. 236.2
Furari : Furtum.
Difficilè quis à furandi vitio recedit. 89.1
Quod furto acquiritur, perditur, & propria bona, queis adiungitur, perire facit. 46.1
Quæ furto quis cogerit, aliorum furto dilabuntur. 24.1
Quod furto acquiritur, prorſus eſt inutile. 73.1

G

Genus.
Mulierbe genus auarum & rapax. 110.1
Germen.
Amaræ radicis pœnitentiæ dulcia germina. 30.1
Geſta.
Regum præclara geſta morum corruptio denenotat. 156.1
Gladius.
Gladius ipſe reueretur eos qui labores patiuntur. 46.2
Gloria : Gloriari.
Gloria, ſeu honor ſequitur virtutis ſectatores. 162.1
Fideles gloriari debent quòd Templum pretioſis ornamentis abundet. 160.1
Perditiſſimi peccatoris eſt de patrato ſcelere gloriari. 93.2
Gratia : Gratiarum actio.
Optima gratiarum actio non tam verbis, quam piis operibus exhibetur. 175.2
Poſt victoriam Duces plenis manibus ad Templum accurrant, gratias acturi. 78.2
Gratiarum actionis officio cole illam diem, qua è peccato liberatus fuiſti. 208.2
Ad pœnitentem gratia redit cœleſtibus donis ſtipata. 234.1

Gratiarum actio poſt refectionem debetur Deo largitori. 36.2

Vera actio gratiarum pro felici belli ſucceſſu eſt, Templo dona litare. 170.1

Gratus.

Gratos ſe oſtendant Deo, qui ex nobili regione ortum ducunt. 52.1

H

Habere.

QVaſi factum totum habet, qui bene cœpit. 118.2

Quod pacificè non habemus eo nos carere exiſtimamus. 240.2

Habitare.

Satius eſt cum feris quàm cum impiis, quàm cum hæreticis habitare. 234.2

Habitus.

Humilis in oratione habitus ei adiicit efficaciam. 247.1

Hebræi.

Pertinax admodum Hebræorum gens. 8.2

Hæres.

Difficilè hæres reſtituit defuncti debitum. 245.1

Homo.

Homo praua affectus conſuetudine, facilè ad priſtina peccata recurrit. 17.2

Homines ex apparatu externo omnium merita metiuntur. 61.1

Diſcit homo ab elephanti in alium hominem non inſurgere. 179.1

Homines hymnum gratiarum actionis proferentes, chorum agunt cum Angelis. 263.1

Dirior in hominem homo propinquos, aut fictus amicus, quam iuratus hoſtis. 131.2

Dum homo Dei cauſam agit, Deus hominis cauſam protegendam ſuſcepit. 262.1

Quocumque homo alius labore affligitur, exiſtima, ſimili te hominem poſſe vexari. 72.1

Omnes homines plangere ſcimus, in lacrymarum valle viuentes. 50.2

Difficilè homo poteſt omnes boni Regis proprietates implere. 221.2

Dum homo de cultu Dei vnicè curat, Deus de temporali ipſius abundantia largienda, ſatagit. 35.2

Homo vas luteum fragilitati obnoxium. ad initium voluminis in Antilogia.

Horribilitas.

Extremi iudicij horribilitas. 35.1

Æternæ flammæ horribilitas. 70.1

Horror.

Quid interminabilium malorum in damnatorum animo horror efficiet. 22.2

Hoſtis.

Difficilè inteſtinus eliminatur hoſtis. 208.2

Vel vnus hoſtis vel male affectus in Vrbe poteſt multis pacificis ciuibus timorem exitij incutere. 175.1

Hoſtis ablegandus, priuſquam ad Vrbem obſidendam approximet. 204.1

Humiliatio : Humilitas.

Præpropera eſt admodum humiliatio ſuperbiæ. 261.1

Humiliatio ſuperbiæ agnatum ſupplicium eſt. 102.2

Sancti ex humilitatis affectu non agnoſcunt honorem quo fulgent. ad initium voluminis in Antilogia.

I

Idem.

IDem eſt eſſe Præſulem ac patrem ſubditorum. 200.2

Idem eſt, rem eſſe ſacram atque ab omni tributo & onere immunem. 221.2

Idolum.

Ridicula planè ſunt omnia idola, ſeu illectamenta, queis diabolus nos à Deo ſeparare curat. 54.2

Ieiunare : Ieiunium.

Qui ſabbato in Deiparæ obſequium ieiunant, rectius agerent, ſi ea die à ſceleribus abſtinerent. 126.2

Verum ieiunium à cibis ſimul ac ſceleribus abſtinere. 523.2

Deo placet ieiunium quod eleemoſyna comitatur. 124.1

Ieiunium milites roborat ad certamen, & eis cedit victoria. 165.2

Ieſuita.

Renouatio ſpiritus bis in anno Ieſuitis præſcripta commendatur. 97.2

Ieſus.

Bonus paſtor Ieſus triginta argenteorum prætio traditur. 132.2

Ignatius.

D. Ignatius & eius Religio mirificè honoratur à Deo, quia ipſi nomen Ieſu accuratè ſatagunt honorare. 142.1

Ignis.

Ex vitij cineribus facilè aſſolet ignis exitialis exſurgere. 208.2

Deiparæ interceſſione ignis gehennæ extinguitur, ſi ad eam ante iudicium accurramus. 38.1

Ignominia.

Plus deiicit ignominia, quam honor effert. 157.1

Ignorare.

Ignorans videtur eſſe, qui ſine maxima neceſſitate bellum indicit. 250.2

Ignoſcere.

Ob innocentes Deus communitati peccatrici ignoſcit, eam ad pœnitentiam alliciens. 70.2

Impietas : Impius.

Niſi impietas radicitùs auellatur, facilè adoleſcit. 194.1

Vel impius compungitur ex obiectu mortis. 190.2

Sic impij feſtinant menſuram peccatorum implere, vt videantur ad id ſolum oculos ac mentem intendere. 120.1

Impoſſibilitas.

Quaſi impoſſibile debet eſſe, vt quis audeat iuramentum violare. 251.1

Laborum impoſſibilitas. 13.1

Imprudens.

Imprudens eſt, qui etiam vicinis facilè ſe fidit. 62.1

Incedere.

Incedere.

Pariter incedunt ingratitudo & obliuio. 140.1

Incidere.

Melius incidere in Dei, quàm in hominis ſancti manus. 69.1

Incipere.

Non ſufficit incipere niſi opus ad perfectionem deducatur. 171.1

Incolumitas.

Infelix peccatoris hîc incolumitas. 239.1

A Deo irato procedit infidelium incolumitas. 236.1

Incommodum.

Quidquid proximo incommodi intuleris, in caput tuum à Domino conuertetur. 9.2

Incommoda quæ ex inobedientia ſubiit, facit ſubditum promptè obedire. 67.1

Vel vno viro conſtanti priuari, eſt graue communitatis incommodum. 161.1

Graue incommodum eſt Reipublicæ per gubernatores regi. 28.2

Indecens.

Valdè indecens eſt, Sacerdotem mentiri. 142.2

Infidelis.

Periculosè infideles inter Chriſticolas admittuntur habitare. 252.1

Haud Deo gratum infideles à fidelibus in auxilium adduci. 189.1

Infelicitas.

Summa infelicitas hodie per peccatum fieri diaboli mancipium, qui heri per gratiam Dei filius erat. 2.2

Ingratitudo.

Ingratitudo hominis eſt inſipientis & ſtupidi. 24.1

Ingratitudo peccatoris poſt redemptionem Chriſti morte peractam pœnæ æternæ agnata. 16.2

Videtur Deus è ſumma hominum ingratitudine anſam ad ſummam miſericordiam arripere. 5.2

Ingratitudo pietatem Dei in feram conuertit. 28.1

Magna ingratitudo, accepto munere vti ad dantis offenſionem. 5.1

Inimicitia: Inimicus.

Impiorum agnatæ contra religioſos inimicitiæ. 258.1

Inimicus domeſticus facilè vincitur. 260.1

Magnus tibi eſt inimicus qui te à iuſtis actionibus abſtrahit. 208.2

Iniquitas.

Magna iniquitas eſt, contra conciues aut ſocios calumnias excitare. 200.1

Sub cilicina veſte aliquando iniquitas graditur. 136.1

Magna iniquitas eſt, ex beneficiis anſam ad liberiùs peccandum arripere. 28.1

Bonum vſum in malum transferre, intolerabilis eſt iniquitas. 47.2

Iniquitas alios iniquos eſſe cogitat. 80.1

Initium.

Initium expeditionis bellicæ ab oratione ducendum. 241.1

Iniuria.

Cum proximo infertur iniuria, ipſi Deo certum eſt inferri. 117.1

Diabolicum eſt, Templo iniuriam inferre. 156.2

Quælibet templi iniuria bono præſuli vulnus eſt exitiale. 216.2

Multæ fiunt iniuriæ falſo prætextu, quod vtilitatibus Regis fides ſeruatur. 258.1

Eſt iniuria inimico, quidquid proſperum ei, quem odit, ſuccedit. 174.1

Crudeliſſimum ſe oſtentat qui defuncti inimici cadaueri infert iniuriam. 45.1

Inobediens.

Inobedientia quæcumque opera aliàs recta contaminat & reddit immunda. 110.1

Inobediens ſemper errat in via. ad initium voluminis in Antilogia.

Inopia.

Sacerdotum inopia prouenit ex incuria circa diuinam gloriam promouendam. 142.1

Procedit inopia ex auaritia, qua Deo quis offert decimas ex deterioribus agri aut gregis fructibus. 141.2

Vide verbo *Pauper.*

Inquiſitio.

S. Inquiſitionis tribunal acriter perſequitur Iudæorum reliquias ſuæ peruerſitati hærentes. 80.1

Inſinuatio.

Inſinuatio voluntatis Regis quaſi præceptum eſt ſubditis. 182.1

Inſipiens.

Inſipiens eſt ſapientiſſimus quiſque ſi mores componere neſcit. 9.2

Inſtabilitas.

Fortunæ [illegible]bilitas. 182.1

Inſtitutio.

Adeo grata eſt Deo Regularis ſtatus inſtitutio, vt ei obiecta illius imagine ad pietatem alliciatur. 167.1

Inſtitutum.

Electum te à Deo fuiſſe ad Regulare inſtitutum, magnam ex te exigit gratitudinem. 45.1

Inſtrumentum.

Omnia peccati inſtrumenta comminuenda ſunt. 252.1

Interceſſio.

Certa eſt pro nobis ſanctorum in cælis interceſſio. 262.1

Efficax iuſtorum interceſſio cum pro perſequutoribus deprecantur. 227.1

Inuentor.

Inuentores ſceleris alicuius grauiſſimè delinquunt, eiſque tribuitur omnis populi perditio. 71.2

Inuidere: Inuidia.

Ne inuideas peccatorum temporariæ felicitati, qui fortaſſe ad macellum tartari ſaginantur. 10.1

Inuidia ſectatrix eſt fulgoris. 110.2

Inuidia merita eius, qui inuidetur auget. 196.1

Inurbanus.

Inurbanus eſt, qui ad litteras acceptas non reſpondet. 204.1

Ira: Iratus.

Plena Dei ira ad futurum ſæculum reſeruatur. 253.2

Merito Dei ira incurrit, qui videns puniri aliquem peccatorem, à ſimili peccato non recedit. 162

Plerumque mulierum ira in corde non verſatur, ſed ſolum in lingua. 124.1

Deus iratus ſolet peccatores donare pace & benignius iuſtos afflictione torquere. 113.2

Primo Deus oſtendit, ſe iratum in Principes, quia eorum prauum exemplum inferiores imitantur. 71.1

Magnum Dei irati ſignum eſt dum permittitur peccator impunè peccare, non immiſſo labore, qui ſolet eum à delictis retrahere. 80.1

Homo iratus haud differt ab ebrio. 88.1

Irreuerentia.

Qui genmen irreuerentiam ſacerdotali infert ſtatui, maliciæ cumulum quodammodò attingit. 9.1

Irritare.

Deum valdè irritat Iudex, qui iniuſtè pauperem in iudicio condemnat. 43.2

Valde Deum irritat iniquitatis doctor, ſeu conſiliarius. 143.1

Iſidorus.

Dum Iſidorus Agricola Miſſæ intereſt, Angeli terram aratro verſant. 138.2

Iter.

Non inſtituendum iter, in quo aliqua pietatis cauſa non eluceat. 122.1

Iteratio.

Neceſſaria eſt frequens concionum iteratio ad ſtabilem morum auditoris compoſitionem. 109.1

Iudæi.

Quàm exoſi ſint omnibus Iudæi. 101.1

Iudex: Iudicare.

Iudices debent litigatorum pacem procurare, litium bella ſopiri. 126.1

Cum Iudices ad impietatem adducuntur, actum eſt de iuſtitia, & de tota Republica. 26.1

Timeant Iudices cæleſtis Regis viſitationem ſine dubio gerendam. 83.2

Iudices in reis puniendis, Dei paternam benignitatem æmulentur. 153.2

Prauos Iudices ſolùm audere pauperes excoriare, quaſi eſt per ſe notum. 75.1

Vnuſquiſque iudicat de rebus, qualis ipſe eſt. 146.2

Iudicium.

Vel nomen iudicij futuri nos debet à delinquendo abſtrahere. 58.1

Memoria iudicij auocat homines à vitiis, ad virtutem allicit. 147.1

Iudicium & doctrina corruit, vbi venalis exponitur. 76.2

Quàm horribilis iudicij extremi dies. 100.2

Die iudicij horror. 59.1

In die iudicij agricolis afflictis hic æterna victoria promittitur. 28.2

Iurare.

Quando licet iurare, & quando non licet. ad initium voluminis in Antilogia.

Qui ex conſuetudine iurat, ſolet multa periuria patrare. 119.4

Ius.

Non eſt contra perfectionem boni tui nominis iura tueri. 223.1

Iuſtitia.

Orationem orantis iuſtitia debet comitari. 141.1

Iuſtus.

Iuſtus excidit à iuſtitia cum impiis iniens ſocietatem. 16.1

Iuſtus quantò minor ſuis apparet in oculis, in Dei conſpectu maior exiſtit, ad initium voluminis in Antilogia.

Iuſtus pauet, cum iudicij diei recordatur. 50.2

Iuſti laborum igne probantur, vt honoris æterni in vaſa dolentur. 136.2

L

Labor.

Labores nos faciunt Deum traditum obliuioni ad memoriam referre. 66.2

Labores ad Deum peccatores adducunt. 52.2

Labores patienter tolerati etiam temporalem vitam ſolent producere. 66.2

Iuſtorum labores quies, & commodum ſunt. 138.2

Labores aqua luſtralis ſunt, peccati abluens reliquias. 65.1

Veris Dei ſeruis vnicus labor eſt ſpiritualium rerum priuatio. 120.1

Nullo labore premitur, dum fides rutilat, & Euchariſtia cibamur. 110.1

Debemus patienter ſuſtinere labores ob peccata à Deo immiſſos. 207.1

Tribulationis labor pœnitentibus ſpei, victoriæ, ac ſalutis initium. 6.2

Labores hominem à peccatis auertunt. 24.1

Labores impiorum à peccatis ducunt originem. 233.2

Lachryma.

Lacrymæ & gemitus Deum non placant ſine interno cordis dolore. 12.1

In aduerſa fortuna lachrymæ ſunt patientis ſolatium. 9.2

Latrocinium.

Militum latrocinia ex inertia eorum, ad quos attinet exercitui annonam prouidere, aſſolent prouenire. 76.1

Laus.

Laus eſt Magiſtratus, quando impij nec hiſcere audent. 189.2

Ad properam vindictam Deum excitat ſuperba impij locutio. 144.2

Oppi

Ad obſeruationem legis confert librorum ſacrorum lectio : profanorum verò ad eiuſdem violationem. 222.2
Lectio libri ſacri animo addit conſtantiam ad fidem tuendam & tentamina ſuperanda. 157.2

Leuitas.

Agnata fœminis leuitas. 210.2

Lex.

Plerumquè à Regibus ſola lex obſeruatur quæ ad tationem ſtatus pertinere videtur. 199.2
Si lex in Regno optimè ſeruaretur, nulla id opprimeret aduerſitas. 225.1

Liber.

Libri, & Conciones ſæpè ex prolixitate parum vtiles redduntur. 223.2

Lingua.

Pro amputata vna lingua Martyris omnes linguæ de eius laudibus loquuntur. 238.1

Lis.

Vel ſolùm nomen *litis* valdè animum inquietat. 195.1

Locutio.

Ad propetam vindictam Deum excitat ſuperba impij locutio. 244.1

Luxuria.

Luxuria facit homines idola colere. 81.2
Luxuriæ peccatum longè à Deo hominem ſeparat. 19.1
Luxuria non ſolùm ex ebrietate ſed ex immoderato vini vſu accenditur. 10.1
E luxuriæ barathro emergens nihil retineas, quod voluptatis prælapſæ recorderis. 6.1
In materia luxuriæ à leuiſſimis piaculis abſtinere ſtudioſiùs, quàm in aliis procurandum. ibid.
Luxuria interimenda ſuomet gladio, ſeu vitij huius fœditatis obiectu. 165.1
Luxuria fecit homines à via deuiare. 239.2
Valdè turpis & indecens eſt in ſenibus luxuria. 216.1
Nimium vini vſum luxuria ſequitur. 47.1
Luxuria & idololatria pariter quodammodò ineedunt. 222
Luxuria domeſtica inimica difficillimè ſuperatur. 200.1
Poſt victam luxuriam, fuga victoris non eſt infirmitatis, ſed fortitudinis. 189.1
Luxuriæ antequam accedant, debellare procura tentamina. 204.1
Luxuria cultores ſuos interficit. 22.1
Luxuria homines vertit in bruta. 7.1
Luxuriæ impugnatio nulli parcit ætati : Vnde timendum ſemper. 81.2

M

Machinatio.

IN impudicæ ſpecie nunquam non abſconditur vendendi amatores machinatio. 90.1

Magiſter.

Filiorum Regis magiſter non ſolùm ſapiens quæratur, ſed & virtute conſpicuus. 220.2

R. P. Ant. de Eſcob. & Mend. SS. Script. tom. VII. p. 2.

Malitia.

Tanta eſt vel vnius peccati malitia, vt quaſi de ſeipſo mirari poſſit Deus quod non illicò illam puniat. 145.1

Malum.

Mala, quæ finem habent perfecta mala non ſunt ſed quæ æterna. 41.2
Omnia mala, quibus affligimur, ex peccato profluunt. 71.1
Nulli inferas malum, neſcis enim an aliquando illius ope indigebis. 193.2
Grande malum eſt populis tributorum impoſitio, & exactio. 130.2
Deus facit malum tributionis iuſtorum : & malum non facit quia illis cedunt in bonum. ad initium voluminis in Antilogia.

Mandatum.

Qui Dei mandata non ſeruat, ſe eum haud noſſe teſtatur. 9.1

Manifeſtari.

Agnatum peccato manifeſtari. ad initium voluminis in Antilogi.

Manſuetudo.

Manſuetudo Præſulis mira in ſubditis operatur. 19 2
Pauperi ſpiritu agnata eſt manſuetudo. 128.1

Manus.

Robuſtiſſima & intentiſſima ad percutiendum manus, quàm oblata munera non infirmant. 100.2
Satiùs manua diaboli, quàm in manus hominum iratorum incidere. 147.1

Maria.

Maria quæ ſe ancillam profitetur, tam ſublimis eſt, vt nulla creatura ſic Dei magnitudinem in ſe repræſentet. 60.1
Maria conſolatrix noſtra. 85.2
Maria cum Deo luctatur ad hominum defenſionem. ibid.
Maria ſpeculum Dei. ibid.
Maria ſemper feſtum agens. ibid.
Maria eſt mirabilium Dei memoria. 111.2
Sine Maria Deipara quis ex mundi Ægypto, patriæ cæleſtis terminos attingit. 81.1
Mariæ interceſſio placat Patrem & filium propitium amplius reddit. ibid.
Maria epilogus gratiæ. 11 2
Maria ſalutis miniſtra pro ſalute noſtra ſemper precatur. 1.1
Maria hæreſum interemptrix. 131.2
Propheciſſa fuit Maria, ex humilitate Propheſarum Regina. 147.2
Maria caſtrorum acies dæmoniis terribilis. 218.1
Vide verbo *Depara.*

Martyr.

Martyr vulneribus concuſſus, tympani inſtar Dei demulcet aures. 236.2

Martyrium.

Deiparæ martyrium ex Ieſu patientis & morientis aſpectione. 240.1
Ex nobilitate martyrij poteſt quis ex recentioribus Diuus Protomartyr vocitari. 236.2

Mater.

Nihil anguſtius matri quàm filium cœlo pepetiſſe. 158.2

Mater quaſi viuit, & moritur io filiis. 239.2

Medallium.

Laudabilis qui ſanctorum medallia è cingulo appendit. 4.1

Medicina.

Tam agnata eſt medicina ad peccatorum reductionem laborum preſſura, vt quaſi mirum ſit, illum laboribus actum non conuerti. 110.1

Melancholia.

Melancholia punitur, qui aliis cauſa triſtitiæ fuit. 144.1

Membrum.

Dirioribus pœnis afficiuntur membra, quæ ſeruierunt iniquitati. 262.2

Memoria.

Memoria laborum, quos in peccato ſubiiſti, te faciunt velociùs virtutis viam arripere. 24.2

Mendacium: Mendax.

Nihil magis ignominioſum viro quàm in mendacio deprehendi. 76.1
Homo mendax, freqoenter improbus. 180.2
Mendacium in ſene execrabile eſt. 236.2
Plerumque ſunt mendacia, quæ ciue à contra patriam, à fratre contra fratrem deferuntur. 226.1
Qui in vno mendax reperitur, in aliis dignus fide non eſt. 207.1
Virum ingenuum haberi mendacem, idem eſt ac capitali ſententiæ addici. 76.1
Virum ſpiritualem mentiri dedecet. ad initium voluminis in Antilogia.

Mercator.

Dei ira ſuper mercatores, qui infideli menſura vtuntur. 82.1

Merces.

Quàm exigua ſit meretricij inſtituti merces. 4.2
Viliſſima eſt artis meretricum merces, vel in ipſa receptione dilabitur. 71.2
Quàm ſtricta inſtitoti meretricij merces. 4.2

Meretrix.

Meretrix etiam matrimonio ſubſequente vix à prælapſa nominis fama apud populum expeditur. 2.1

Meritum.

Merita per pœnitentiam reuiuiſcunt. 56.2

Meſſis.

Copioſæ peccatorum ſeminationi copioſa pœnarum meſſis reſpondet. 22.1

Michaël.

Michaël Dux exercituum Catholicorum. 249.2

Miles.

Loquax miles, plerumque imbellis. 262.2
Milites ad ſpolia incubare non debent ante victoriæ perfectionem. 169.2
Ad hoc aſſequendum neceſſum eſt, milites eſſe legis obſeruatores. 241.1
Quaſi agnatum eſt militibus, difficilè eis de ſtipendio prouideri. 212.1
Pauci Chriſtiani milites legis cuſtodes erunt hoſti velut innumerabiles. 241.2
Iuſtitia comite, pauci milites innumeros hoſtes iniuſtè pugnantes facile vincunt. 200.2
Miles præliari prælium debet, non ſpolia. 164.2
Idem eſt eſſe militem, ac obedire debere. 207.1
Formidoloſus Miles certamini ineptos ab exercitu debet excludi. 167.2
Glorioſum militis ſuæ fortitudinis ſigna exhibere. 211.1

Minæ.

Deus ſcit minas portendere, quodammodò verò neſcit ſupplicium inducere. 69.1
Plerumquè ſuperbæ minæ in caput ipſius minantis reciduot. 183.2

Miniſter: Miniſterium.

Quælibet ſacri Miniſtri opera ſplendida à Deo habent fulgorem, minimè à noſtra virtute. 118.1
Regij miniſtri ſunt Regis oculi. Vnde debent ei cuncta clarè manifeſtare. 217.2
Inferiores iudicant miniſtri, non veſtiunt, ſed denudant litigantes. 116.2
Prompti ſunt miniſtri, ne è Regis gratia excidant, ad eius ſtudia (licet aliquandò iniuſta) exequenda. 226.1
Quidqoid iniquè gerit adulator miniſter, in Reipublicæ exitium vertitur. 15.2
Qui laborioſo concionandi miniſterio ſtudent, aliquo vel temporali ſubſidio leuari debent. 69.2

Miſeria.

Tanta eſt æternæ damnationis miſeria, vt quodammodo Deus licet iuſtè iratus vicem damnandi doleat. 16.2

Miſereri: Miſericordia.

Peccatori impœnitenti Deus non miſeretur, licet veniam efflagitet. 152.1
Immenſa Dei miſericordia ex noſtra ingratitudine concipit vberiora miſerendi excitamenta. 23.2
Miſericordia præferendáne ſacrificio? 14.1

Modeſtia.

Nobilitati veræ agnata eſt in veſtitu modeſtia. 195.2

Mors: Mori.

Chriſtum & ſimul cum eo omnes quos abſorpſerant, mors & infernus euomuere. 66.2
Mors vitæ reſpondet. 233.2
Vincentis ducis mors egregium eſt ipſius trophæum. 189.1
Mors eſt vnicus fructus quantumcumque remotiſſimos decerpens. 56.1
Mirum eſt, Regem ſe mori cognoſcere. 155.2
Infeliciter moritur Rex, qui veram religionem potam non curat aſſeruari. 22.1

Mores.

Ad Principum ingenium ſolent ciuium mores efformari. 11.2
Praui Reipublicæ mores paulatim induçuntur vſque ad illius exitium. 15.2
Corruptiſſimi virorum, ac ſenum mores, qui ex corrupta iuuentute procedunt. 156.1
Peccati ſeruitus. ibid.

Facilè

Facilè praui mores ex vicinitate impiorum contrahuntur, 72.2
Ex ciuium moribus Sacerdotum mores colliguntur. 10.1
Mutatis peccatoris moribus, Dei ſententia mutatur. ad initium voluminis in Antilogia.

Mulier.

Validiora diaboli arma ſunt mulieres. 81.5

Mundus.

Omnia tranſeunt in mundo fęlicitas, & aduerſitas. 86.1

Munificentia.

Ad Regni felicitatem tuendam confert Regis erga Templum munificentia. 111.1

Munire.

Tempore pacis muniendæ ſunt Vrbes ad bellum contingens. 208.1

Munus.

Munera vocalia ſunt quidquid velit offerens perſuadentia. 211.2
Munera iracundiam inhibent. 200.1
Vnum munus mox datum plures in futurum ſuperat promiſſiones. 194.1
Munera iudicis corrumpunt. 231.2

Muſica.

Profana in menſa muſica reprehenditur: in Euchariſtico epulo commendatur. 52.2

N

Naſci.

SAtiùs non naſci, quàm pertinere ad populum à Deo derelictum. 10.2

Negligere.

Neglectus orationis ſcelerum eſt cauſa. 72.1

Nepos.

Nepotes & Aui quaſi vnum. ad initium voluminis in Antilogia.

Nequitia.

Nequitia apoſtaræ à fide gentilium nequitiam ſuperat tyrannorum. 182.2

Nobilitas : Nobilis.

Nobilitas in operandi ratione dignoſcitur. 236.2
Nobilitatis eſt, nihil in aliis ſuſpicari. 205.1
Ille nobilis eſt, cuius opera nihil referunt non auguſtum. 166.1

Nocere.

Qui proximo nocere ſtudet, diabolus aptè vocitatur. 157.1

Nomen.

Vnum nomen Ieſu eſt complexio omnium nominum quæ redolent pietatem. 138.1

Nuditas.

Ad ſpiritualem pugnam nuditas neceſſaria. 242.1

Numerus.

Licet ingens peccatorum numerus, ingentior eſt ad parcendum numerus Dei miſericordiarum. 108.1

Nuncius.

Numquam deeſt nuncius ad infortunia referenda. 170.1

O

Obediens.

QVamuis Rector abſens iubeat, veri obedientis præſens adeſt in corde, ad executionem. ad initium voluminis in Antilogia.

Obiicere.

Qui hoſti, cum certa eius victoria obiicitur, non ſe ſubmittit, non eſt conſtans, ſed pertinax. 196.2

Obliuio.

Mortis obliuio influit diuitibus morum inſolentiam. 52.1

Obſeruatio.

Feſtorum obſeruatio confert ad opum conſeruationem. 139.1
Ad priuatam legis obſeruationem confert, publicos eius violatores exterminare. 211.1

Occaſio.

Danda non eſt æmulis inuidiæ occaſio. 194.1
Nec à longè delinquendi occaſionem aſpicias. 183.1

Occidere.

Puſilli & abiecti animi eſt, ſeipſum occidere. 159.2

Odium.

Qui aliquem odio habet, eius triſtitia lætatur. 72.1

Offerre.

Quod Deo offerimus, id verè recipimus. 139.2

Officium.

Veri Sacerdotis officium eſt cœptam luxuriæ conuerſationem intercidere. 130.1
Officium Iudicum eſt peccata publica corripere. 50.1
Idem eſt officium Regni adminiſtrare, ac abundare opibus. 139.2
Angeli cuſtodis officium eſt, alumnos dormientes circa ſpiritum excitare. 118.1
Concionatoris officium eſt, auditores monere, vitia carpere, non aures demulcere, verbis adulatoriis. 71.1
Viliſſimus eſt qui poſt beneficium à Deo acceptum non ſolùm non reddit officium, ſed & addit ſcelus. 201.1
Agnatum dæmoni officium, peccata hominum publicare. 64.2
Muneribus raro Principum oſtium eſt clauſum. 231.1

Onerare : Onus.

Qui nimiis tributis ſubditos onerant, ipſi facti ſunt nimium tributarij. 151.1
Peccati grauiſſimum onus. 64.2

Opprimere.

Qui pauperem opprimit, ſic Deum irritat, vt quaſi nouas pœnas ei inferendas cogitet. 73.2

Opprobrium.

Viro ingenuo opprobrium eſt morte dirius, quod mendax habeatur. 69.2

Opus.

Opus redemptionis eſt omninò ineffabile. 36.1
Totum virtutis aut vitij opus ei tribuitur, qui bono aut malo exemplo alios ad eandem actionem attraxit. 201.2
Templorum ſeu altarium ornatores, Deum ſibi debitorem efficiunt. 110.2
Bonum opus cœptum nullo timore obiecto intermittendum. 200.1
Pia opera vt ſuccedant ex votis, Deum ſemper protectorem habent. 109.1
Ex operibus ſolemus hominibus nomina accommodare. 128.2
Pœnalia iuſtorum opera Deum iratum ad miſerationem attrahunt. 160.1

Orare : Oratio.

Pro amicis abſentibus orandum. 204.1
Inſtrumentum certiſſimum obtinendæ victoriæ oratio & pœnitentia. 248.1
Oratio ex lacrymis ſummam contrahit efficaciam. 249.2
Oratio eius qui afflictione afficitur, efficax eſt ad impetrandum. 269.1
Oratio præſtantiſſimum in tribulatione remedium. 66.1
Oratio fortior eſt copioſiſſimo exercitu ad debellandos hoſtes. 247.2
Oratio & Templum afflictorum eſt ſolatium. 157.1
Ad veram pœnitentiam eliciendam valde confert præambula oratio. 29.2
Oratio ex ieiunio validiorem trahit efficaciam. 33.1
Oratio fortior eſt ad hoſtes ſuperandos, quàm bellica tormenta. 175.1
Efficax eſt oratio cum lacrymis. 25.2
Oratio omnia poteſt. 255.2
Feruens oratio ad impoſſibiles audet effectus. 253.1
Vt efficax ſit oratio noſtra, curemus vt à gratis Domino efformetur. 134.2
Oratio iuſtorum Dei iram cohibet, ne ſceleſtos percutiat. 54.1
Oratio cum lacrymis Verbi incarnationem aſſequitur. 26.1
Oratio omnium tribulationum medicamen. 226.1
Oratio ſic vel vnum roborat militem, vt pro innumero ſubiiciat exercitu. 201.2
Ante omne negotium oratio præmittenda, vt euentus eius votis reſpondeat. 123.1
Inſtandum orationi, donec potiamur optatis. 118.2
Oratio illius, qui ſceleſtus manet, dum orat, inefficax eſt. 244.2
Communitatis oratio exorat. 249.2

Ordo.

Ad ſacros Ordines non admittendus, qui prauis imbutus eſt moribus. 139.2

Ornare : Ornatus.

Templorum ſeu altarium ornatores Deum ſibi debitorem efficiunt. 110.2
Nimius fœminarum ornatus libidinem ſubolet. 4.2

P

Parens.

AMantis parentis eſt, filium delinquentem corripere. 136.1
Ex parentibus iuſtis procedere, confert nonnumquam ad miſericordiam à Deo obtinendam. 105.2
Tenentur parentes, filios inſtruere circa legis obſeruationem. 32.1

Particeps.

Fit particeps felicitatis, aut infelicitatis, qui probis, aut prauis ſociis hæreſcit. 49.1

Paſſio.

Paſſio Chriſti ianuam nobis ad ſalutem reſerauit. 6.1
Chriſti paſſio vberrima eſt peccatorum ablutio. 135.1
Chriſti paſſio lacrymas à noſtro elicit corde. 134.2
Paſſio Chriſti è nobis ſanguinis lachrymas deberet elicere. 117.2

Patientia.

Patientia & perſiſtentia militaris omnia vincit. 185.1
Tanta eſt Dei patientia ad tolerandum peccatores, vt quodammodò neceſſarium ſit eum precari vt iraſcatur. 241.1

Pati.

Leuiſſima quæ nunc patimur, videbuntur, ſi terribilis diei iudicij recordemur. 138.1

Patria.

Infame admodum eſt Vrbi patriam eſſe tyranni ac magni peccatoris. 127.2

Pauper : Paupertas.

Pauper vult eſſe, qui aliquid de decimis detrahere cogitat. 145.2
Inermis paupertas eſt potentiſſima. 151.1

Pax.

Frui pace ablegata calumnia, magis debet animum lætificare, quàm Regni poſſeſſio. 196.1
Pax à gratia : bellum : à peccato deriuatur. 77.2
Melior eſt pax ante pugnam, quàm poſt eam, vel certa victoria. 258.2
Pax eſt omnium bonorum complexio. 142.1
Tempore pacis militum exercitamentum ſit pios libros perlegere. 104.1
Pax hæreticorum exitialis Eccleſiæ. 183.1
Tantum bonum eſt pax, vt vel ea inimici manu poſſit libenter recipi. 180.2
Pax peccatorum *bona* pax non eſt, ſed ea, quæ cum iuſtitia colligatur. 219.2

Peccare:

Peccare: Peccatum.

Grauiſſimè peccat qui Concionatorem impedit ne liberè proferat veritatem ac vitia corripiat. 44.1
Omnis peccator quantum in ſe eſt, Deum configit rurſum Cruci. 145.2
Felix peccator, qui in hoc ſæculo punitur. 259.1
Inſenſibilis eſt peccator quem labores ad Deum quærendum non adducunt. 16.2
Peccatori benigniſſimi Dei oculi in exitiales conuertuntur. 58.2
Actum de peccatore quem ſupplicium ad meliora non affert. 104.2
Non audeat peccator ſomno indulgere, neſciens,an interim exitialis tempeſtas ſit ei excitanda, 64.2
Omnes peccatores nihil aliud ſunt quàm cloacæ. 18.1
Nugaces, abiecti, ac viles ſunt omnes peccatores. 105.2
Nihil felix verè accidit peccatori Deo ſcilicet inimico. 5.1
Audiens peccator Concionatorum minas,curet per pœnitentiam Deum placare. 45.2
Modo adhibito ad peccati executionem quaſi docet peccator Deum infetendi ſupplicij modum. 75.2
Ne peccator,cum tribulatione afficitur, contra hominem iraſcatur. Deus enim auctor eſt tribulationis ad peccati ſupplicium. 45.2
Pertinacia peccatoris in ſcelere, ex eo quod ſacris concionibus intereſſe refugiat. 124.2
Surdo peccatori Deus ſe ſurdum oſtendet. 124.2
Dum peccator delinquit,Deus ponderat crimina & præparat ſupplicium. 92.2
Si ad Mariam Carmelum accurrant peccatores pœnitudinis affectu, Deus vel *ſcrutans*,eos ad ſupplicium non inueniet. 58.1
Deus peccatores non cognóſcit,quia ſunt quaſi nihil. ad initium voluminis in Antilogia.
Peccator ſtultitia laborat. 219.1
Peccator Dei beneficia in maleficia vertit ingratus. 21.2
Sunt peccatores ita defixi vitiis, vt velut athel, à Deo nihil ſperandum aut timendum putent. 100.2
Peccator Deo exemplar obiecit in delicto, vt ſimile ei ſupplicium decernat. 38.2
Ex praua conſuetudine peccator quodammodo neſcit rectum facere, etiamſi velit. 46.1
Omnis peccans,ignorans. 96.1
Peccatum mœror, gratiam lætitia comitatur. 115.2
Peccatum ditiùs gehenna eſt peccatori. 120.2
Peccata ciuium Vrbes in deſolationem faciunt abire. 124.2
Sæpè Deus parentum peccata punit,laboribus filios exagitando. 126.1
Quodlibet peccatum ab aliis commiſſum vobis ſit vulnus in pupilla oculorum. 115.1
Tanta peccati malitia,vt Deus ne illico peccatorem puniat, quodammodo à ſuamet omnipotentia reprimitur. 86.1
Peccatu m linguam alligat confuſione. 120.2
Peccat um idem eſt,quod amaritudo. 26.2
Omne peccatum amaritudinem auti operculo continet. 42.2
Peccata publica Vrbes euertunt, Regna afferunt in exitium. 91
Peccata ſubditorum Præſuli attribuuntur. 116.1
Agnatum peccato manifeſtari. 252.2
Peccata Vrbium ac Regnorum ruinam operantur. 88.1

Pecunia.

Pecuniæ ab Eccleſiâ datæ Regibus ad triennium fabricam non debent in alios vſus impendi. 230.2

Peierare.

Nonnulli tam familiariter peierant, vt videantur periurium diligere. 126.2

Penuria.

Bonorum temporariorum penuria diuiti è peccatis ſæpè prouenit. 5.1

Peregrinatio.

Periculoſa eſt peregrinatio dum viri ac fœminæ incedunt. 57.2

Periculum: perire.

Loca vbi adeſt peccandi periculum fugienda. 49.2
Omnibus ciuibus pereuntibus,ſolent proceres à flagello eripi ex diuitiis. 24.1

Peruerſus.

Deus cum peruerſo peruertitur. ad initium voluminis in Antilogia.

Pietas.

Tanta Dei in ſeruos ſuos pietas, vt ipſe conſolationem accipiat,cum illos ſolatur. 238.2
Pietas & comitas erga hoſpites, numquam ſuo munere caret. 253.1
Commendatur Catholici Regis pietas ſacros miniſtros ad Indos immittentis. 25.1
Pietate ſennm præeunte, facilius reliqui ciues ad pietatis opera alliciuntur. 33.1
Exemplum pietatis vnius alios ad eandem pietatem ſectandam excitat. 126.2
Ineffabilis Dei in peccatores pietas. 112.2
Tanta Dei pietas,vt fugientem peccatorem reuocare ad ſe curet poſt tergum clamans. 124.1
Nihil pietatis poteſt à perfido expectari. 206.2

Pignus.

Amaſij, vel amaſiæ pignora exitialia poſſidenti. 252.2

Placare.

Placando Deo ſtudendum, ad ægrotum ſterilitatem obligandam. 126.1

Plaga.

Belli plaga nulli parcit eorum qui in Regno bellum gerente habitant. 100.1
Magna Reipublicæ plaga eſt, Cum Templi immunitas violatur. 212.2
plaga ſpiritus,quæ non exponitor ſpirituali Medico omnino inſanabilis. 244.2

Pœna.

Cuilibet peccato pœna reſpondet:fœlix,qui in præſenti corripitur & non in ſæculo ſequenti. 230.2
Pœna peccato ſimilis. 145.2
Horribilis

Horribilis pœna damnatis interminabilis beatorum feſtiuitatis recordatio. 20.1

Vide verbo *Supplicium.*

Pœnitentia: Pœnitens.

Magna vis pœnitentiæ. 84.2

Pœnitentia noſtra de peccato, facit Deum quaſi pœnitere de ſupplicio inferendo. 35.2

Pœnitentia peccatorem ſerpentem adigit in columbam. 103.2

Sera pœnitentia plerumque ſuſpecta. 24.1

Pœnitentia conuertit in momento miſerum peccatoris ſtatum in felicem iuſti. 116.2

Si te de peccato pœniteat, Deum de ſupplicio inferendo pœnitebit. 68.2

Pondus.

Peccati magnum pondus. 120.2

Tantum peccati pondus, vt quodammodo Dei fortitudo ſub eo onere gemat. 44.2

Populus.

Christiani populi inimici tandem depereunt. 78.2

Piam actionem publicam procerum facilè populus imitatur. 68.1

Populus ſine Deo perit, licet à prudentia ac forti Principe gubernetur. 22.1

Poſſeſſor: Poſſidere.

Inutile eſt poſſeſſori quicquid inique acquiritur. 9.2

Non poſſidetur illud, quod alterius iniuria poſſidetur. 152.1

Potentia.

Iudices, & proceres Reipublicæ potentia, & diuitiæ à communi eximit clade. 43.1

Nulla potentia, nulla ars proficiet ad victoriam Deo non propitio. 91.1

Vel vnius Angeli potentia ineffabilis. 249.2

Qui non ſibi, ſed Deo potentiam attribuit, facit certam eſſe victoriam. 255.2

Præceptum.

Præcepta obedientiæ haud facile ſubditis imponenda. 18.2

Prædicatio.

Vnderam tam exiguus è prædicatione fructus legitur. 82.1

Vide verbo *Concionator.*

Prælatus.

Prælati Eccleſiæ debent eſſe equi gloriæ Chriſti non ruinæ. 129.2

Prælati eſt, nullo labori nullæ ſubditorum oblatrationi cedere, vt tantillum ab iniuncto munere recedat. 24.1

Subditorum ſceleris reus & prælatus, qui eos non corripit. 516.1

Prælium.

In prælijs ſpiritus ſecuri non ſumus, donec omnia vitia in nobis regnantia vincamus. 551.1

Præſtantia.

Ex præcepti difficultate rutilat magis obedientiæ iuſtorum præſtantia. 2.1

Præſul: Præſulatus.

Præſul, qui ſua incuria cauſa eſt, vt cœpta luxuries promoueatur, quodammodo Sacerdos non eſt. 230.1

Bonus Præſul ſe gerit ſicut vnus ex ſubditis 152.1

Praui Præſules non dolent de ciuium inopia, ſed quia non habent, vnde ſuam auaritiam expleant. 131.1

Cæcutiant aliquando Præſules ad piacula ſubditorum. 194.2

Præſul priùs ergà ſubditos virga manſuetudinis, quam ſeueritatis vtatur. 131.2

Præſul crudelis, gubernare neſcit, prorſus ſtultus. 132.2

Qui ambit Præſulatum, propriis commodis, non ſaluti ſubditorum ſtudet. 255.1

Præſumere: Præſumptio.

De nullo fideli præſumendum eſt, indiſpoſitum mori 253.2

Stulta impiorum de infinita Dei miſericordia præſumptio, ad delinquendum ſpe veniæ. 74.1

Præſumptio vti Luna mutatur in obiectionem. 189.1

Preces.

Communitatis preces validiores ad Deum placandum. 33.1

Preces illius qui tenaciter crimini adhæret, Dei auribus iniucundè ſonant. 50.2

Vide verbo *Oratio.*

Princeps.

Bonus Princeps non ſuæ, ſeu vtilitati ſubditorum ſtudet. 210.2

Egregius eſt Princeps, cuius gubernatio in ſubditis querelas non excitat. ibid.

Magnus Princeps de pauperum ſubleuatione ſatagit. 211.1

Plerumque prauo Principe mortuo, alius nequior exurgit. 28.1

Probus Princeps non propriis, ſed ſubditorum commodis inuigilat. 202.1

Bonus Princeps non ſuis ſed ſubditorum commodis ſtudet. 194.1

Principes & Magiſtratus debent eſſe Reipublicæ fulcra. 81.1

Plerumque Catholico Principi feliciter omnia ſuccedunt. 212.1

Quales Principes, tales ſolent eſſe ciues. 225.2

Princeps, qui non ſolum ab Eccleſia non detrahit, ſed eam donis auget, Regni felicitatem promouet. 215.2

Principes afficiuntur inopia cum Eccleſiam efficiunt tributariam. 107.1

Exitialiter cum Catholico exercitu confligit Princeps, qui auxiliares admittit infideles. 250.1

Bonus Princeps non ſolum omnibus ſubditis in communi, ſed & ſingulis in particulari prouidet. 175.2

Apud Principes parum pios proficiunt, & augentur, qui cum exactores tributorum ſunt, Eccleſiaſticos vrgent. 231.1

Vel Barbarus Princeps noſcit, dedecere Eccleſiaſticos tributorum ſolutionem. 194.2

Prodire: Proditio.

Amicorum ſalutem prodit, qui eorum inimicis benefacit. 247.2

Proditio ipſa ſe manifeſtat. 182.2

Pud

Prodicio cunctis diſplicet. 231.2

Profectus.

Profectus paulatim ductus ſtabilis eſt. 241.2

Promiſsio : Promittere.

Verbum ſeu promiſſio Regis opus debet exiſtimari, ſiuè executio ipſa. 83.2

Qui facilè promittit multa, faciliùs obliuiſcitur promiſſorum. 195.2

Cum aliquis tibi aliquid promiſit non tuum, ſed ſuum commodum ambit. 193.2

Promouere.

Dei promouet gloriam, qui Templo ornando opus impendit. 107.1

Properare.

Properans ad malum ſemper impingit. 244.2

Propoſitum.

Propoſitum non amplius delinquendi pœnitenti neceſſarium illuſtratur. 125.1

Prouidentia.

Neceſſaria eſt duci prouidentia ad fortuitos ſucceſſus præoccupandum. 258.2

Prouocare.

Deum ad iram prouocat, qui ſcripturæ verba, aut hiſtorias, ad profana accommodat. 166.2

Proximus.

Quilibet proximus nobis ſit velut amicus, quem ſit nefas lædere. 126.1

Si quis fel propinat proximo, ab alio ei fel propinabitur. 25.2

Qui amat proximum ſicut ſeipſum eodem quo ille affligitur incommodo. 86.2

Prudentia.

Nullum opus ineundum ſine præuia prudentiæ directione. 114.1

Prudentiæ eſt, te illi non fidere, quem aliquando vidiſti doloſum. 205.1

Ptolomeus.

Vt Ptolomeus contrà Alexandrum pugnax, exurgeret, ſufficienſne cauſa fuit eſſe eius ſocerum? 199.2

Puer.

Cum lacte pueri ſolent nutricis mores bibere. 239.2

Pugna.

Non inſtituenda pugna niſi oratione præmiſſa. 134.1

Pulchritudo.

Fallax fœminarum pulchritudo apparet, ſi fucos, & ornatum tollas. 90.1

Pulchritudo fœminea flos eſt, qui facilè immutatur. 256.2

Punire : Puniri.

Deus vt puniat eos, qui ex Templo, ſeu ex Eccleſiaſticis quæſtum faciunt, quodammodò totam ſuam poteſtatem exerit. 249.1

Ob iuſtum parentem Deus ſæpè iniquum filium non tam ſeuerè punit. 5.8

Peccatorem hîc puniri, Dei beneficium eſt. 236.1

Sæpè Deus peieratores egeſtate punit. 120.1

Cum videris peccatorem à Deo puniri, time, ne peccati ſimilis reus ſimiliter puniaris. 72.1

Deus ſterilitate punit luxum peccatorum, qui ad eum creaturis abutuntur. 9.1

Non ſolùm impia opera, ſed & cogitationes vel hic ditè puniuntur. 84.2

Deus peccatores punit aliorum tyrannide, ſed vulneris inſtrumentum poſteà comminuit. 62.1

Q

Quæſtus.

Difficilè homo ſeparatur à crimine, ex quo quæſtus acquiritur. 93.2

Quærere.

Gloriam hîc ex operibus quærere quis ſine peccato poteſt. 179.2

Quies.

Abſtinendum à corporeis deliciis diebus, quibus Chriſti paſſionis memoria recolitur. 123.1

R

Raptor.

Raptores cum raptoribus, laſciui cum laſciuis redacti in faſciculos emittentur ad tartarum. 52.2

Rebellis.

Vt rebellis omninò debelletur, neceſſarium eſt, eum terra marique expugnari. 214.2

Recedere.

Qui à Deo recedit, ſolitarium ſe ſine protectore eſſe credat. 18.2

Qui à fide, aut à vita religioſa recedunt, facilè vitiis inquinantur. 162.2

Recluſio.

Agnata virginibus recluſio. 117.1

Reconciliatio.

Imprudenter quis reconciliato fidit inimico. 15.2

Recordari.

Frequenter recordemur, nos hîc non habere manentem Ciuitatem. 151.2

Recurſus.

Pœnitenti facilis eſt ad vitam recurſus. 49.2

Redundantia.

Deliciarum, ac diuitiarum redundantia penuria ſequitur. 32.2

Regnare : Regnum.

Verè non regnat, qui ſub tributo degit. 208.1

Stabiliuntur Regna, dum curant Reges, fidem propagari. 24.2
Actum erit de Regno cum aulici Regi perſuaſerint, poſſe pro libito ſuis ſacris vti facultatibus. 230.2
Non poſſidetur Regnum tyrannicè acquiſitum, ſi bello continuo ſit conſeruandum. 151.1

Religio: Religioſus.

Dum Religio ſtat, Regna conſeruantur: religione corruente, corruunt & Regna. 58.2
Dulcis Religioſis clauſura erit æternæ libertatis iucundiſſima meditatione. 146.2
Religioſi extra monaſterium, vel collegium poſſunt in monaſterio, aut collegio habitare. 134.1

Renouatio.

Renouatio ſpiritus Ieſuitis præſcripta, mutum perfectionis roborat. 54.2

Reſolutio.

Chriſtiani reſolutio ſit: prius mors, prius tartarus, quam peccare. 236.2

Reſpectus.

Vel ante aduentum Ieſu venturi reſpectus vitalis fuit hominibus. 161.2

Reſtitutio.

Suſpecta eſt reſtitutio fieri iuſſa in teſtamento, cum viuens adhuc poſſis eam facere. 245.1

Reuerentia: Reuereri.

Socero à genero magna reuerentia præſtanda. 199.1
Quanta reuerentia ſacra ornamenta & vaſa deceat. 170.2
Vel in peccatoribus debemus humanitatem reuereri. 43.1

Rex.

Prudens Rex illum maiori habet in pretio, contra quem videt inuidiam a urgere. 196.1
Nihil ſic debet Reges Catholicos excitare ad arma arripienda quàm videre ſacra ab hoſtibus violari. 160.2
Reges inconſulto precibus Deo, belli non decernant inſtantias. 56.2
Nec in aula Rex ſecurus degit, ſi ſubditos non curat beneficiis allicere. 200.2
Rex delationibus non facilè credat. 54.2
Vel gentilis Rex ſcrupulo pungitur ob detractas ab Eccleſia opes. 195.1
Vitio Rege deuicto, facilè alia vitia debellantur. 165.1
Reges fidei oſores dirè puniuntur. 27.1
Rex vincit in prælio cum Eccleſiam fert ſecum, hoc eſt, Eccleſiæ preces pro victoria. 165.2
Oportet Reges Regni calamitates propriis oculis aſpicere, vt efficaciùs de remedio prouideant. 170.1
Exitiale eſt Regibus admittere ad exercitium hæreticos, alioſque milites infideles. 162.2
Vide verbo *Regnum.*

S

Sacerdos.

PRauus Sacerdos in abundantia Euchariſtici panis fame perit. 47.1
Prauus ſacerdos plerumquè auaritiæ morbo laborat. 54.2
Sacerdos deliciis ſtudens altari non hæreat. 9.2
Plures Sacerdotes verè Sacerdotes non ſunt, *ſed nomine* Sacerdotum. 22.1
Magno populi eſt dignus honore, aut probus ſacerdos aut rectus gubernator. 212.2
Probi aut praui Sacerdotes prauè aut probè viuendi normam ſecularibus indicunt. 140.1
Impius ſacerdos non eſt appellandus. 151.2
Indecens admodum eſt Sacerdotes intereſſe theatris. 230.1
Sacerdos vel Regum faciem reſpicere non debet, vt territus non audeat eum monere de erratis. 141.2
Sacerdotes vt Dei cultui promouendo ſint apti, debent eſſe legis obſeruationi ſtudioſi. 170.2

Sacrificium.

Euchariſticum ſacrificium adeò eſt mundum, vt miniſtrorum pollutis manibus non poſſit inquinari. 141.1
Indecenter ad Euchariſtiæ ſacrificium ſine diutina præparatione accedis. 51.1

Saluare: Saluator.

Quàm pauci ſaluantur ſi eos cum damnandorum turba referas. 49.1
Ex Hiſpania ad Indos ſaluatores ſunt profecti. 63.2

Sanguis.

Martyrum ſangnis Dei brachia contra impios intenta illigat, & exarmat. 141.1
Felicia tempora, cum Imperia non dabat ſanguis ſed meritum. 19.2

Schyſma.

Schyſma ſeu diuiſio eſt cauſa Regnorum ruinæ. 21.2

Scientia.

Primò requiritur in Iudice ſcientia iuris. 75.1

Scriptor.

Scriptores & Concionatores difficilibus verbis vtentes taxantur. 94.1

Secretum.

Secretum commiſſum epiſtolæ rarò reſeratur. 190.2
Secretum nulli reuelandum: rarus enim eſt, qui cuſtodiat, vel pullus quidem. 83.2

Sectarius.

Sectarij voluptatum iumentis ſunt ſimiles. 138.2

Sectator.

Qui ſectator virtutis remeat ad vitia, dirè plectitur. 99.2

Securitas.

Fortitudini ibi maior ſecuritas, vbi fortius periculum inſtat. 189.1

Seductio.

A corde & ore Sacerdotis longè debet eſſe ſeductio & mendacium. 182.1

Senectus.

Indignum ſenectute oſtenditur, qui vitæ infœlicem, peccando, finem impoſuit. 236.2

Separare.

A Deo hominem ſeparari per culpam tam dirum malum eſt, vt medica eius duratio æterna videatur. 3.1
Graue eſt aulicis, vel ad inſtans ſeparari à curia. 182.2

Seruire.

Dum manus noſtræ ad ſeruiendum Templo exeruntur ad excipienda cæleſtia munera præparantur. 155.2
Qui ſeruit impio, illius fit incommodorum particeps. 99.1

Signum.

Signum.

Signum eſt Dei admodum irati, populos Chriſtianorum tot grauari tributis. 128.1
Magnum Dei irati ſignum, eſt cum peccator non flagellatur, ſed ſine ſupplicij metu delinquit. 132.1

Societas : Socius.

Noxia eſt admodum iuſtia impiorum ſocietas. 49.2
Noxia ſemper eſt iuſtis, impiorum ſocietas 132.1
Vel ad plorandum periculoſa eſt mulierom & virorum ſocietas. 135.2
Malus aut bonus ſocius eum, qui ei hæreſeit, quaſi in eandem naturam efformat. 10.2

Solatium.

Sacræ lectionis ſolatium. 204.1
Solatium eorum, qui apud terrenum tribunal afficiuntur iniuria, eſt, ad cœleſte appellationem dari. 231.2

Spes.

Fallax ſpes quæ in promiſſione diaboli, non in Dei munificentia firmatur. 19.2
Fælicitatis æternæ ſpes dulces facit labores. 98.1
Spe Reſurrectionis roboramur ad vitam pro Deo odio habendam. 239.1

Spiritus.

Spiritus ſanctus laudat eos qui ſoccurrunt defunctis in purgatorio exiſtentibus. 154.2

Status.

Et quando ſacerdotalis ſtatus luget, qui non habet annonam. 22.2
Gratiæ ſtatus ab omni alienua perturbatione. 6.2
Quàm dirus ſit captiuitatis, vel exilij ſtatus. 194.2
In ſtatu peccati nihil poteſt eſſe iucundum. 50.2

Studere : Studium.

Qui contra Dei placitum ſtudet opibus acquirendis in ipſa indiget abundantia. 107.1
Primum Magiſtratus ſtudium ſit, improbos ciues exterminare. 191.2
Primum Chriſti venientis ſtudium, Sacerdotes emundare vt ſæculares emundent. 145.2
Gratum admodùm Deo eſt quodlibet circà Templi ornatum ſtudium. 107.2
Præſulibus ſit impenſum ſtudium, ne Templa prauis colloquiis aut actionibus violentur. 223.1
Catholici militis primum ſit ſtudium Regnum defendere ciuibus veluti fratribus ſuccurrere. 174.2
Principis primum ſtudium ſit ciuium commoda procurare. 212.1

Stultus.

Superbus eſt ſtultus. 132.2
Stultus eſt, qui videns venereæ voluptatis ægritudines, eis implicari non fugit. 90.1

Subditus.

Faciliùs ſæpè ſubditus Præſulis amore, quàm rigore ad meliora adducitur. 6.2

Tyranno imperante ſubditi bona ſua poſſident & non poſſident. 152.2
Omnes ſubditi quodammodò ſentiunt, & operantur in Rege. 233.2
Ad affectum Principum ſubditi ſuos mores componunt. 107.2
Si aliquis ſubditus præferendus à Principe Indigena extero præferatur. 200.2
Facilè ſubditi exemplum Præſulis ſequuntur. 160.2

Subiacere.

Supplicio horribili ſubiacet, qui inſigni aliquo ſcelere patrato, anſam dat infidelibus contra fidem oblatrandi. 43.2

Submiſſio.

Veræ præcellentiæ agnata eſt ſubmiſſio. 207.1

Succeſſus.

Raro felix gubernatoris ſucceſſus pergit ſine inuidiæ latratu. 185.2
Infauſtus ſucceſſus ſequitur eos qui ſe temerè muneri ingerunt. 176.2

Superbia.

Superbia humiliatione plectitur. 36.2
Frequenter ſuperbia flectere aſſolet in luxuriam. 212.2
In facie relucet cordis ſuperbia. ibid.
Superbia aſcendendo deiicitur. 92.1
Intolerabilis ſuperbia eſt paruulum ſe efferre. 61.2

Supplicium.

Nullum ſupplicium grauius ipſa peccati permiſſione. 139.1
Recurrit grauius ſupplicium, ſi ad priorem recurris iniquitatem. 24.1
Indè ſupplicium, vndè prodit iniquitas. 36.2
Supplicium aliorum, nobis debet eſſe cautio. 253.2
Supplicium à Deo præparatum ſceleri ſolet eſſe ſimile. 231.2
Poſt diuturnam Dei patientiam grauius ſupplicium peccatori paratur. 51.1
Supplicium criminis modo morem gerit. 255.2
Relapſis poſt veniam in crimina: acuat Deus ſuppliciorum grauitatem. 86.1
Supplicium vni peccatori illatum alterum ad frugem meliorem adducit. 22.2
Cum audis aliquem affectum ſupplicio ob ſpeciale aliquod crimen, exiſtima eadem te pœna percutiendum eiuſdem ſceleris patratorem. 2.2
Præproperum tyranno ſupplicium. 199.2
Grauiſſima huius ſæculi ſupplicia Deum modicè iratum oſtendunt. 233.2

Suſpirium.

Inutilia ad Deum placandum ſuſpiria quæ ex cordis affectu pœnitenti non prodeunt. 16.2

Suſtinentia.

Laborum ſuſtinentia aſſulet vitam producere. 125.1
Efficit fideles multiplicari ſuſtinentia laborum. 130.2

T

Taxare.

TAxabilis admodùm, qui impudicorum obiectorum imagines ad parietum ornatum exponit. 4.2
Taxantur confeſſarij qui per tranſennam confeſſiones audiunt, & non attentè tanto incumbunt miniſterio. 14.1
Taxantur Concionatores, qui prædicationem non prædicant, ſed inania verba. 67.1
Taxantur qui in bello delinquere audent. 253.2
Grauiſſimè taxandi parentes, qui in filiorum conſpectu delinquunt. 116.2
Taxantur qui parentum odia in alios quaſi hæreditario iure conſeruant. 62.1
Taxatur Concionator qui pro minifterio ſuo temporariam mercedem ambit. 55.2
Taxantur qui è bello commoda ambiunt duces, pericula aufugiunt. 88.1
Taxantur qui aliqua acti tribulatione contrà Deum ſtultas excitant querelas. 52.2
Taxantur, qui Eccleſiæ decimas ex fructibus deterioribus ſoluunt. 140.2
Taxantur mercatores & artifices qui violant feſtorum immunitatem. 56.1
Taxantur aulici, qui Regibus Regnorum calamitates non aperiunt. 76.1
Taxantur Concionatores qui longa præfatione in ſermonibus vtuntur. 204.1
Taxantur milites, qui procurant belli tempus produci, vt ſine conflictus periculo militari mercede victitent. 91.2
Taxantur, qui domòs extruunt ſibi magnificas, quando Templis neceſſarius deficit ornatus. 107.1
Taxantur, qui vanitatis ſtercore feſta ſanctorum inficiunt. 148.1
Taxatur vulgarium hominum immoderatus luxus. 201.1

Templum.

Templa Vrbium præſidium. 88.2
Nihil Deo optabilius quàm Templum Deiparæ inire, & eius eſſe filium. 144.2
Animi Templum priùs purgandum à vitiis, mox virtutibus ornandum. 170.2

Temporale.

Cuncta temporalia admodum caduca. 67.2
Omne temporale peruolat in inſtanti. ad initium voluminis in Antilogia.

Tempus.

Infelix tempus, quando pietatis prætextu Eccleſiæ alimenta deficiunt. 33.2
Quantumcumque longum ſit tempus, breuiſſimum procul dubio eſt. 94.1

Tenacitas.

Quàm inuiſa Deo hominum in odio tenacitas. 42.1

Terminare.

Inſeliciter terminantur, quæ ex inobedientia aguntur. 176.1

Theſaurus.

Non omnes theſauri vno die dandi ſunt à Rege. 165.2

Timere.

Peccatis patratis time aliud crimen adiicere, ne fortè ſit, quod menſuram impleat, & ſubitò à Deo puniaris. 41.2
Qui timet à tentatione ſuperari, occaſionem tentationis fugiat. 157.2
Nihil timeant Concionatores cum Dei cauſam agunt. 67.2

Titulus.

Titulus hic *Doctor iuſtitiæ* propriè Chriſto Domino congruit. 36.2

Torqueri.

Dirè à Deo torquentur peccatores, qui alios ad eandem iniquitatem curant allicere. 27.1

Torrens.

Torrenti ſpinarum, ſeu laborum felicitatis æternæ torrens reſpondet. 39.2

Tortura.

Dira erit damnatis tortura, priuati ſpe nunquam ad patriam cœleſtem remeandi. 38.2

Tribulatio.

Tribulatio peccatorem attrahit ad preces Deo proferendas. 17.2
Fidelium tribulationes non ſunt ad exitium, ſed ad correptionem. 236.1
Tribulatio eſt frænum, quo Deus fugientem peccatorem detinet. 64.1
Priuſquam inſtet tribulatio, Deus ab ea euaſionem præparat. 66.1
Tribulationes impiorum è peccato procedunt. ad initium voluminis in Antilogia.
Tribulatio populi fidelis ſolet eſſe proximæ felicitatis ſignum. 137.2
Tribulatio nos edocet affectuosè orare. 66.1
Actua tribulatione ad Deum (non ad homines inaniter quidem) accurre. 16.2

Tributum.

Vel tributum leue populum conſtituit tributarium, & ex eo capite ſeruum. 194.1
Vide verbo *Exactio.*

Triſtitia.

Magna triſtitia omnium dolorum ſuperat diritatem. 178.1
Agnata eſt peccatori triſtitia. 5.2

Tumulus.

Pium valdè eſt Diuorum reliquiis tumulos magnificos erigere. 162.2

Tyrannus.

Ad amicitiam conſeruandam tyrannos prorſus eſt ineptus. 194.1
Tyrannus Martyres torquens pluſquam illi torquetur. 239.1

V

Vanitas.

Haud in vna morantur, ſede vanitas & mortis memoria. 207.2

Varietas.

Varietas apta in libris grata hominibus. 263.2

Venia.

Non erit dubia Dei venia, ſi pœnitentia dubia non fuerit. ad initium voluminis in Antilogia.

Verbum.

Verbum factum à feruenti Concionatore prolatum eſt potentiſſimum. 68.1
Diriùs eſt viro ingenuo verbum contumeliæ, quàm exitiale vulnus. 162.1
Parùo verba docentis proſunt, ſi quæ dicit ipſe non præſtat. 142.2

Veritas.

Veritas ſerò peruenit ad Regum aures. 68.1

Veſtigium.

Sectemur iuſtorum veſtigia. 126.2

Veſtis.

Veſtes militis arma ſunt, queis dimiſſis, quaſi nudus exponitur. 249.2
Taxantur Religioſi & Sacerdotes, quorum morea ſunt veſti diſſimiles. 99.2
Taxantur Sacerdotes ſericis minùs modeſtè veſtibus vtentes. ibid.

Vicinitas.

Fugienda impiorum vicinitas. 72.1

Victoria.

Victoria non eſt tribuenda militum fortitudini, ſed Dei auxilio. 134.2
Fortitudini cedit victoria, cum præſcriptis Ducum obſequitur. 35.1
Victoria multitudini non cedit, ſed virtuti. 186.2
A Deo irato poteſtne ſperari victoria. 165.2
Chriſti contra diabolum ac peccatum victoria. 87.2
Victoriæ à Deo plerumque dantur non tam multis, quam paucis, qui ex iuſtitia ſint digni. 262.2
Victoriæ non militum multitudini, ſed Dei auxilio adſcribuntur. 242.1
Victoriæ certius conſtantia, quàm primo valido impetu comparantur. 194.1
Victoria orationi cedit. 262.2
Victoria non comparatur militum multitudine, ſed paucorum induſtria & robore. 165.1
Victoria non in multorum cæco impetu, ſed in paucorum fide, & fortitudine obtinetur. 288.2
Omnis victoria non militum ſolùm fortitudini, ſed Deo auxiliatori tribuenda. 204.1

Vincere.

Difficiliùs poteris prauam conſuetudinem omninò vincere. 208.2

Vindicta.

Solet ſub velo iuſtæ ſatisfactionis latitare vindicta. 162.2

Vinum.

Vini vſus fouet libidinem. 5.1

Violare: Violator.

Qui Eccleſiæ iura violant, plerumque ſubita morte è viuis artipiuntur. 220.2
Violari immunditia Templum idem eſt, ac euerti. 259.1
Luxuria Templum violare, omnium incommodorum ciuibus colligatio eſt. 235.2
Sacrorum violatio ſumma cauſa debet eſſe Catholico Regi ad bellum gerendum. 212.1
Templi vel rei ſacræ violatores ſubito ac diro ſupplicio mulctantur. 190.2

Violentum.

Quod violentum eſt, amarum eſt. 236.1

Vir.

Viro ingenuo idem eſt illudi, ac enecari. 189.2
Vir inconſtans non poteſt eſſe fortis. 196.1
Viri egregij etiam mortui viuunt in operibus. 189.1
Vir zelo religionis accenſus magnum eſt ex Dei munificentia donum. 160.1

Viriditas.

Dum homini naſcitur proſperitatis viriditas, ſolet ſimul mortis vermis oriri. 69.2

Virtus.

Virtus cunctis placet. 231.1
Apud Deum ſola æſtimatur virtus. 37.1
Inter infirmos plus viri conſtantis virtus elucet. 160.2

Vis.

Immenſa diuinæ miſericordiæ vis vnum beneficium collatum iuſto, plura alia conferendi Deum faciunt debitorem. 242.2
Maxima pœnitentiæ vis ad Deum placandum. 29.2
Tanta eſt vis pœnitentiæ, vt vel ingratos ad Deum reconciliet. 48.2
Ad Regni protectionem non ſufficit armorum vis ſi munimentum virtutis non adiiciatur. 187.1
Magna vis eſt communis clamoris ad Deum placandum. 68.2

Viſitatio.

Vltrix Dei viſitatio viſitationis amicæ ſolet eſſe aſperum. 102.1

Vita.

Vel paucorum recta vita multorum impiorum ſolet eſſe protectio. 101.2
Vita apoſtatæ à fide vel à regulari inſtituto admodum inquieta. 258.1
Militaris vita vitiis obnoxia. 257.1

Vitium.

In vno auaritiæ vitio quaſi omnia ſcelera continentur. 58.2
Vitia auaritiæ, luxuriæ & gulæ magis tartaro obnoxia. 38.1
Citò vitiis fœdari, qui *nuper* per pœnitentiam mundatus fuit, eſt quidem infamia. 259.1
Homuncionum eſt ebrietatis vitium. 55.2
Luxuriæ vitium cultores ſuos reddit infames. 20.2
Luxuriei vitium difficilè ab homine pellitur. 9.2

Si Principum vitia non puniantur populus liberiùs delinquet. 81.2

Viuere.

Qui piè cupit viuere fugiat impiorum Societatem. 161.1

Vocabulum.

Vel ipſum vocabulum Sacri, & generi neſcio quid inimicum inſonat. 195.2

Regis ac Tyranni vocabulum idem ſonat, quia pluribus Regibus velut agnata eſt nimia tributorum exactio, quæ tyrannidem olet. 92.2

Vocatus.

Sæpè accidit vt peccator vocatus à Deo, & non reſpondens, Deum ipſe quærat, & non inueniat. ad initium voluminis in Aotilogia.

Volumen.

Multa volumina iniuriis plena excuduntur, quæ falces aptiùs poſſent vocitari. 129.1

Voluntas.

Qui cupit, ſuam vltimam volontatem ſtabiliri, dum viuit, eam tradat executioni. 155.2

Voluptas.

Vel à licitis abſtine voluptatibus pœnitentiæ tempore. 35.2

Votum.

Abominabilis Deo, qui vota ei emiſſa, & promiſſionem homini factam non implet. 8.2

Vota Deo emiſſa illicò implenda. 66.2

Vox.

Altiſſima Dei auribus eſt vox patientis iniuriam. 143.1

Vſurarius.

Vſurarius falſis hæreſcere opinionibus affectat. 26.1

Vſus.

Quaſi impoſſibile debet eſſe ad alios vſus applicari à Regibus, quæ ad opera pia Templo à piis fidelibus ſunt deſtinatæ opes. 226.2

Laudabilis eſt vſus ſcribendi in publicis libris ſpeciales Reipublicæ ſucceſſus. 211.2

Vti.

Qui Templo ad libidinem vtuntur, Veneris in eo erigunt ſimulacrum. 71.2

Vtilitas.

In nullam raptoris vtilitatem cedit quod illicitè acquiritur. 190.2

Vulnus.

Vulneratus ſpiritu ineptè aliorum vulneribus medicamina adhibebit. 15.1

Non tam irritat ad vindictam vulnus acceptum, quàm verbum inurbanus auditum. 248.2

Lethale vulnus eſt matri videre filij necem. 239.2

Dirius vulnus conuiuij quàm gladij. 156.2

Vxor.

Vxor ſit ſemper viro in illa æſtimatione, qua fuit ipſa die nuptiarum. 143.2

Vxor viri ſpiritus appellatur, vt vel in fœda, & anu ſit, ſit ratio cur diligatur à marito. 143.2

Z

Zelus.

Veris legis diuinæ zelatoribus zelus ipſe debet eſſe lex. 162.1

F I N I S.